BOTTALLA.

S. COR JESU

BX2157
B6
1881
c.1

45580

009003


1080021176
ITER PARA TVTVM
ALERE FLAMMAM VERITATIS
EX LIBRIS
HEMETHERII VALVERDE TELLEZ
Episcopi Leonensis

E

HEMET

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Torino Ed.ce Degaz.

OFFERTA AL SS^mo CUORE DI GESÙ

Io NN. per esservi grato e per riparare alle mie infedeltà vi dono il cuore, ed interamente mi consacro a Voi, amabilissimo mio Gesù, e col vostro ajuto propongo di non più peccare.

Chiunque reciterà la detta offerta con cuore contrito ogni giorno, d'indulgenza una volta al giorno, e la plenaria una volta al mese confessato e comunicato; se la recitera ogni giorno in tutto il mese.

Torino, presso Marietti Pietro di G.^no

SS. COR JESU

SACERDOTUM SANCTITATIS SPECULUM

UT EJUS MISSIONEM IMPLEANT

AUCTORE

P. EMM. BOTTALLA

SOCIETATIS JESU

Editio II.

TAURINI

EX TYPOGRAPHIA PONTIFICIA ET ARCHIEPISCOPALI

Eq. PETRI MARIETTI

1881

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
Capilla Alfonsina
Biblioteca Universitaria
Biblioteca Raúl Rivero y Tellez
45580
VENDESE EN LA LIBRERIA RELIGIOSA SAN JOSE el REAL No. 8 MEXICO

Bx2157
B6
1881

Editor sibi vindicat jus proprietatis.

Cum liber cui titulus : *Sacratissimum Cor Jesu Sacerdotum sanctitatis speculum, ut ejus missionem impleant* a P. Emman. Bottalla nostræ Soc. compositus, virorum gravium et sapientum ejusdem Soc. judicio examinatus et approbatus fuerit, quod ad me spectat, facultatem facio ut typis mandetur.

Constantinopoli, 6 julii 1880.

P. FERDINANDUS FERRANTE S. J.

Provincialis Provinciæ Siculæ.

069963

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

PROŒMIUM

Quamvis neminem lateat toti Ecclesiæ, omnibusque indistinctim Christi fidelibus sacratissimum Cor Jesu honorandum, amandum et coléndum fuisse propositum, toti scilicet mystico Ecclesiæ corpori, quandoquidem Cor ejus est qui est caput Ecclesiae: tamen dubitare nemo potest quin speciali quadam ratione ecclesiasticis et religiosis viris donatum ac præ omnibus confisum fuerit ab eo qui « eos elegit ut eant et fructum afferant et fructus eorum maneat (1). » Hi sunt absque dubio ecclesiastici et religiosi viri, iique præ ceteris, qui sacerdotio insigniti « ministri sunt et dispensatores mysteriorum Dei. »

Quibus enim profecto Isaias dicit: « Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salva-

(1) Jo. xv, 16.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

toris : et dicetis in die illa : Confitemini Domino et invocate nomen ejus : notas facite in populis adinventiones ejus : mementote quoniam excelsum est nomen ejus (1)? »
Sane inter presbyteros, sive sæculares sive religiosos, et populum fidelem, hoc est discriminis relate ad Cor Jesu : illi quidem gratiarum fontibus præsunt, qui ex Corde Jesu scaturiunt, et hujusmodi cœlestes aquas ex his purissimis fontibus hauriendi missionem habent, ut populo distribuant ; hic vero ex sacerdotum manibus has gratiarum aquas recipit, quæ ut haustæ sunt, « fiunt in eo fons aquæ salientis in vitam æternam (2). »

Quæ quamvis ex inferius dicendis lucidiora fient, voluimus tamen hic prælibare, ut omnes noscant qua de causa ejusmodi titulum nostro huic imposuerimus libello. Non enim fideles alios a Cerde Jesu abigere mens fuit, vel iis innumeris privare bonis, quæ ex ipso abundantissime effluunt; sed ostendere præcipuas partes in his bonis, seu fruendis seu diffundendis, ecclesiasticorum et religiosorum virorum esse,

(1) Is. XII, 3. (2) Jo. IV, 14.

qui socii laborum et passionum ejus, participes etiam præ ceteris sunt charitatis illius, quæ ut ignis ardens atque omnia comburens ubique diffunditur.

Igitur scopus hujus opusculi est : 1° ecclesiasticos quoscumque et religiosos viros hortari, ut majoribus quibus possunt viribus, magis in dies magisque, amore ardentissimo erga Cor Jesu ferantur, idque non solum verbo et lingua, sed opere et veritate : quo et dignitati suæ propriæ provideant, atque in se Christum ipsum præseferant, quod ejus ministri sunt et præcipua membra; 2° atque simul eos impellere ut omnibus conatibus, omnique qua possunt ope et vi contendant ad amorem hunc propagandum fovendumque in populo sibi subjecto, cum sciant nullum aliud esse tam efficax medium ad religionem tuendam conservandamque, moresque popularium reformandos.

Propositum nobis non est infinitam prope rerum farraginem et ratiocinationum congerere ; quæ pro volumine ipso legendi horrorem ingerat iis potissimum, qui laboribus quotidie distenti, vix vacua habent

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

momenta ad se his piis lectionibus recreandum, fovendumque spiritum. Alia sunt opera, alii sine numero libri, qui docte, fuse, lateque de Corde Jesu et de sacerdotum muneribus sermonem habent, quosque, pro otio sibi concesso, sacerdos pervolutare queat, ut ex eis argumenta non pauca ad populum in Christi amorem excitandum sumat. Satis nobis sit compendiosum quoddam opus ecclesiasticis religiosisque viris porrigere, ut si fieri possit quotidie aliquid ex eo perlegant, atque inde vel motiva in Cordis Jesu amore proficiendi, vel praxim in iis operibus, quæ ipsis sunt propria, desumant.

Itaque duas partes hoc opusculum continet, quarum prima rationes perbreviter digerit, quæ nos sacerdotes ad fovendam in nobismetipsis et in populo devotionem erga Cor Jesu et amorem compellunt vel disponunt; altera vera practica quædam exercitia evolvit, quæ vitæ sacerdotalis actiones omnes et ministeria sancta reddunt, atque apta ad missionem illam implendam, quam a Christo receperunt.

Aliquas de Corde Jesu meditationes huic

opusculo addere mens fuit: sed quoniam inter scribendum jam volumen satis excreverat, prudentius opinati sumus rem hanc alteri opusculo esse committendam, quod, Deo juvante, serius ecclesiasticis et religiosis viris, prout otium aliæque curæ nobis sinent, præbebimus.

Faciat Deus, ut hoc parvum opus divino auspicio et ex ejus Filii amore incœptum, ejus pariter amore perficiatur, atque in ecclesiasticorum et religiosorum virorum perfectionem sanctitatemque vertatur; quo una omnes zelo atque amore in Cor Jesu elati magnis itineribus in cœlestem patriam contendamus.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

æternæ retributionis anxia desiderat, de bonis se exterioribus non exaltat (1). »

3° Charitas *gratuitate nobilitatur :* proprium enim charitatis est generosum ingerere animum, quo large de propriis bonis in aliorum hominum emolumentum disponitur, neque sæpissime merces de benefactis et laboribus suis exigitur, gratis agitur, quia alia futura concupiscitur merces, vel quia meminerimus verbi illius : « Quod gratis accepistis, gratis date (2). » Ceterum qui charitatis aureo vinculo vincitur bona haec terrestria pro nihilo habet, quod immobilia non sunt nec æterna, ideo ut aliena negligit, cum nihil sibi proprium esse putet nisi quod semper manet. Igitur « charitas non quærit quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi. »

4° Charitas *simplicitate distinguitur*. ideo homo charitate præditus « non cogitat malum » de aliis, quia omnia in bonam partem accipit, atque omnes interne æstimat, quod in amore munditiæ mentem solidat, dum omne odium radicitus eruit ; « non gaudet super iniquitate » quia cum sola dilectione ad bonum hominibus procurandum erga omnes inhiat, de eorum perditione exultare nescit ; « congaudet autem veritati » quia ac se ceteros diligens, per hoc quod rectum in aliis conspicit, quasi de

(1) Ibid. (2) Matth. x, 8.

augmento proprii profectus hilarescit ; « omnia suffert » ut Apostoli præceptum ingenuo ac sincero animo adimpleat : « Alter alterius onera portate et sic adimplebitis legem Christi » et quia ferenda in hoc mundo mala esse suadetur ; « omnia credit » quæ prudenter sunt credenda, cum suspicionem de alterius malitia sine ratione in corde non foveat ; « omnia sperat » cum magna in Deo fiducia agens, sibi semper de proximo meliora suadeat ac optet ; « omnia sustinet » si quid mali, sive verba, sive verbera, ait Jo. Chrysostomus, ab aliis sustinenda habet, sive ipsas persecutiones et mortem ; non ideo odium concipiendo in eos, qui talia pati faciunt, sed orando pro persecutoribus suis, sicut Christus e cruce pendens in nostrum exemplum egit. Tales sunt charitatis nobilissimæ dotes, quas omnium in animos inserere jucundissimum est.

41. Adjicere tamen liceat charitatem ad omnes extendi homines debere, omnes enim imaginem Dei præferunt, omnes fratres nostri sunt, et pro omnibus Christus mortuus est : quamvis liceat proximiores, quales sunt parentes et amici, præ extraneis, christianos præ infidelibus majori charitate diligere eisque præsto esse. — Porro non tantum verbis, sed maxime operibus hæc virtus exerceri debet : « Probatio enim dilectionis exhibitio est operis » et « filioli, inquit S. Joan-

nes, non diligamus verbo neque lingua, sed opere et veritate (1). » Quid enim juvat si proximis vestibus vel cibo indigentibus dicamus : « ite in pace calefacimini et saturamini, et non dederimus eis quæ necessaria sunt (2) ? » Quapropter Christus, qui homines ex charitatis lege judicabit, non de verbis sed de misericordiæ operibus decernet. — Denique intelligendum nuper citatum sancti Joannis verbum « et veritate. » Charitas vera est cum verba et opera, quibus exercetur, animi judicio et affectioni respondent : charitas ficta vel falsa ea est, quæ dum verbis vel operibus hominibus obviam venit, eos tamen animo despicit vel posthabet. Profecto non fictam sed veram charitatem Deus præcipit, qua verbo et factis diligere tenemur, ut Deus ipse erga suas creaturas agit : qui igitur exterius tantum diligit, hypocrisis damnabitur et pœna dignior quam qui manifeste proximo suo occurrere renuit.

§ VII.

De unione cum Christo in Deo.

42. Unio cum Deo et cum fratribus, quos diligimus, charitatis est finis : distinctim hic de hac duplici unione dicendum. Profecto non in hac sed in altera vita unione cum Deo perfectissima frui licebit, cum vi-

(1) I. Joan. III, 18. (2) Jac. ep. cath. II, 15-17.

debimus eum sicuti est, in sinu ejus Patris nostri requiescemus, et nemo nos de manu ejus eripiet. Oportet tamen ut et in hac vita cum Deo uniamur, sine quo nulla nobis vita vera et supernaturalis speranda. Audiamus enim D. Paulum : « Mortui enim estis, inquit, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo (1). » Hæc est christiani hominis vita, qui sacro lavacro regeneratus, ibique sibi et mundo mortuus, debet, ut vivat, Deo et Christo uniri, ut jam non sibi, non mundo, non carnis mundique delectationibus, non superbiæ, non divitiis, non honoribus, inordinato amore conjunctus vivat, sed uni Deo, cujus opera compleat, præcepta exequatur, voluntati subjiciatur, ut sicut Christus dicere queat : « Quæ placita sunt ei facio semper (2). » vel ut Paulus : « Vivo autem, jam non ego ; vivit vero in me Christus (3). » Qui enim Deo vivit, Christo vivit et ex Christo, cujus vitam agit, et cum Christo in Deo jugiter manet.

43. Quæ autem hujus unionis conditiones sint breviter expendamus. Omnium prima et quasi aliarum fundamentum, negativa quædam conditio est, qua ad hanc fovendam unionem obstacula tollimus *omnium renuntiatione*, sive sui ipsius abdicatione atque eorum quæ mundi nomen obtinent.

(1) Ad Colosс. III, 3. (2) Joan. VIII, 29.
(3) Ad Gal. II, 20.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

Mori opus est ut vivere incipiamus, mori sane carnali vitæ, veterique homini, quem ex Adam recepimus; mori proprio nostrimetipsius amori, mori corpori et sensibus, superbiæ, internisque carnis affectionibus; mori mundo ejusque principiis, vitiis, illecebris et operibus; mori propterea divitiis, honoribus, dignitatibus; quia non propter hæc conditus est homo, neque ut in his beatitatem habeat, quæ nullimode in his haberi unquam potest. En quomodo S. Gregorius hanc christiani hominis mortem describit: « Sunt, inquit, nonnulli justorum, qui ad comprehendendum culmen perfectionis accincti, dum altiora interius appetunt, exterius cuncta derelinquunt, qui rebus se habitis nudant, gloria honoris expoliant; qui internorum desiderio per assiduitatem se amici mœroris afficiunt, habere de exterioribus consolationem nolunt; qui internis gaudiis dum mente appropriant, vitam in se funditus corporeæ delectationis necant. Talibus nempe per Paulum dicitur: Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Horum vocem Psalmista expresserat cum dicebat: Concupiscit et deficit anima mea in atria Domini. Concupiscunt enim, sed non deficiunt, qui jam quidem cœlestia appetunt, sed adhuc tamen a terrenorum delectationibus, minime lassantur. Concupiscit et in atria Dei jacit, qui

cum æterna desiderat, in amore temporalium non perdurat (1). »

44. Alia conditio positiva est et *media continet* ad hanc cum Deo unionem intime stabiliendam.

Horum mediorum primum est *orationis* studium et assiduitas. Oratio est mentis et cordis in Deum elevatio; intima et familiaris cum Deo conversatio; animæ in tribulatione, in mœrore, in angustia, in necessitate positæ desiderium, quo suam Deo impotentiam humillime exponit, ut ejus potentiam ad auxilium præbendum imploret; est denique laudis sacrificium Deo oblatum, quo anima in omnibus benefactori suo Deo gratias agit, novosque deprecatur favores, sive pro se, sive pro aliis. Quæcumque ea tandem sit, oratio animam Deo unit, animæ vitam per hanc divinam communicationem renovat, si frequens est, jugiter vivificat: ideo omnibus necessaria sed maxime Dei ministris, qui mediatores sunt atque Deum omnipotentem sæpissime rogare tenentur, tum pro se, ut sancti sint et cum fructu sua ministeria exequantur, tum pro aliis ut salvi fiant. Propterea legimus Apostolos terrestribus curis, etiam ad opera misericordiæ exercenda, nuntium dedisse, ut orationi instarent (2). Presbyter qui frequenter non orat, qui continua ad Deum supplicatione

(1) S. Greg. l. 8 Mor., c. 10. (2) Act. Apost. VI.

non instat, non modo nullam cum Deo unionem habebit, sed sterilitate in suis adimplendis ministeriis quamplurimum laborabit.

45. Oratio enim conditio est prorsus necessaria ut Deo uniamur, hacque unione sancti fiamus et omnia pro aliis dona impetremus. Ideo sæpe Ecclesia suos ministros hortatur ut frequenter orent, et ne ab oratione recedant satis longas diurnas preces eis injungit, quas digne, attente, ac devote, quia gravissimo funguntur officio, recitare tenentur, ut misericors Deus suo auxilio hominibus præsto adsit. At imprimis Ecclesiæ mens est, ut Sacerdotes familiariter cum Deo agant, sicut Moyses et Aaron, qui nihil nisi, consulto Deo, agebant; nihil decernebant nisi impensissime prius pro populo Conditori Deo effusis precibus, oblatisque hostiis, eum propitium redderent; atque tanta instabant supplicatione, tantisque lacrymis, ut Deum ipsum quodammodo defatigarent, si ita loqui fas est, atque ejus propositum decretum in aliud plane oppositum mutarent.

46. Satis tamen non est ecclesiasticis religiosisque viris Deo per orationem uniri, necesse adhæc est, ut æternarum veritatum *meditatione* exerceantur, quod secundum est unionis medium: « In meditatione enim exardescit ignis » amoris Dei,

ignis ille quem ipsi et in se et in aliis fovere tenentur, et quo tandem ad unionem cum Deo certissime pervenient. Nam meditatione fit ut Deum melius ac nos ipsos dignoscamus, qua notione acquisita, fieri non potest quin in Dei ardentem evehamur amorem, dum una nos ipsos contemnimus. Juxta S. Augustinum « recte novit vivere, qui recte novit orare; » sed S. Jo. Chrysostomum audiamus: « Cum videro quempiam, inquit, non amantem orandi studium, nec hujus rei fervida, vehementique cura teneri, continuo mihi palam est, eum nihil egregiæ dotis possidere. Et quisquis non orat Deum, nec divino colloquio cupit assidue frui, is mortuus est et vita carens expersque sanæ mentis. Nam hoc ipsum est evidentissimum argumentum amentiæ non intelligere magnitudinem hujus honoris, nec amare deprecandi studium. »

47. Tertium medium est valde efficax *præsentiæ Dei exercitium*. Qui Deum præsentem in iis omnibus quæ agit contemplatur, fieri non potest quin perfectior in dies evadat, proptereaque quin Deo intimius uniatur: « Ambula coram me et esto perfectus. » Nam perfectissimum est Deus exemplar, ad cujus normam mentis cogitationes, animi affectiones, verba et facta nostra moderari fas est, atque sanctissimo æternoque ipsius ordine dirigere. Qui Deum præsentem

aspicit, præ oculis habet verendæ divinitatis majestatem, quam nemo nisi amens ad iram, ea præsente, provocare auderet; habet Patris sui amantissimi continuam societatem, quem nemo nisi ingratissimus animo contristare vellet; habet præ mente Ducis sui et Regis potentissimam ad egregia etiam agenda, vel ad gravissima ferenda exhortationem, qua hilari corde omnia aget et feret; habet denique amantissimum Conditorem suum, in quem veluti amoris flammas cordis sui suspiria immittere licet, atque in quo ex hujus vitæ laboribus tantisper quiescere potest. Hinc est tam optata et exquisita familiaritas et unio cum Deo.

48. Postremum denique medium est illa animæ dispositio, qua homo *plene se Deo et absolute committit*, sui derelictione, magnaque in eum fiducia, quam amor ipse inspirat. Hæc est charitatis tranquilla quies, prout eam in hac lacrymarum valle adipisci et possidere fas est. De eis, qui hac virtute frui gloriantur, in sacris libris legimus: « Qui confidunt in illo intelligent veritatem et fideles in dilectione acquiescent illi: quoniam donum et pax est electis ejus (1). » Ne tamen putemus uno horæ momento hanc perfectam in Deo requiem haberi posse, sciendum quidem est eam præparari ab obedientia perfecta, filiali non servili, omnibus Dei mandatis et voluntatibus; instrui a nostræ voluntatis conformitate cum Dei perfecta voluntate; perfici ab absoluta omnium quæ possidemus concessione, quæ Deo tamquam Domino committimus, ut de nobis quidquid vult disponat; adhuc augeri a filiali confidentia erga benignissimum omnium Patrem, quem certe paratum esse scimus ad omnia filiis suis bona tribuenda; denique ad omnibus numeris absolutam perfectionem adduci ab ardenti erga Deum charitate, quæ suggerit æquo animo terrestria omnia aspicere, et nullo in pretio habere, nec non se circa spiritus bona indifferentem tenere, nisi quantum divina Bonitas in animam effundere voluerit. Cum hæc omnia plene adepti fuerimus, tum anima tranquille in sinu Dei, veluti puer in sinu matris, quiescit. Hæc est vere virtus de qua Apostolus ait: « Et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo; » quia nonnisi hac virtute, hacque animæ dispositione, justi homines sibi ac mundo mortui, omnium profanorum oculis absconditi, in Dei sinu quiete vivunt, et immobilitatem quamdam vitæ ab ipsa Dei immobilitate adipiscuntur. « Justorum animæ in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum mortis. Visi sunt oculis insipientium mori... illi autem sunt in pace (1). » Oh! omni ditissimo auro

(1) Sap. III, 9.

(1) Sap. III, 1-4.

pretiosior pax, quam inquirere, posthabitis omnibus, deberemus!

49. Studeamus ergo, omnibusque viribus contendamus; ut ad hunc purissimum charitatis stadium perveniamus: tunc enim non pax dumtaxat et animi requies nobis erit, verum etiam vis illa et animi fortitudo, qua in hujus vitæ teterrima sustinenda lucta indigemus. Nam hac animi pace in Deo acquisita « non tanget nos tormentum mortis » quia « Spes nostra immortalitate plena est » et illi innitimur, qui omnia potest, quemque virtutes omnes et hujus universitatis rerum potestates verentur. Hac pace quasi in excelso culmine elati « judicabimus nationes et dominabimur populis, » atque cum Domino Deo nostro perpetuo regnabimus. Omnes quidem sacerdotes ad hoc perfectionis et sanctitatis culmen pervenire deberent, eo quod altissima eorum est dignitas, atque sanctissima quæ ab ipsis sunt exercenda ministeria: verum cum hominum corda ad Deum convertere debeant, necesse prorsus est, ut Dei ipsius possideant cor, ex quo luminum et gratiarum thesauros hauriant, quæ in alios effundant. Jam nonnisi integre se Deo tradant cordis divini potientur.

§ VIII.

De unione fraterna.

50. Talem voluit Christus inter fideles charitatem haberi, ut unionem tantam inter eos constitueret quanta, quod sane mirum videri posset, inter Personas divinas existit: « Pater sancte, inquit, sanctifica eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum sicut et nos... Non pro eis autem rogo tantum, sed pro eis qui crediturі sunt per verbum eorum in me: ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint (1). » Hanc autem tam perfectam inter nos unionem Christus voluit, ut unum cum eo intime compactum corpus essemus in omnium membrorum ordine et disciplina ad fructus edendos æternæ vitæ: cum enim membra disjecta et separata sint nullus sane ordo consistere poterit, sed discordia et tumultus omnia subvertent atque impedient quominus Spiritus sanctus, qui pacis et ordinis est Deus, salutis et vitæ æternæ fructus producat, vel charitatem, quæ omnis sanctitatis est radix, in hominum animas diffundat. Ideo S. Paulus, S. Joannes aliique apostoli, qui aliquid scriptis Christi fidelibus mandarunt, hanc inter nos unionem sæpissime commendant, non modo

(1) Joan. XVII, 11, 20-21.

mentis in fide, sed *communionis* in charitate ; suisque repetitis hortationibus effecerunt, ut primi Christi discipuli essent inter se « cor unum et anima una. »

51. Sed quæ hanc in charitate fraternam unionem efficiunt breviter exponenda. Tria quamplurimum requiruntur : a) *reverentia* reciproca, b) *patientia* reciproca, c) *auxilium* reciprocum.

1° Imprimis oportet ut fratres nostros, unus alterum *magna reverentia* prosequamur, tum quia fratres nostri sunt, tum quia filii Dei et amici Christi. Nunquam sane huic reverentiæ officio deficiemus, si eos magna charitate, duce fidei lumine, spectemus : fides enim nos docet hominis naturæ excellentiam, sive eam naturaliter, sive, quod potissimum est, supernaturaliter contemplemur ; fides docet a Deo ipso magni hominem fieri, pro nihilo enim habuit Filium suum unigenitum, ad eum salvum faciendum, in mundum mittere. Itaque, superbiæ et amoris proprii motibus refrenatis, qui sæpe sæpius huic primo erga fratres muneri opponuntur, eos omnes, tum mente, tum corde æquanimiter revereamur ; tum verbis, tum factis hanc intimam animi reverentiam et æstimationem ostendamus. Ne verbum quidem injuriosum, neve factum charitati contrarium unquam edatur : quod si aliquando parum animi nostri compotes offensionis alienæ causa fuc-

rimus « sol non occidat super iracundiam nostram (1). »

2° Huic reverentiæ *mutua patientia* adjiciatur, quam Apostolus his verbis suadet : « Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi (2). » Peccatum originis, cujus effectus post baptisma in nobis manent, et naturæ indolisque unicuique propriæ defectus, in causa sunt cur unio, quæ media charitate habenda esset, nonnisi media patientia habeatur. Unus alteri oneri sumus : unusquisque enim suas pravas affectiones persentit, suosque animi defectus habet : oportet ergo ut alter alterius defectus ferat, si pacem animorumque unionem servare jugiter velit. — Ferenda imprimis sunt *aliena peccata*, quæ certe animum nostrum offendunt ex tristitia offensi Dei concepta. At si Deum et Christum ducem præ oculis habeamus, qui odio in peccatum elati, peccantis hominis miserentur, facile nobis erit cordis iram refrenare. — Ferendæ adhuc tamen, quod durius est, *offensæ* a fratribus *nobis illatæ*, ut Deus a nobis in ipsum irrogatas injurias fert. Eorum, qui nobis offensionis causa sunt, sæpe animus infestus non est, animi levitate vel incuria peccant : quod si infestos habeamus, nonne et inimicis Christus pepercit, pro eisque oravit? qua potiori id nobis agendum ratione est ? —

(1) Ad Eph. IV, 26. (2) Ad Gal. VI, 2.

Porro, quod commune et reciprocum est, *indolis*, imperfectæque *naturæ defectus* patienter feramus. Hi sane nulla ex libera voluntate originem habent, ideo naturæ defectus dicuntur, quandoque tamen ex parum culta educatione vel ex negligentiæ vitio procedunt : ratione igitur conforme non est, ut ira ex his commoveamur ; maxime si recogitemus et nos hujusmodi proprios habere defectus, qui magis ac alieni, ad iram alios provocant. Quod si de cujuscumque generis opinionibus agatur, tritum illud Augustino attributum verbum præ mente habeamus : « In necessariis unitas, in dubiis libertas, in omnibus charitas. »

3° Denique per *auxilium reciprocum* charitatis unionem foveamus. Tria maxime fratribus nostris debemus : *exemplum*, *orationem*, *misericordiæ opera*.

a) « Quæ pacis sunt sectemur : inquit sanctus Paulus, et quæ ædificationis sunt in invicem custodiamus (1). » Hæc præcipua charitatis regula est, quæ animarum bonum potissimum intendit : igitur etsi aliquid nobis liceat, si tamen offendiculo fratribus ex eo essemus, abstinendum nobis esset : « Noli propter escam destruere opus Dei... Bonum est non manducare carnem, et non bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur, aut scandalizatur, aut infirmatur (1). » Quid vero dicendum si illicita agenda essent ? nonne « lux nostra lucere usque debet coram hominibus, ut videant opera nostra bona et glorificent Patrem nostrum qui in cœlis est (2) ? » Ideo Jesus « cœpit facere et docere » qui enim alios scandalo offendit, ab eis se sejungit, iram movet, unionem rumpit. Quare S. Joannes antichristos hæreticos et schismaticos vocat, quia per hæresim vel per Ecclesiæ inobedientiam Christum et corpus ejus scindunt (3).

(1) Ad Rom. XIV, 19.

b) « Orate pro invicem ut salvemini : ait S. Jacobus, multum enim valet deprecatio justi assidua (4). » Oratio pluris facienda quam bonum exemplum; per hoc enim exteriorem Dei gratiam, per illam vero interius Spiritus sancti auxilium fratribus nostris procurare licet : cum igitur directius ac meliori ratione hominum animas in bonam frugem convertere possimus, eisque bona omnia spiritus adjicere, facile oratione media animorum unionem et pacem, quæ ex charitate gignuntur, inter proximos fovebimus.

c) « Filioli mei, non diligamus verbo neque lingua sed opere et veritate (5). » Quid enim juvat, ut alibi dicebamus, si amoris verbis homines alliciamus, nullis autem o-

(1) Ad Rom. XIV, 20-21.
(2) Matth. V, 16.
(3) I. Joan. IV.
(4) Jac. IV, 16.
(5) I. Joan. III, 18.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

peribus ipsis indigentibus occurramus? non sane verbosa est charitas sed agens: opera præcipue magis quam verba aliorum affectionem et amorem ac proinde unionem ciunt. In promptu autem omnia misericordiæ opera sunt, de quibus alibi sermonem habebimus, quæ tum ad corpora levanda, tum ad spiritus refocillandos referuntur, ut omnes per hæc in ædificationem corporis Christi concurramus.

Caput IV.

DE SS. CORDIS JESU PROMISSIONIBUS.

1. Quæ fuse lateque, maxime in præcedenti capite, exposuimus, aliena fortasse quibusdam videri possent a scopo, qui hujus operis initio propositus nobis fuit, nempe ecclesiasticos quoscumque viros hortandi ad amorem in se et in aliis erga Cor sanctissimum Jesu fovendum, ut ex hac devotione et hoc amore fructus in dies majores prodeant. At parumper rem consideranti non modo hæc aliena videri non debent, sed ea potius quæ in hunc scopum recta ferunt. Qui enim fieri unquam potest, ut cor nostrum Christi Jesu amore æstuet, aliosque ad ejusmodi amorem inflammet, nisi omnia de medio ad charitatem ciendam obstacula

tollat, seque iis disponat adminiculis, quæ prorsus ad Christi missionem exercendam necessaria esse videntur, quam ipse his verbis complexus est: « Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur?» Obstacula profecto sunt animi vitia et cordis, tepiditas in servitio Dei, amor sui ipsius propriique boni atque terrestrium hujus mundi rerum; contra, dispositiones vel potius conditiones ad Christi missionem exercendam sunt: intelligentiæ expolitio per scientiam et fidem, voluntatis perfectio per obedientiam et Dei voluntati conformitatem, cordis sanctificatio per virtutum exercitium, maxime zeli animarum et gloriæ Dei, charitatis erga Deum et proximum; quia ex his amoris ignis cor totum pervadit.

2. Nonnisi diligentibus se et mundis corde hominibus Cor Jesu se manifestat, et quo puriores ac sanctiores sint, eo magis in eos sui amoris thesauros infundit: « Beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt. » Quo quis majori studio contendit ut seipsum perficiat, eo magis Cordis Jesu auxilium persentit, ut suam cum fructu missionem compleat. Ceterum, anne devotio et amor in Cor Jesu in hoc sita sunt, ut unusquisque verbis et non re dicat: « Amo te, Cor sacratissimum Jesu? » Probatio dilectionis, ut alibi dictum est, exhibitio est operis; opus autem hoc est, ut homo magis ac magis in dies se

peribus ipsis indigentibus occurramus? non sane verbosa est charitas sed agens: opera præcipue magis quam verba aliorum affectionem et amorem ac proinde unionem ciunt. In promptu autem omnia misericordiæ opera sunt, de quibus alibi sermonem habebimus, quæ tum ad corpora levanda, tum ad spiritus refocillandos referuntur, ut omnes per hæc in ædificationem corporis Christi concurramus.

Caput IV.

DE SS. CORDIS JESU PROMISSIONIBUS.

1. Quæ fuse lateque, maxime in præcedenti capite, exposuimus, aliena fortasse quibusdam videri possent a scopo, qui hujus operis initio propositus nobis fuit, nempe ecclesiasticos quoscumque viros hortandi ad amorem in se et in aliis erga Cor sanctissimum Jesu fovendum, ut ex hac devotione et hoc amore fructus in dies majores prodeant. At parumper rem consideranti non modo hæc aliena videri non debent, sed ea potius quæ in hunc scopum recta ferunt. Qui enim fieri unquam potest, ut cor nostrum Christi Jesu amore æstuet, aliosque ad ejusmodi amorem inflammet, nisi omnia de medio ad charitatem ciendam obstacula

tollat, seque iis disponat adminiculis, quæ prorsus ad Christi missionem exercendam necessaria esse videntur, quam ipse his verbis complexus est: « Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur?» Obstacula profecto sunt animi vitia et cordis, tepiditas in servitio Dei, amor sui ipsius propriique boni atque terrestrium hujus mundi rerum; contra, dispositiones vel potius conditiones ad Christi missionem exercendam sunt: intelligentiæ expolitio per scientiam et fidem, voluntatis perfectio per obedientiam et Dei voluntati conformitatem, cordis sanctificatio per virtutum exercitium, maxime zeli animarum et gloriæ Dei, charitatis erga Deum et proximum; quia ex his amoris ignis cor totum pervadit.

2. Nonnisi diligentibus se et mundis corde hominibus Cor Jesu se manifestat, et quo puriores ac sanctiores sint, eo magis in eos sui amoris thesauros infundit: « Beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt. » Quo quis majori studio contendit ut seipsum perficiat, eo magis Cordis Jesu auxilium persentit, ut suam cum fructu missionem compleat. Ceterum, anne devotio et amor in Cor Jesu in hoc sita sunt, ut unusquisque verbis et non re dicat: « Amo te, Cor sacratissimum Jesu? » Probatio dilectionis, ut alibi dictum est, exhibitio est operis; opus autem hoc est, ut homo magis ac magis in dies se

perficiat, eodemque studio contendat, ut alios perficiat. Hæc est vera devotio, hic verus erga Cor Jesu amor, ad hoc enixis viribus animos intendere ecclesiastici et religiosi viri debent, hic est eorum vocationis statusque finis, quem si prætereant vel negligant, vana est eorum devotio, vanus amor, quem habere profitentur: « Non enim omnis qui dicit: Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem Patris qui in cœlis est (1). » — « Hæc est autem voluntas Dei sanctificatio nostra... ut exhibeamus corpora nostra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obséquium nostrum, quin conformemur huic seculo, sed reformemur in novitate sensus nostri: ut probemus quæ sit voluntas Dei bona, beneplacens et perfecta (2). »

3. Studeant igitur ministri Christi et Dei ut bene cognita sua vocatione, suoque statu, sicut in primo et secundo hujus opusculi capite exposuimus; se perficiant sanctosque reddant, ut in capite præcedenti delineavimus: hinc fiet ut re quidem vera sinceraque mente in Cor Jesu vehementissimo ferantur amore; hac sane ratione et non alia digni erunt, qui Cordis Jesu missione fungantur, et quorum fructus abundantes sint et perpetuo maneant. Hos Cordis sui

(1) Matth. VII, 21.
(2) I. ad Thess. IV. — Ad Rom. XII.

apostolos Christus diligit, his suam potentissimam committit voluntatem, neque prius sui Cordis arcana prodit, quam ipsi integrum cor propriosque tradant affectus. Procul igitur a nobis torpor ille abeat, quo fit ut dies et anni sine vero meritorum fructu prætereant, quia nonnisi materiali et carnali modo, non autem spiritu interiori agimus. Jam Deus spiritus est et « in spiritu et veritate oportet adorare: » ne sacerdotes Christi carnales judæorum et pharisæorum sacerdotes imitentur, qui « decimabant mentham et anethum et cyminum, et relinquebant quæ graviora sunt legis, judicium, et misericordiam et fidem (1). »

4. Itaque quo magis in dies ac magis Cordis Jesu amore æstuemus, et pluris devotionem hanc faciamus, operæ pretium est paucis disquirere quas Cordis sui amantissimi Jesus Christus divitias revelaverit, quæque promissa suæ dilectissimæ virgini B. Margaritæ Mariæ multiplicia tradiderit, in eorum auxilium et bonum, qui hanc devotionem et in se nutriunt et in aliorum animos propagare studeant et fovere. Profecto non omnia et singula hic nobis enumeranda ducimus, sed quæ ecclesiasticis et religiosis viris opportuniora esse, pro scopo nobis proposito, arbitramur. Hæc nos erga Cor Jesu magis afficient, quia in his Cordis

(1) Matth. XXIII, 23.

hujus thesauros et immensum ejus amorem reperire fas erit, nec non quid emolumenti, pro hac et futura vita, in devotione et amore erga Cor amantissimum Jesu repositum sit.

I.

« Omnes in eos gratias effundam, quibus in suo statu indigent. »

1. Hæc prima est Christi promissio, quæ quanti facienda sit nemo est qui non videat. Nam præter communia christiano statui necessaria ordinis supernaturalis auxilia, aliis specialibus in uniuscujusque nostrum speciali statu indigemus: quicumque enim particularis status, in quo quisque a Deo est positus, sua habet officia quibus fungi debet, suas difficultates superandas, sua discrimina sive corporis, sive animæ cavenda; quibus omnibus nisi ordinis supernaturalis auxilia respondeant, fieri nunquam potest, ut sospites evadamus. Jam in genere nemo dubitare potest quin Deus christiano homini desit, qui, eo volente vel positive permittente, statum quemdam ingressus est: «Deus enim impossibilia non jubet, sed jubendo monet, et facere quod possis, et petere quod non possis; et adjuvat ut possis (1).» At fieri aliquando potest ut quis, inconsulto Deo,

(1) Conc. Trid., Sess. VI, c. 11.

vel temere, statum quemdam ingressus sit; fieri etiam potest, ut recte in statum quemdam ingressus, non tamen « sategerit ut per bona opera certam suam vocationem et electionem faceret, unde peccavit aliquando (1). » Proinde ab his se Deus avertit, atque gratias denegat necessarias, quas temerariis et infidelibus ipsum tentantibus non promisit, nec promittere intendit.

2. Quis autem de fidelitate sua tam securus esse potest, ut omnia egisse quæ agenda erant arbitretur, ad gratias omnes statui suo necessarias merendas? Homines sumus et humani aliquid patimur; omnes a viis rectitudinis ex animi vitio vel mobilitate defecimus; omnes plus minusve proprio amore ducimur: ideo abundantes saltem demeremur gratias, quæ aliquando ad nostra exercenda munia necessariæ omnino videri possent. Hinc quotidiani defectus, inextricabiles difficultates, luminum carentia, cordis amaritudines, languor et fere, ut ita dicam, desperatio in agendo. Hinc fit ut nos quandoque status nostri pœniteat, et cogitemus fortasse sine certa vocatione in illum venisse, quia tot tantisque obvolvimur angustiis, ut pœne derelicti a Deo esse videamur. Hinc querimur sæpe de precum nostrarum ad Deum ac sanctos sterilitate, quamvis ferventer et perseveranter

(1) II. Petr. I.

oravimus. Deus sane quotidianas punit in nobis, relate ad præcedentes gratias statui nostro convenientes, ac multiplices infidelitates: digni enim non sumus, qui novis donis et favoribus cumulemur a Deo, cum sponte oblata minimi fecerimus.

3. Quod si de statu ecclesiastico vel religioso sermo sit, deque nobis Christi et Dei ministris, incredibile dictu est quot onera ferre in hoc statu debeamus, quam gravia magnique ponderis munia nobis imponantur, et quantam pro his omnibus rationem Deo reddere teneamur. Profecto Deus non defuit nobis, qui Spiritus sancti donis et charismatibus in sacerdotio conferendo ornavit et cumulavit, qui præsto nobis est et propitius adest, quotiescumque suo auxilio indigemus, qui denique tot nobis in promptu media salutis posuit, quibus et sancte agamus et alios ad sancte agendum compellamus. Sunt nobis in manu sacramenta; est omnium venerabilissimum sacrificium corporis et sanguinis Christi; sunt Ecclesiæ preces et sanctorum communio, exempla illustrium virorum et in sanctitate perfectorum; sunt denique Antistitum nostrorum vigilantia, exhortationes, consilia, et plura alia abunde collata, quibus si bene uti sciremus, nihil deesset quominus nostro statui condigno modo ageremus. At his bene usi sumus?

4. Gratias igitur quamplurimas sanctissimo Jesu Cordi reddamus, qui ad nostram erga Cor suum devotionem remunerandam omnes gratiarum suarum thesauros nobis protulit, atque promisit fore ut omnia præberet auxilia, quibus ad munia in statu nostro exercenda indigemus. Quam magnum hoc sit beneficium quis non videat? cum hoc uno erga Cor Jesu devotionis et amoris titulo omnia liceat statim reparare, quibus in statu nostro contra Deum peccavimus ejusque gratias et auxilia demeruimus. Si quid minus rectum in hoc eligendo statu fuit; si animi socordia non ut decebat circa nostram vocationem et statum egimus; si denique cum tepore nostris officiis functi sumus; licet nobis in Jesu amicitiam per devotionem erga Cor suum redire, ut deinceps sicut filios carissimos nos habeat, quibus omnia abunde concedat, nihil deneget quod optamus, vel necessarium aut utile videri posset.

5. Ergo si vere Cor Christi amamus, sperandum fore ut ipse, qui vera lux est, ad melius credendas cognoscendasque revelatas veritates lumina præbeat, quas populis tradere tenemur; ut consilia suggerat ad prudenter agendum, nosque et alios in salutis viam dirigendos. Ipse certe vires addet supernaturales, quibus non deficiamus in via, atque magna animi alacritate difficilia obeamus ministeria, atque ex eis fructum col-

ligamus. Nec nobis imprimis patientia deerit et mansuetudo, quæ excellentes sunt et necessariæ sacerdoti virtutes in iis, quæ cum ovibus suis perpetuo agere debet: his vero animi tranquillitatem et pacem Christus addet, quamvis opus sit ut inter mundi dissidia et tumultus versemur, quamvis persecutionum fluctibus concutiamur, atque adversis omnibus obvolvamur rebus. En primum devotionis et amoris erga Cor Jesu sanctissimum fructum et emolumentum, de quo sane dubitare non licet, cum idem ipse promiserit.

II.

« *In omnibus eorum animi angustiis quietem et solamen tribuam.* »

1. Quis sibi in hoc mundo vitam integram doloribus atque angustiis liberam promittat, quæ sive ex animæ vel corporis ægritudinibus, sive ex publicis vel privatis adversitatibus sæpissime obveniunt? Quousque in hac lacrymarum valle versabimur fieri nequaquam potest, ut tribulatione aliqua non concutiamur. Quae autem magis nos afficere solent animi angustiæ sunt, amaritudines et cruciatus quorum plurima est causa vel a Deo, qui suorum constantiam tentamine probat, vel a dæmone, qui in desperationem homines impellit, sive ab hominibus ipsis male

erga nos affectis, sive denique ex ipsa animi debilitate et defectu. Sane oportet ut in omnibus his non amare feramus, sed nos patienter geramus, si æternam gloriæ coronam adipisci cupimus, si nostra aliorumque crimina luere, Deoque nostri ipsius holocausto Jesu Christi holocausto adhibito, gloriam reddere.

2. At quandoque fit ut hæ animi angustiæ supra modum excedant, magnæque amaritudinis et concussionis causa sint, maxime cum interius excitentur, sive ex dæmonis insultibus, sive ex aliis, quæ animum vehementer perstringere solent. Cum hujusmodi angoribus afficimur nobis in more est ad animum leniendum externa quærere solatia, quo ad alia mentem vertamus et cum aliquo bono malum latum compensemus. Verum præsto est nobis remedium efficacissimum, quod negligimus et tamen unicum est, quod nostris malis mederi vere possit et debeat.

3. Hoc in Jesu sacratissimo Corde reperitur. Profecto in mentem revocemus quos animi angores sanctissimum Cor hoc tulerit ex vitæ suæ primordiis inter homines: vita enim Christi crux fuit et martyrium, non quidem corporis, nisi præcipue passionis tempore, sed cordis, quod ex injuriis Patri suo illatis augebatur, ex nimiis hominum criminibus, ex eorum æterna perditione, ex

omnium animi ingratitudine, tot selectis a Deo beneficiis collatis, ex inutilitate saltem pro innumeris hominibus suorum quos laturus erat, quosque in præsenti ferebat dolorum, ex ignominiarum, dolorum et mortis suæ pro hominum criminibus subeundæ frequenti cogitatione. Hæc omnia Cor Christi distinuerunt toto vitæ suæ tempore, sed præsertim in horto antequam pateretur vehementissime affixerunt, et cum cruci affixus moreretur, hæc vera mortis causa fuerunt. Hinc voces illæ : « Tristis est anima mea usque ad mortem... Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? » Credere sane licet tum omnium fidelium hominum desolationes, cordis dolores, animæ angustias, tentationes, concussiones in uno Jesu Corde cumulata fuisse, ut in se experiretur, quæ omnes fideles pro ipso passuri erant.

4. Quid autem ad hæc subeunda Christum impulit nisi Cordis sui amor? mens enim illi fuit, ut ex suis angoribus et desolationibus nos fideles suos solaretur et exemplo doceret. Nos præsertim ministros suos et passionum socios, qui ipsi proximiores ministerio et dignitate, majori quidem ratione similes esse oportebat. Et revera quot sunt nobis ferenda mala, si una cum Christo eodemque zelo ejus missionem prosequi volumus? Haud dubium quin eadem ac Christus ferre debeamus, criminum multitudi-

nem, animarum æternam perditionem, hominum ingratitudinem, nostrorum laborum inutilitatem, obstacula multa quæ ministeriis nostris obversantur, minimum forte successum; ad hæc, animi desolationes et terrores, ex parte dæmonis tentationes non paucas, ex parte inimicorum persecutiones. Hæc omnia Cor sacerdotis fidelis afficiunt, hæc conturbant, hæc quandoque agone quodam conficiunt.

5. At cur perforatum est, inquit Bernardus, latus Domini Jesu, nisi ut nobis patescat introitus? Cur vulneratum est Cor ejus, nisi ut in illo ab exterioribus perturbationibus absoluti habitare possimus (1)? Si quis igitur perturbari sentiat et deficere in via, adeat Cor Jesu : ab illo levari licebit, ab illo leniri ; ipse enim Jesus inquit: « Discite a me quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris (2). » — « Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos (3). » Ipse dulcissimo ac suavissimo amoris sui vulnere nos enutriet, quod veluti balsamo cordis nostri vulnera liniet. In hoc Corde, longe ab hominum tumultu et mundi perturbatione, quietem illam tranquillam inveniemus, quam frustra ex hominibus etiam amicissimis exquirimus. Nemo enim dat

(1) Tract. 3 de Pass. Dñi. (2) Matth. xi, 29.
(3) Matth. xi, 28.

quod non habet: Christus autem pacis princeps est et gaudii plenitudo; et quamvis angustiis omnibus vivens fuerit obvolutus, summa tamen pace, summoque solatio in superiore animi parte fruebatur.

6. Igitur Christus tum instructione, tum exemplo suo docere nos poterit quid agendum nobis sit, ut animi inter motus et angores pace, veroque solatio fruamur. Quod si aliud addi debeat, præsto nobis suo auxilio erit ut promisit, atque levamen afferet, quia ipsi in se transferre mortalium mala placuit per omnia probatus ut misericors fieret. Cum ab aliquo S. Ignatius interrogaretur, utrum aliquid esset quod ejus animum perturbare posset; utique reposuit Sanctus, si scilicet minimam quam institui Societatem Jesu, uno horae momento, tamquam salis granum in aqua, destrui et dilabi viderem; at statim addidit: horæ tamen quadrans satis mihi foret ad perturbationem hujusmodi sedandam; sanctissimum enim Eucharistiæ sacramentum convenirem, ibique in Corde Jesu me conderem, ut meo malo solamen afferret.

III.

« *Multiplices benedictiones super quæcumque eorum incœpta effundam.* »

1. Nonne Christum nostro amore diceres indigere, qui tam largum et beneficum erga eos, qui eum diligunt se præbet? Olim Cor suum charitatis flammis exæstuans beatae Margaritæ Mariæ conspiciendum ostendens: « Meum Cor, inquit, ardet desiderio se fidelibus animabus communicandi. Mihi opem feras, carissima filia, ut tantus ignis tantisper refrigeretur; fac ut omnes et ubicumque, per te et per alios sciant, me paratum utcumque esse ad gratias omnes absque modo et mensura in hominum animas effundendas, quæ eas ex Corde meo haurire velint. » Anne aliter loqueretur qui amari indiget, quique tam ardenter diligit ut præ amoris vehementia deficiat? Nunc autem cum multiplices benedictiones super quæcumque eorum incœpta, qui eum diligunt, effundere promittat, immensam Cordis sui liberalitatem prodit.

2. Attamen, ne decipiamur, meminerimus mentem Christi non esse, ut incœptis terrestribus et vitæ hujus temporis se tam effusum in beneficiis præbeat, nisi prius quæramus regnum Dei et justitiam ejus; cum enim pater sit et infinite sanctus, nonnisi

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

hominum verum bonum æternamque beatitatem præ omnibus ipsis procurare potest. « Quis autem ex vobis, inquit, patrem petit panem, numquid lapidem dabit illi? aut piscem: numquid pro pisce serpentem dabit illi? Aut si petierit ovum: numquid porriget illi scorpionem? Si ergo vos cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris: quanto magis Pater vester de cœlo dabit spiritum bonum petentibus se (1)? » Quæ verba sane evidenter indicant paratum Christum per se vel per Patrem suum esse ad omnia effuse concedenda, quæ ad *spiritum bonum* habendum conducunt, etiamsi aliquando bona temporis sint; sed negaturum etiam spiritalia bona, si ad *spiritum bonum* habendum minime faveant, atque saluti nostræ æternæ vel aliorum adversentur.

3. Quod si pro spiritalibus incœptis, ad ministeria sacra obeunda in animarum salutem et adjumentum petamus et oremus, facilius fiet ut Christus multiplices suas benedictiones largiatur, maxime si ex ejus Corde haurire velimus. Quot sunt in nostro statu, quæ in animarum salutem et Ecclesiæ augmentum agenda proponuntur, quæque tamen nullis humanis viribus, mediisque exequi valemus? Ad ea perficienda ab hominibus consilia quærimus, auxilia et opera imploramus, noctes diesque in animi

(1) Luc. xi, 11, 13.

recogitatione consumimus, ut tandem quod mente concepimus re extundamus. At si, his non omissis quæ prudenter agenda, præprimis in Corde Jesu consilia et incœpta nostra recondissemus, Christi benedictio non defuisset, consilia hominum majori dexteritate ex divino lumine nobis proposita fuissent, necnon media et auxilia humana abundantiora quam par est et efficaciora ex insperato advenissent.

4. Verum si optamus ut nostris incœptis Cor Jesu abunde benedicat, en quibus ea conditionibus contineri oportet. Primum caveamus ne nisi pura et recta intentio sit qua erga ea ferimur: non sane nosmetipsos, non vanum quid gloriæ lucrum, non commodum aut voluptatem, aut temporaneum aliquod emolumentum quæramus, sed unice Dei gloriam, Ecclesiæ bonum et animarum salutem. Etenim recta intentio spiritum bonum inducit, vana vero aut terrestris etiam quod bonum incœptum est sordide inficit. « Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit (1). »

5. Neque hoc satis: necesse enim est ut magna cum fiducia et humili prece ad Cor Jesu confugiamus: « Quæcumque petieritis in oratione credentes, accipietis (2), » ait Chri-

(1) Matth. vi, 22.

(2) Matth. xxi, 22.

stus, potentissimus enim est et liberalissimus rex, idemque summe bonus: non igitur hanc sibi impactam injuriam ferre potest, ut de ejus bonitate vel de potentia aliquid dubitemus; nisi vero ad humilissimum Cor Jesu magna cum humilitate adeamus, respicere nostras preces minime poterit: «Oratio humiliantis se penetrat nubes (1);» hujus enim virtutis maxime Christus se exemplar præbuit, hac ipse, Deus cum esset, Patri suo preces ardentissimas obtulit. Igitur non alia ratione putandum sane est fore ut largas suas in nos benedictiones effundat, ac si humili corde ex ejus humili Corde hauriamus.

6. Denique instare oportet et in prece perseverare, ut fiduciam et fidem nostram Christo probemus. « Deus enim, inquit Augustinus, differendo extendit desiderium, desiderando extendit animam, extendendo facit magis capacem (2). » Hac humili fiducia et perseverantia in prece absque dubio fiet ut Cor Jesu suis promissis stet, nisi tamen quod petimus spiritum bonum non tribuit, neque utile nostræ saluti est, neque hominum animabus, neque in genere Ecclesiae. Si ergo aliquando factum est, ut a Corde sacratissimo Jesu aliquid petentes, nostro desiderio frustrati fuerimus, nos sumus in culpa, nostro defectui adscribendum id est:

(1) Eccli. xxxv, 21. (2) Tract. 4 in Ps.

non enim tam generosum Cor iis qui bene dispositi sunt et recte petunt, maxime cum de Dei gloria agatur, denegare aliquid solet.

IV.

« *Devotio erga Cor meum religiosis et ecclesiasticis viris efficax erit medium ad sui status perfectionem recta perveniendi.* »

1. Nemo sane dubitat quin ii qui statum religiosum vel ecclesiasticum ingressi sunt ad perfectionem profitendam teneantur, scilicet ad efficiendum ut quotidie in virtutibus proficiant, Christi consilia sectando, et sancti fiant: ad hanc perfectionem vocat Christus cum ait: « Si vis perfectus esse vade, vende omnia quæ habes, da pauperibus, et veni sequere me (1); » hanc secuti sunt apostoli et discipuli Christi qui aperte dictitabant: « Ecce nos reliquimus omnia et secuti sumus te (2). » Quapropter eis Christus præmia promisit, quæ nonnisi perfectionis consilia sequentibus se daturum decrevit: « Vos qui secuti estis me, sedebitis et vos super sedes duodecim judicantes duodecim tribus Israel (3). » Verum sane est ecclesiasticos viros ad renuntiandam re factoque

(1) Matth. xix, 21. (2) Matth. xix, 27.
(3) Matth. xix, 28.

bona terrestria, nempe divitias, non teneri, nec possessionis aut acquisitionis jure privari; attamen ad alia consilia servanda obligantur, et quod ad divitias spectat saltem ecclesiasticas, quibusdam canonum regulis et sanctionibus continentur. Ut ut vero res sese habeat, perfectissimus status ecclesiasticus etiam præ religioso est, ubi hic a Sacerdotio abstrahat.

2. « Nihil in sacerdote commune cum multitudine, inquit S. Ambrosius,... Vita sacerdotis debet præponderare, sicut præponderat gratia (1). » Quare S. Augustinus aperte docet clericum profiteri sanctitatem dum sacerdotio initiatur: «Clericus duo professus est, sanctitatem et clericatum (2). » Sed sanctum Thomam audiamus, qui majorem in presbytero quam in simplici religioso perfectionem exquirit, cujus rei hanc rationem reddit: « Quia per sacrum ordinem aliquis deputatur ad dignissima ministeria, quibus ipsi Christo servitur in sacramento altaris. Ad quod requiritur major sanctitas interior, quam requirat etiam religionis status... Unde gravius peccat, ceteris paribus, clericus in sacris ordinibus constitutus, si aliquando contrarium sanctitati agat, quam aliquis religiosus, qui non habet ordinem sacrum (3). »

(1) Ep. ad Iren. l. 3, ep. 25. (2) Serm. 83 de Divers
(3) 2. 2., q. 184, a. 8

3. At quam difficile est sacerdotibus, qui inter seculares homines vivunt, suæ propriæ perfectioni vacare! quam arduum omnibus inter labores et sollicitudines pro animarum salute impendenda sibi invigilare, ut proficiatur de virtute in virtutem! Parvi ne momenti res est sibi, mundo, suisque omnibus perfecte renuntiare, vitia omnia penitus resecare, ut nemini offensioni et scandalo simus, virtutum omnium semitam sectari, atque in dies majores proventus facere, jugiter contra salutis nostræ potentissimos adversarios luctam sustinere, qui omnibus conantur viribus, ut gratiæ divinæ in nobis effectus destruant?

4. Quapropter optimus hominum Salvator, quem infirmitas atque debilitas nostra non latet, sapienter amanterque providit, ut suum sanctissimum Cor sanctitatis omnimodæ efficacissimum instrumentum traderet, simul spondens fore ut in nobis, pro statu nostro, hanc producat efficiatque sanctitatem, si ad ipsum ejus Cor confugere velimus. Cui enim dubium esse potest Cor Christi Jesu sanctitatis esse non modo perfectissimum exemplar, et virtutum omnium ditissimum thesaurum, sed et in aliis perfectionis originem et fontem inexhauribilem? Cum enim Deus homo fieret, ex primo conceptionis suæ terrestris momento, omnes humanæ quam sumpsit naturæ sapientiæ et gratiæ thesauros

communicavit, adeo ut hæc humana natura jam ab exordio sui omnibus numeris absolutam et perfectam sanctitatem haberet. Cum autem cor hominis totius vitæ actionisque humanæ centrum quoddam et sedes sit, necesse prorsus fuit ut quidquid sanctum et perfectum in Christo manifestatum hominibus est, ex hoc Corde quodammodo initium sumeret, ac proinde ut in corde hoc justitiæ totius affectus, motusque sedem haberent. Ut enim ex Christi ipsius doctrina crimina omnia ex corde oriuntur et ex abundantia cordis os loquitur, ita et virtutes omnes earumque actus inde exordium habeant necesse est.

5. At ex his etiam factum, ut humanum Cor Jesu divinitati copulatum, jure quodam suo, omnis perfectionis sanctitatisque in aliis fons esset et origo. Nam ex quo, ut Patri obediret, suoque erga nos amori satisfaceret, Christus cruci affixus supremum obiit diem, jam non Creatoris sed Salvatoris hujus gratia et medicinalis hominibus distribuitur, quæ ex purissimis ejus fontibus scaturiens, primo a criminibus animas expurgat, deinde Deo Patri reconciliatas sanctas efficit. Fontes autem ejusmodi gratiarum maxime in Corde Jesu originem et compendium aliquod habent, cum ex corde sanguis ejus effusus in omnes sit: unde fit ut accedentibus ad Cor Jesu abundantius

gratiæ distribuantur, celerius communicentur, efficacius effectus suos producant.

6. Ceterum quis non videat sanctitatis ac perfectionis culmen in charitate repositum ésse, quam qui possidet celerrime in dies proficit, atque majora adhuc virtutum opera perficit? Unde autem charitas nisi ex Corde Christi Jesu? vel quis perfectius atque celerius hominum cordibus indere et effundere valeat nisi Cor Jesu? « O quam bonum et quam jucundum habitare in Corde hoc! Quin potius dabo omnia, omnes cogitationes et affectus mentis commutabo, jactans omne cogitatum meum in Cor Domini Jesu, et sine fallacia illud me enutriet (1). » Ne dubitemus quin faciat, quoniam ardentissime optat, atque facturum promisit, nec pro ipso stat quin statim faciat, sed pro infirmitate et malitia nostra, non enim ut par est, nempe munda anima et puro ac simplici corde, ad ejus Cor accedimus: quod si ageremus statim ejus ardoris vulnus profunde in corde nostro experiremur.

(1) S. Bern. tract. 3 de Pass. Dñi, c. 3.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

V.

« *Mirum sacerdotibus donum tribuam hominum corda, vel etiam durissima emolliendi.* »

1. Pretiosissima hæc promissio est atque a Dei ministris non modo desideranda sed expetenda. Quid enim tot labores proximorum salutis causa suscepti prodessent, nisi hominum corda emollire sciremus? qui sane absque hoc Dei dono Christi missione fungi queamus? Profecto hominibus per se datum non est corda hominum tangere ad salutem, eaque ad meliorem frugem convertere: sine Dei gratia, quæ hominum corda et mentes prævenit, disponit, dirigit atque ad bonum faciendum impellit, nostris ministeriis, nostroque verbo nisi aerem percutere non possumus. « Deus est qui operatur in nobis velle et perficere pro bona voluntate (1). » Quare S. Cyprianus: « In nullo gloriandum, inquit, quando nostrum nihil sit (2). » Et ad rem pressius S. Ambrosius: « Ubique Domini virtus studiis cooperatur humanis, ut nemo possit ædificare sine Domino, nemo quiddam incipere sine Domino (3). » At quærendum aliunde a discipulis testimonium non est, cum Magister dicat:

(1) Ad Phil. II, 13. (2) L. 3 ad Quir. 4.
(3) L. 2, in Luc. III.

« Sine me nihil potestis facere (1). » Igitur potestas nulla nobis est animas hominum a vitiorum cœno ad virtutem adducendi.

2. Difficilior autem res redditur cum ob perversas habitudines, pravas affectiones, animi incredulitatem et repetitam illustrationibus et inspirationibus divinis resistentiam, cor hominis induratum prorsus est, nec amplius conscientiæ synderesim persentit; quî enim fieri potest, ut hominem brutis animantibus similem redditum ad humanos divinosque sensus adducamus? Quid tum nostra quæcumque eloquentia, nostraque vox nisi aerem verberare poterit? Quod sane experientia noscimus, cum sæpissime de hac hominum cordis duritie querimur, nostrorum laborum inutilitatem extollimus, hominum perversitatem atque circa eorum æternam salutem inertiam corripimus, quasi hæc nullatenus eos eorumque bonum pertingat. Tunc fervida instamus prece, sacrificiis et expiationibus misericordem Deum flectere conamur: at ipse non semper nostris votis vel peccantibus hominibus propitius fit, ut eis quæ optamus largiatur.

3. Jam Christi vulneratum Cor omnibus patescit atque latissimum præbet aditum, quem qui ingrediuntur animæ sordes deponunt et abluuntur sanguine. Inde nobis

(1) Joan. XV, 5.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ejus ministris non modo communes sed specialissimæ tribuuntur gratiæ quibus durissima etiam scelestissimorum hominum corda emolliamus. Ipse est Jesus qui lapidea corda in carnea commutare solus potest, ut gratiæ influxus sentiant et vivant; ipse est enim qui promisit: « Et effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, et ab universis idolis vestris mundabo vos. Et dabo vobis cor novum et spiritum novum ponam in medio vestri: et auferam cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis cor carneum. Et spiritum meum ponam in medio vestri: et faciam ut in præceptis meis ambuletis et judicia mea custodiatis et operemini (1). »

4. Hæc est aqua illa, quæ ex Corde Domini Jesu fluxit, quæque sanguine mixta jugiter in hominum corda instillatur atque pervadit, ut molliora ad gratiam recipiendam efficiat, purget a noxiis atque pura coram Deo reddat. Hic est spiritus ille novus, qui ex Christi et Patris æterni corde procedit, quique charitatem in hominum cordibus diffundit, atque adamantina etiam liquefacit, ut deinceps non terrestrium neque carnalium, sed cœlestium et spiritualium amore ardeant et consummentur charitatis igne erga Deum et proximum: hoc novo recepto spiritu, homines in præceptis divinis, in viis

(1) Ezech. xxvi, 25. 27.

justitiæ ambulant, et judicia Dei custodiunt et operantur.

5. Christus autem promissionibus suis non deest. Jam nunc quos quantosque copiosos fructus edant, qui totis viribus devotionem erga Cor sacratissimum Jesu præ omnibus colunt et prædicant, evidentissime videmus, quique ad Cordis Jesu cultum propagandum associationes instituunt vel promovent, lateque diffundunt. Quod si præterea magno erga sacratissimum Cor amore ferantur, ejusque charitatem in suis cordibus augeant, dubitandum non est quin eorum verba efficacissima fiant, atque penetrabiliora omni gladio ancipiti hominum corda pervadant, eorumque duritiam vincant. Oh utinam! omnes viri religiosi et ecclesiastici hæc bene intelligerent; utinam! Christi promissionibus frui vellent; brevissimo tempore certissime mundum ad Deum conversum videre esset, atque stultissimos terrestris lætitiæ risus in pœnitentiæ lacrymas commutatos.

6. Atqui hujusmodi prodigium nonnisi lacrymis pœnitentiæ et sacrificiis nostris extundere licebit, necnon ferventissima ad Cor Jesu elata prece, qui primus pro nobis preces suas et sacrificium Deo Patri obtulit. Accedamus igitur ad Cor Jesu, ad hunc purissimum et uberem omnis gratiæ fontem accurramus: ipsi primum pro nobis ex hoc sanctimoniæ fonte rivulos hauriamus,

bibamus ex his aquis in vitam æternam salientibus, bibamus et satiemur, ut postea de nostra plenitudine in alios refundamus, quos ad eosdem ducamus fontes, qui omnibus patent, nec unquam fiet ut exhauriantur. Hoc Cordi Jesu solatium demus, qui clamat in plateis: « Si quis sitit veniat ad me et bibat (1); » et « Omnes sitientes venite ad aquas, et qui non habetis argentum, properate, emite et comedite: venite, emite absque argento, et absque ulla commutatione vinum et lac (2). »

VI.

« *Eorum nomina, qui hanc devotionem propagare studuerint, in meo Corde scribentur, nec unquam fiet ut deleantur.* »

1. « Nemo, quandiu in hac mortalitate vivitur, de arcano divinæ prædestinationis mysterio usque adeo præsumere debet, ut certo statuat se omnino esse in numero prædestinatorum, quasi verum esset, quod justificatus aut amplius peccare non possit, aut, si peccaverit, certam sibi resipiscentiam promittere debeat. Nam, nisi ex speciali revelatione, sciri non potest quos Deus sibi elegerit (3). » Et revera cum uniuscujusque æterna salus ex statu gratiæ actuali pen-

(1) Joan. VII, 37. (2) Isa. LV, 1.
(3) Conc Trid. Sess, VI, cap. 7.

deat et maxime ex perseverantiæ finalis dono, quis certum de ea, nisi Deo revelante, judicium poterit efformare? Etenim « Sunt justi et sapientes, inquit Ecclesiastes, et opera eorum in manu Dei: et tamen nescit homo, utrum amore an odio dignus est: sed omnia in futurum servantur incerta, eo quod universa æque eveniant justo et impio, bono et malo, mundo et immundo, immolanti victimas et sacrificia contemnenti, sicut bonus sic et peccator: ut perjurus ita et ille qui verum dejerat (1). » Altera ex parte finalis perseverantia magnum Dei donum est, « quod quidem aliunde haberi non potest, nisi ab eo, qui potens est eum, qui stat, statuere ut perseveranter stet, et eum, qui cadit, restituere; » quare « nemo sibi certi aliquid absoluta certitudine polliceatur: tametsi in Dei auxilio firmissimam spem collocare et reponere omnes debent (2). »

2. Hæc est terribilis futurorum expectatio, quæ sæpe nostrum conturbat animum, atque efficit ut aliqui in desperationem vel in amentiam incidant. Quod sane tristissimum est: quamvis enim incerti vivere debeamus, omnem tamen spem et firmissimam quidem in Dei auxilio et bonitate reponere et collocare a Concilio Tridentino jubemur. Attamen, attenta animi nostri infirmitate, fieri non potest, ut aliquando nimius timor

(1) Eccle. IX, 1, 2. (2) Conc. Trid., Sess. VI, cap 13.

corda nostra non pervadat, atque opera nostra etiam sancta non distrahat, cum cogitatio menti occurrit: «Salvus ne ero an non?»

3. Huic formidini levamen afferre Christus voluit, sui sanctissimi Cordis aulam reserando, ut in ea securi condamur, plena in eum fiducia, qui ait: « Ego sum resurrectio et vita: qui credit in me, etiam si mortuus fuerit vivet: et omnis, qui vivit, et credit in me, non morietur in æternum (1). » Utique absolutam pro unoquoque nostrum certitudinem, etiam ex hac Christi promissione habere non possumus; nescimus enim certe, utrum quantum satis est credamus et vivamus in eo; sed si moraliter certi sumus, nempe prudenter arbitrari possumus cor nostrum erga Cor Jesu ardere, totisque nos viribus adlaborare, ut ejus devotio fuse lateque diffundatur; nonne ex hac promissione tranquillam quamdam securitatem circa ea quæ futura nobis sunt ex Dei misericordia concipiemus? Quid enim est nomina nostra in Corde Jesu scribi, nec unquam futurum ut deleantur, nisi nomina nostra in libro vitæ scribi, nec unquam fore ut deleantur? In libro autem vitæ nomina scribi nihil aliud, ut arbitror, est nisi nos ad vitam æternam destinari. « Gaudete quod nomina vestra scripta sunt in cœlis (2). » Etenim Christi Cor vitæ fons perennis et

(1) Luc. x, 20. (2) Joan. xi, 25, 26.

origo, omnium simul electorum liber est vitæ: « Pater enim non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio... et sicut Pater suscitat mortuos et vivificat: sic et Filius quos vult vivificat (1). » Filius, inquam, cujus solius nomen datum est hominibus ut salvi fiant, quique salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum (2).

4. Quod si nomina nostra in Corde Jesu scribi et nunquam deleri, ita intelligere velis, ut ab eo diligamur, scias ergo nunquam amplius futurum ut ab eo non diligamur, nunquam enim fiet ut nomina nostra ex Christi Corde deleantur. Quis autem tam audax sit ut avellat ex Corde Christi, quos ipse ibi, ut amet, recondit? Si oves, quos Jesus manu sua tenet, vis nulla eripere potest (3), quæ unquam vis animas nostras in ejus Corde reconditas, ab eo abstrahat et disjungat? In hoc igitur Corde tamquam in throno regali securi quiescemus; neque mors, neque vita, nec dæmonum virtus separabit nos a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro. Itaque salus æterna, prædestinatio ad vitam illis a Christo promittitur, qui ejus Cordis amorem ubicumque diffundunt: gaudendum ergo nobis est quod nomina nostra scripta sunt in Corde hoc, nec unquam fiet ut delean-

(1) Jo. v, 21, 22. (2) Act. Apost. iv, 12. — Ad Hebr. vii, 25
(3) Joan. x, 20.

tur. Quam dulce est vivere et præsertim in Corde Jesu mori!

5. His verbis etiam intelligamus oportet, nos Cordi Christi devotos sub ejus protectione perenniter commorari. Quid igitur amplius timendum? Abeat metus cum habitemus in adjutorio Altissimi et in protectione Dei cœli commoremur: ipse liberabit nos de laqueo venantium et a verbo aspero; scapulis suis obumbrabit nos et sub pennis ejus sperabimus; scuto circumdabit nos veritas ejus, nec timebimus a timore nocturno; cadent a latere nostro mille, et decem millia a dextris nostris; non accedet ad nos malum, et flagellum non appropinquabit tabernaculo nostro; super aspidem et basiliscum ambulabimus et conculcabimus leonem et draconem. Et quoniam in hoc Corde speramus, liberabit nos; proteget nos quoniam cognovimus nomen ejus; clamabimus ad illud et exaudiet nos; nobiscum erit in tribulatione, ut eripiat nos et glorificet; longitudine dierum replebit nos, et ostendet nobis Salutare suum (1). Potentior enim est amor ejus ad nos salvandum, quam vires omnes angelicæ, humanæ et quæ dehorsum sunt. Itaque iterum atque iterum gaudeamus quod nomina nostra in Corde Jesu scripta reponantur.

(1) Psalm. xc.

PARS SECUNDA

DE IIS QUÆ PRACTICE AGENDA, UT IN NOBIS ET IN ALIIS AMOREM ERGA COR JESU FOVEAMUS

Caput I.

DE ORDINATA ET PERFECTA SACERDOTIS VITA PRO QUOLIBET TEMPORE

1. Absolutis iis, quæ ad devotionem et amorem erga Cor Jesu fovenda impellunt vel disponunt, restat ut practice de iis sermonem habeamus, quæ agenda sunt, ut in nobis atque in aliis hunc ipsum amorem et devotionem foveamus, quo tandem missionem a Christo acceptam sui amoris iguem excitandi, juxta Cor ejus exequamur. Intelligendum imprimis est devotionem erga Cor Jesu hanc ipsam esse Jesu Christi missionem, propterea sitam esse in ea perfectione et sanctitate qua uniuscujusque nostrum animam ornamus, simul conando ut in alios homines hanc ipsam vitæ sanctitatem, quibuscumque id fieri possit modis,

tur. Quam dulce est vivere et præsertim in Corde Jesu mori!

5. His verbis etiam intelligamus oportet, nos Cordi Christi devotos sub ejus protectione perenniter commorari. Quid igitur amplius timendum? Abeat metus cum habitemus in adjutorio Altissimi et in protectione Dei cœli commoremur: ipse liberabit nos de laqueo venantium et a verbo aspero; scapulis suis obumbrabit nos et sub pennis ejus sperabimus; scuto circumdabit nos veritas ejus, nec timebimus a timore nocturno; cadent a latere nostro mille, et decem millia a dextris nostris; non accedet ad nos malum, et flagellum non appropinquabit tabernaculo nostro; super aspidem et basiliscum ambulabimus et conculcabimus leonem et draconem. Et quoniam in hoc Corde speramus, liberabit nos; proteget nos quoniam cognovimus nomen ejus; clamabimus ad illud et exaudiet nos; nobiscum erit in tribulatione, ut eripiat nos et glorificet; longitudine dierum replebit nos, et ostendet nobis Salutare suum (1). Potentior enim est amor ejus ad nos salvandum, quam vires omnes angelicæ, humanæ et quæ dehorsum sunt. Itaque iterum atque iterum gaudeamus quod nomina nostra in Corde Jesu scripta reponantur.

(1) Psalm. xc.

PARS SECUNDA

DE IIS QUÆ PRACTICE AGENDA, UT IN NOBIS ET IN ALIIS AMOREM ERGA COR JESU FOVEAMUS

Caput I.

DE ORDINATA ET PERFECTA SACERDOTIS VITA PRO QUOLIBET TEMPORE

1. Absolutis iis, quæ ad devotionem et amorem erga Cor Jesu fovenda impellunt vel disponunt, restat ut practice de iis sermonem habeamus, quæ agenda sunt, ut in nobis atque in aliis hunc ipsum amorem et devotionem foveamus, quo tandem missionem a Christo acceptam sui amoris iguem excitandi, juxta Cor ejus exequamur. Intelligendum imprimis est devotionem erga Cor Jesu hanc ipsam esse Jesu Christi missionem, propterea sitam esse in ea perfectione et sanctitate qua uniuscujusque nostrum animam ornamus, simul conando ut in alios homines hanc ipsam vitæ sanctitatem, quibuscumque id fieri possit modis,

insinuemus. Quid enim charitatis ignis sine operibus est vel esse unquam potest? Sicut fides sine operibus mortua est, ita sine operibus charitas vanum nomen est sine re: quare ad rem S. Joannes: « Filioli mei, inquit, non diligamus verbo neque lingua, sed opere et veritate (1). »

2. Cum vero ecclesiastici et religiosi viri ad perfectionis statum vocati fuerint, sane in comperto est eorum opera sancta et perfecta esse debere: «Estote ergo vos perfecti, inquit Magister noster, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est (2). » Hanc nobis perficiendam esse sanctitatem vidimus, tum ex relationibus quæ inter nos et Christum existunt, tum maxime ex altissima dignitate ad quam nos miseros evexit, quod ipsa sua munera suasque potestates contulit, ut eadem sua nobilissima fungeremur missione. Vidimus etiam qua ratione in genere sanctitatem hanc adipisci possimus, tum ex vitiorum resecatione, tum ex virtutum solidarum acquisitione. Itaque reliquum est, ut specialius de modo vitam nostram in ordinem redigĕndi agamus, quo perfecta et sancta sit, respondeatque fini, quem Christus in nostra ad sacerdotium electione habuit.

3. Duobus capitibus sacerdotum vitæ ordinem complectemur, ut primum de iis, quæ pro quolibet tempore necessaria sunt

(1) I. Joan. III, 18. (2) Matth. V, 48.

pertractet, scilicet de officiis servandis erga Deum, erga nos ipsos et erga alios; aliud vero de iis quæ unicuique speciali tempori vel actioni inserviunt, quomodo videlicet recte vitam et sancte peragamus unoquoque die, hebdomada, mense et anno. Quibus declaratis, tertium caput de speciali perfectione aliquid attingit, qua devotionem erga Cor Jesu in nobismetipsis atque in aliis fovere debeamus. Extremo tandem hujus devotionis exercitia declarabimus multiplicia externa, quæ multum conferunt ad interiorem erga Cor Jesu fovendum amorem.

I.

Officia religiosi et ecclesiastici viri erga Deum.

Hoc titulo omnia ea complectemur, quæ in Dei honorem cedunt, quæque prima et principalia hominis et specialius ministri Dei officia constituunt. Talia sunt: religio, pietas, devotio, oratio, et alia in genere, quæ cultum Dei spectant sive externum sive internum. Hæc distinctis paragraphis sunt nobis tractanda.

§ I.

De religione erga Deum.

1. Primum christiani hominis et præcipue ministri religionis officium est, ut religiose

Deum colat. Religio cultus est adorationis, quem *latriæ* dicunt, erga rerum Conditorem ac Dominum, quem omnibus universitatis hujus rebus dominari credimus, eaque sapientia, potentia et bonitate sua moderari, quique in bona retribuendo iis qui bene agunt, vel eos puniendo qui male agunt, justus et misericors est. Adoratio vero in eo sita est, ut creatura ratione prædita hæc omnia recognoscens, maximi in primis Deum æstimet, deinde se suaque omnia plene ipsi submittat, quia omnia ejus sunt et nos populus ejus et oves pascuæ ejus. Adoratio hæc debet esse suprema, ut nihil Deo nec vitam ipsam, quam carissimam habemus, ei nunquam præferamus, quia ipse summum est Ens; parati potius mori quam fœdari.

2. Præter *charitatem*, de qua alibi loquuti sumus, ad religionem pertinent *fides* et *spes*.

De fide. — Fides nobilissima est virtus, qua scientes Deum sapientissimum et veracem esse, omnes firmiter credimus veritates, quas vel ipse per se vel utcumque per suos delegatos et ministros hominibus revelat: nulla enim nobis esse potest dubitatio in iis, quorum Deus auctor est, qui ipsa veritas est. Cum multa alibi de fide dixerimus, hic tantum commendandum putamus, ut per repetitos actus hanc in nobis virtutem

augeamus: oportet enim ut ea non modo firma sed vivida sit atque in opera omnia influat, cum nihil credere juvet nisi agamus: « fides sine operibus mortua est. » Repetamus ergo assidue: « Credo, Domine, auge fidem meam... Domine, credo quæ dixisti quia verax es... Domine, da mihi lumen ut videam claritatem tuam. » Firmiter et sine ulla hæsitatione credamus: quod ut fiat, humillime et simpliciter credamus, non enim nostra ratio divina ratione altior est, nec aliquid in divina ratione esse unquam potest, quod nostræ minimæ rationi contrarium sit: nostra ratio divina etiam hoc sensu est, quod a Deo immissa fuit et ad ejus imaginem facta; Deus igitur sibi ipsi contradicere nullatenus potest.

3. Itaque quodcumque Ecclesia, quæ magistra et columna veritatis est, nobis credendum vel tenendum proponit, quamvis oppositum ut verum arbitrati fuerimus, statim hoc ut falsum, illud ut verum credamus, hanc sequentes S. Ignatii regulam: « Si quid, quod oculis nostris apparet album, nigrum Ecclesia esse definierit, debemus itidem quod nigrum sit, pronuntiare. » Cujus rei hanc optimam reddit rationem: « Indubitate namque credendum est eumdem esse Domini nostri Jesu Christi et Ecclesiæ orthodoxæ, sponsæ ejus, spiritum, per quem gubernamur ac dirigimur ad salutem: ne-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

que alium esse Deum, qui olim tradidit Decalogi præcepta, et qui nunc temporis Ecclesiam hierarchicam instruit ac regit (1). »

4. De Spe. — Spes virtus illa est, qua scientes Deum potentissimum et optimum esse, firmiter ejus promissa expectamus, scilicet vitam æternam et media omnia, quæ ad hanc acquirendam necessaria sunt: fidelis enim Deus et potens a proposito suo nunquam deficiet, promissis indubie stabit, modo quæ ipse vult opere exequamur. Speremus igitur in Domino et faciamus bonitatem, ut pascamur in divitiis ejus (2). Quod videlicet sperando in Deum, ab observatione præceptorum ejus cessandum non est: nam hæc præsumptio non spes esset, ubi a Deo vitam æternam expectemus, quin bonum agamus. Nec contra perverse agendo de Deo desperandum est, quia infinite bonus et misericors est, ut iis quos peccasse pœnitet parcere possit et velit. Non tamen Dei justitiam per misericordiæ abusum provocemus, quia misericors Deus æque justus est, nec facile iis parcit qui eum tentant. Spem virtutem supernaturalem ita concipere debemus, ut de nostris viribus diffidentes, quia debiles sunt et merendi incapaces, omnem nostram in Deo fiduciam reponamus, non tamen putemus omnia ab eo agenda

(1) Exerc. Spir. Reg. ut cum Eccl. sentiamus 13.
(2) Psalm. LXXVI.

esse, cum cooperatio nostra omnino necessaria sit. Hujusmodi spem S. Paulus docet cum inquit: « Non ego, sed gratia Dei mecum (1). »

5. Sacerdos hanc spei virtutem non modo circa seipsum et sua, sed etiam circa ministeria, quæ ad proximum referuntur, exerceat. Etenim non modo sperandum ipsi est fore, ut Deus sibi auxilia opportuna præbeat ut salvetur, sed etiam futurum, ut omnes gratias et media necessaria tribuat, quibus homines salvet. Quis magis quam sacerdos hæc auxilia expectare potest, cujus « Dominus est pars hæreditatis et calicis? Cum igitur suo officio fungitur et Deo obedit, sacerdos hæc Deo repræsentet: « Tu es, Domine, pars hæreditatis meæ et calicis mei... in quo fiduciam meam securius reponam? ego pro te omnia dereliqui et sequutus sum te. Portio mea Dominus, spes salutis meæ: tu, inquam, venies ad me et occurres mihi ut ad te oves pascuæ tuæ adducam. » Frequenter hos actus repetat sacerdos neque hæsitet sed speret: « qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui a vento movetur et circumfertur. Non ergo æstimet homo ille quod accipiat aliquid a Domino (2). »

(1) I. ad Cor. XV, 10. (2) Jac. I, 6, 7.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

§ II.

De pietate erga Deum.

6. Religio pietate ornatur, quæ eam auget, perficit et servat. Paulus discipulum suum Timotheum hortatur, ut seipsum ad pietatem habendam exerceat, cujus hanc rei rationem reddit : « Pietas ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est et futuræ (1). » Pietas affectio est filialis erga Deum, cui non modo ut optimo hero sed ut amantissimo Patri adhæremus, quia revera pater est, atque omnia nostra committimus et devovemus, ut non ex timore sed ex amore, quæ ipse vult perficiamus eique obtemperemus, parati ad reverentiam et obedientiam etiam in arduis ei exhibendam, quamvis mori oporteat ad nostræ servitutis testimonium reddendum.

7. Nemo non videt quanti Dei ministris hæc virtus sit facienda, quoniam fidelibus omnibus christianis magnopere commendatur. Quorsum enim ministri Dei sunt, nisi ut « eorum lux luceat coram hominibus, ut videant bona opera eorum et laudent Patrem nostrum qui in cœlis est ? » Ipsorum sane est fideles sæculares ad pietatem hortari, propterea præcedere debent exemplo et quod docent actibus efficere. Fideles igi-

(1) I ad Tim. IV, 8.

tur gratiæ divinæ simus, ut pietatem in omnibus exerceamus : gratiæ, inquam, quæ nos prævenit et sollicitat, ut pie agamus ; videant fideles homines nobis subjecti magni nos Deum facere et omnia quæ ad ipsum honore debito prosequendum spectant. Neque putemus excusationi locum esse, quod nihil fervoris sensibilis experiamur ; pietas enim non in hoc proprie consistit, sed in ea voluntatis dispositione, qua quæ ad Deum pertinent bene et studiose agamus, non ex pœnarum timore, sed ex amore erga Patrem nostrum, cui in omnibus obsequi volumus et placere, adeo ut parati simus non modo quæ gravia sunt sed quæ levia vitare, ne ipsi in ullaquaque re displiceamus. Talis est erga parentes suos filiorum filialis pietas, qua ipsis ad mortem usque obeundam devoventur.

8. Qui pius est quæ Dei sunt cordi habet : propterea amat præ omnibus spiritualia exercitia, in quibus Deo suo uniri potest, cum eoque conversari. Qui pius est quæ Deus instituit diligit, quæ ipse amat, quæ jubet, quæ ipsius imaginem præseferunt, quæ denique in ejus honorem cedere possunt ardenter recipit, suoque obsequio prosequitur. Ideoque qui pius est Ecclesiam sponsam Christi diligit, magna reverentia quæcumque in ea sunt et fiunt tractat et colit, cum Deus ab hominibus offenditur, profunde tri-

statur, nec minori tristitia afficitur cum Ecclesia Christi ab impiis conteritur; de animarum conversione æque ac de Ecclesiæ triumphis gaudet, magisque Deo suo uniri diligit quam cum hominibus conversari. Hi sunt aliique multi pietatis actus, quos ut exerceamus sensibilis pietas nullatenus requiritur, quam Deus quibus vult ut donum tribuit. Conemur ergo Deum imprimis, deinde quæ Dei sunt magno pretio æstimare ac corde recondere, ab hac enim vera et sincera æstimatione pietas pendet, quæ nonnisi charitate fundatur.

§ III.

De devotione erga Christum et Sanctos.

9. Pietatis proprium est hominem afficere erga Christum ejusque mysteria, erga beatam Mariam Virginem ejus matrem, et ea quæ in Ecclesia in ejus honorem fiunt, denique erga Sanctos et Angelos, integrumque cultum, quo a fidelibus Christi coluntur. Hæc specialis affectio devotionis nomine audit, et ad excitandam sive in nobis augendam veram solidamque pietatem aptissima est.

1. De devotione erga Christum Jesum.

10. Convenit sane ut imprimis Christum Jesum debito honore prosequamur, ipse

enim redemptor noster est, caput, magister et dux noster, filius Dei æqualis Patri, pontifex et victima, quæ pro nostris delictis Deo Patri se obtulit. Aliud hominibus datum non est nomen, testante Petro, in quo salvi fiant, nisi sanctissimum Jesu nomen, quo invocato, omne genu flecti debet cœlestium, terrestrium et infernorum, et omnis lingua fateatur necesse est, ipsum Dominum Jesum gloria circumdatum ad Patris sui dexteram in cœlis sedere, ut interpellet pro nobis, potens ad omnes salvandos, quia preces ejus exaudiuntur pro sua reverentia, cum Pater Filium honoret, sicut Filius Patrem in terris degens honore debito est prosequutus.

11. Relate ad Christum Jesum speciali devotione colere oportet: a) ejus sanctissimam *passionem*, b) *Eucharistiæ* sacratissimum sacramentum, c) *Cor* ejus amantissimum.

a) *De Christi Jesu passione.* — Ad peccatorum dolorem in nobismetipsis et in aliis excitandum, ad amorem ciendum, denique ad sensibilem etiam devotionem procurandam et teneri affectus lacrymas effundendas, efficacissimum medium est frequens passionis Christi cogitatio, ejusque dolorum atque ignominiarum meditatio. Christum cruci affixum præ oculis sacerdotes, religiosique viri habeant, quem unice prædicare debent, eum cordi admoveant, ejus ignominias, pauper-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tatem, tormenta, derelictionem, lacrymas animo revolvant, osculentur plagas, veluti speculum adspiciant, in quo sese contemplentur, in adversitatibus, in angustiis, in tentationibus, in animæ corporisque doloribus ejus pedibus se prosternant, amplectantur et gemitus edant; Christum cruci affixum in dubiis et anxietatibus consulant, atque meminerint S. Bonaventuræ et aliorum sanctorum, qui hunc sibi unicum librum, cui studerent, in tota vita sua elegerant; meminerint S. Bernardi qui « fasciculum collectum ex omnibus anxietatibus et amaritudinibus Domini sui colligare, et inter ubera sua collocare curavit . . . hæc propterea sibi in ore frequenter... hæc in corde semper . . . hæc in stylo suo familiaria . . . hæc ejus sublimior philosophia, scire Jesum et hunc crucifixum (1). » Profecto hac sola devotione magis in perfectione et vitæ sanctitate proficiemus, quam si multa alia in hunc finem interna sive externa adminicula adhibeamus. Ad hæc negligenda minime est antiquissima et tenerrima *Viæ sanctæ crucis* devotio, quæ saltem feria sexta peragi deberet. Neque hac ipsa veneranda die pœnitentiæ aliquod externum exercitium et recitatio quinquies *Pater* et *Ave*, ad memoriam quinque Christi vulnerum ejusque mor-

(1) S. Bernard. serm. 42 in Cant.

tis, hora diei tertia, recolendam, omittenda, nec minimi facienda videntur.

12. b) *De Eucharistiæ sacramento.* — Eucharistia amoris mysterium est nobis a Christo relictum ut passionis ejus ac mortis commemorationem faciamus: at præcipue amor Christi in hoc mysterio est considerandus. Presbyter qui quotidie ad illud celebrandum accedit, qui manibus suis sanctissimum Christi corpus tractat, ore sumit, corde recondit, quanta devotione, quantoque affectu erga Jesum sub panis et vini speciebus in hoc mysterio absconditum ferri debet? In mentem revocet in eo vitam et resurrectionem esse, hoc enim corpus « est panis vitæ, et qui in eo vivit vitam habeb't et abundantius habebit; « qui eo reficitur « etiam si mortuus fuerit vivet, et qui vivit et manet in eo non morietur in æternum » Sacerdotis etiam est frequenter Eucharistiæ sacramentum invisere, et ex eo pro suis ministeriis animi fervorem haurire: hoc ipsi solâtium et lætitia in cordis anxieta ibus et in adversitatibus erit; quid enim Christo dulcius, quid suavius, qui ut victima et holocaustum in altarium tabernaculis pro nobis residet? Inde justi et sancti homines lumina recipiunt, ardorem et animarum zelum, inde pacem animi et quietem. Saltem ter in die, mane, meridie et vespere invisendus a Sacerdote Christus in Eucharistia esset, ut tres

præcipuas diei partes ipsi offerat, novasque vires ad agendum et ferendum sumat. Eucharistiæ sacramentum cibus est fortium et vinum exhilarans virgines.

13. c) *De Ss. Jesu Corde.* — Denique, quoniam cor Jesu tum passionis, tum eucharistici amoris Christi quasi compendium esse videtur, nemini dubium est quin impensissimo amore, ardentissimaque devotione colere et revereri, quibuscumque id possit modis, debeamus. Qui ad Cor Jesu accedit vitæ et amoris fontem inveniet. Sed quia de hac devotione multa hactenus dicta sunt et inferius dicentur, non est cur hic de ea longius agamus. Oh utinam! viri omnes ecclesiastici et religiosi in Corde Jesu viverent, utinam hoc Corde delectarentur, illudque in mente, in ore, in corde semper haberent, ut nihil jam carius, nihil jucundius ipsis esset, quam hoc Cor diligere, laudare, frequentare! Si id agerent animi tepiditatem fervor, tristitiam lætitia, infirmitatem vigor, omnemque debilitatem virtus vinceret, vereque christiferi essent, ut Christi sunt et a Domino uncti.

2. De devotione erga B. Virginem Mariam.

14. Post Christum in beatissimam Virginem Mariam noster amor, nostraque devotio ferri debent. Quid post Christum beata

Virgine sanctius, quid dulcius, quid nostra reverentia dignius? Hæc est filia Altissimi, mater Christi, sponsa Spiritus sancti; hæc gratia plena et adeo sancta et immaculata, ut ejus sanctitatis fundamenta sint in montibus sanctis; hæc corredemptrix nostra est et inter Christum et homines mediatrix, quia ipsi Redemptoris carnem debemus, quæ pro nobis cruci est affixa ejus consensu, sine quo nulla facta esset redemptio; hæc est Ecclesiæ mater et nostra, quod in doloribus sub cruce homines vitæ peperit, ut filii Dei per Christi sanguinem nominarentur et essent; hæc est regina nostra, Christi fidelium omnium refugium et auxilium; hæc post Christum spes est et salus eorum, qui in Christum credunt; quia et ipsa fons vitæ et gratiarum omnium est, quæ in mundum et in homines profluunt, quippe quod « omnia Christus nos habere voluit per Mariam. »

15. Præterea licet nos sacris ordinibus insignitos speciali ratione Mariæ filios considerare, quia Filii ejus fratres, amici et in eadem prosequenda missione socii sumus. Jam vero nonnisi Mariæ ope hanc exercere et perficere fas est: ipsi enim a Christo hominum salus commissa et a Spiritu sancto ut gratiarum rivuli et charitas in omnes effundantur. Quod si nostris incœptis, nostrisque laboribus peccatum et cordis humani vitia obstant, si adversis rebus ac persecu-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tionibus, in nostris obeundis ministeriis premimur, nonne hæc omnia per Mariam superabimus, quæ serpentis caput virgineo pede contrivit, et cui datum est ut omnes hæreses sola interimat in universo mundo? Ipsa enim pulcra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata, nos solari, Dei amore inflammare, atque in nostrum auxilium ferri potest; ipsa omnium virtutum Christi purissimum speculum data est, ut suos lucis radios in nos conjiciat, quo lumine accepto, sancti et integerrimi fiamus.

16. Tria ad B. Virginem Mariam speciali honore colendam commendamus: a) *immaculatam* ejus *Conceptionem*, b) *dolores* ejus, c) *Cor* ejus *sanctissimum* et *immaculatum*.

a) *De Mariæ conceptione immaculata.*— Devotione et cultu erga suam immaculatam conceptionem valde Maria delectatur, hoc enim ejus est præcipuum privilegium et omnium aliorum origo; per hoc factum, ut Mater Dei esset et nostræ salutis causa; hoc Maria ceteris privilegiis atque etiam divinæ Maternitati quodammodo præfert, quia per hoc Deo proximior fit atque in ejus sinu requiescit. Itaque nostro ævo privilegium hoc B. Virgo suis filiis Christi fidelibus prædicat, quod per illud abundantes vult a Deo gratias impetrari, quibus homines convertantur et

vivant. Sacerdotes ergo in hoc voto Mariam matrem suam adjuvent, hanc in se primum atque in aliis devotionem foveant, nec parvi pendant immaculatæ Conceptionis scapulare, tot privilegiis indulgentiisque a Summo Pontifice Pio IX, atque ab aliis Pontificibus cumulatum.

17. b) *De Mariæ doloribus.* — Mariæ dolores lætitiæ nostræ et vitæ causa fuerunt; cum enim sub cruce Mariæ anima doloris gladio transfigeretur, inde statim lancea Filii ejus cor transverberavit, unde aqua cum sanguine mixta exiliit, ex qua Ecclesia sponsa Christi efformata', et Maria, melius quam Heva, mater dolorosa simul et læta viventium multorum effecta est. Hanc compatientis animi affectionem erga suos dolores tanti facit B. Virgo, ut aliquando promiserit fore, ut suis devotis filiis occurrat cum in angoribus vitæ et in mortis agone versantur. In vitæ curriculo non raro accidit, ut sacerdotes Mariæ solatiis sive pro se, sive pro aliis indigeant: compatiantur ergo Mariæ doloribus, dieque Sabbati Virgini sacro aliquid specialius statuant, quod in ejus honorem agant. Sed præsertim die Sabbati hebdomadæ sanctæ, ne Mariæ doloribus saltem per demihoram compatiendi obliviscantur.

18. c) *De sanctissimo et immaculato Mariæ Corde.* — Cor B. Mariæ sui erga nos

amoris symbolum est æque ac Cor Filii sui, quin et hujus amoris sedes et origo, ex quo purissimus effluit sanguis, unde Christi caro redemptoris nostri coagulata et compacta fuit. Cor hoc centrum etiam fuit omnium dolorum atque amaritudinum, quas vehementissime piissima et sanctissima Virgo in agone Filii sui persensit ad nostra expianda peccata. Denique cor hoc omnium gratiarum thesaurus factum est, quæ veluti per rivulos in homines diffunduntur, refugium est peccatorum hominum et totius auxilii fons, quod in nos diffluit. Cum Dei ira, nostris atque mundi criminibus infesta, supplicia minatur vel pœnas intentat, in Mariæ sinu nos recondamus, cor Mariæ invocemus, nos nostraque huic cordi devoveamus; absque dubio enim fiet, ut bona Mater, cujus cor suavissimum et sine felle est, statim adveniat, dexteramque divinam supplici sua omnipotentia contineat, ut nobis veniam tribuat.

3. De devotione erga Angelos et Sanctos.

19. Restat ut pauca de devotione erga Angelos et Sanctos dicamus. Angeli sunt excelsi spiritus et ministri Dei, qui coram Altissimi throno adstant, ut æternum laudent atque, ut jubentur, in hominum bonum accurrant; principes sunt militiæ cœlestis et natura sua ipsis hominibus superiores. Sancti sunt justi et electi Dei, quibus rerum Conditor coronam largitus est sempiternam, «ut cum eo regnent et dominentur populis et judicent nationes» quasi reges, dii et filii Altissimi. Quis neget honorem ipsis et cultum deberi? Angeli et sancti preces nostras et pia opera Deo offerunt, quasi purissimum et odoriferum thymiama, unde fit ut ascendat oratio et descendat Dei miseratio. » Angeli et Sancti incessanter pro nobis exorant, Deoque sua merita, suasque satisfactiones offerunt, nec pro nostra salute adlaborare dedignantur, prout eis Deus concedit.

20. Sanctorum et Angelorum cultus in id recidit, ut Deo ipsi gratias agamus, qui eos gloria et honore coronat, postquam charitate sua ad perfectam sanctimoniam elevavit, ac nobis eorum facta et verba ut virtutum omnium exempla præbuit, quæ ut sancti fiamus imitemur. Qui enim Christum Dominum imitari, ut decet, possemus nisi minora atque imitabiliora exemplaria essent, quæ magis nostræ infirmitati conveniunt et aptiora videntur? Præstat igitur ut Angelos atque Sanctos nobis amicos faciamus, ut sua quam obtinent familiaritate apud Deum, ipsum nobis amicum efficiant.

21. Inter Angelos imprimis honorem meretur S. Michael archangelus militiæ cœlestis princeps, gloriæ divinæ acerrimus de-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

fensor atque Ecclesiæ totius patronus, quem Deus ipse sæpe ab hominibus honorari voluit. Post eum sancti Gabrielis incarnationis Christi legati, sanctorumque angelorum custodum devotio per se ipsa gratitudinis etiam causa commendatur. Inter sanctos post beatam Virginem Mariam primas tenent S. Joseph sponsus ejus, nutritius Christi, recentissime in principalem Ecclesiæ patronum electus, et S. Joannes Baptista præcursor Domini, quem ipse Jesus publico elogio prosequutus est, cum diceret « Inter natos mulierum non fuisse majorem Joanne Baptista (1). » His addendi apostoli et discipuli Christi, Ecclesiæ fundamenta et lumina, qui effuso sanguine nobis gentilibus et idololatricis populis fidem et vitam tradiderunt. Denique specialis patronis nostris et publicis Ecclesiæ vel regni et patriæ cujuscumque cultus reddendus. Hi omnes, cum a Deo præferantur, vel in nostrum emolumentum jugiter egerint vel agant, valde decet, ut quotidiana memoria digni habeantur. Ne vereamur eos vel una simul vel singulatim in publicis vel privatis necessitatibus invocare, potens enim est Deus eorum ope beneficia quamplurima fidelibus suis distribuere, ipsique nos ut fratres diligunt, magnaque charitate prosequuntur.

(1) Luc. VII, 28.

§ IV.

De Oratione.

22. Ad religionem, pietatemque augendam præcipuum a Deo et Christo medium traditum oratio est, qua per laudis sacrificium Deo Creatori nostro debitum cultum, ut par est, tribuimus, ad eum spe, votis ac desiderio erigimur, eique familiari quadam conversatione adhæremus. Oratio efficit ut Deum clarius et facilius cognoscamus, ejusque perfecta attributa, et quæ in hominum bonum operatus est distinctius prævideamus. Hac habita cognitione, cor nostrum ardentiori inflammatur amore: « In meditatione enim mea, exardescet ignis (1).» Qui orationi incumbunt mundo corde sunt, pii, casti, zelo divinæ gloriæ ardentes et salutis animarum, suisque officiis ac muneribus recto pacatoque animo funguntur; qui contra orationem negligunt, frigidi vel tepidi in Dei servitio, paullatim ab officio desciscunt. Ideo apostoli ut orationi frequentius operam darent, diaconis electis, temporales terrestresque curas ad viduarum, orphanorumque indigentiam sublevandam commiserunt; intelligebant enim Dei ministrum sine oratione nomen quidem presbyteri non rem habere (2).

(1) Psalm. XXXVIII. (2) Act. Apost. VI, 4.

Duplicis generis oratio est, quarum prima *oratio vocalis* audit, altera *meditatio:* de utraque agendum, quæ cuicumque Christi fideli, sed maxime sacerdoti necessaria est.

1. De Oratione vocali.

23. Sacerdos mediator est seu intercessor, qui a Deo pro Christifidelibus gratias impetret et criminum remissionem, iram divinam contineat et justitiam placatam deliquentibus hominibus reddat. « Oportet igitur semper orare et non deficere (1). » Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis : qui condolere possit iis, qui ignorant et errant : quoniam et ipse circumdatus est infirmitate : et propterea debet quemadmodum pro populo, ita etiam et pro semetipso offerre pro peccatis (2). » Itaque Apostoli putarunt orationi ab ipsis instandum et verbo Dei : hæc duo sacerdotis officia sunt, quorum tamen unum alteri præesse debet, atque mutuo sibi occurrere, ut hoc sine illo perfici nequeat.

24. Quatuor has præcipuas habeat dotes sacerdotis oratio : sit *fervens*, foveatur *fide*, *humilitate* condiatur, *perseverantia* solidetur.

Sit *fervens*, scilicet ex charitatis ardore

(1) Luc. xviii, 1. (2) Ad Hebr. v, 1-3.

vim sumat, tepidos enim et peccati labe pollutos Deus ordinario non audit. Porro fervens ac proinde efficax oratio ea est, quæ in nomine Christi fit, nempe in spiritu et charitate Christi et juxta ejus voluntates : « Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam (1). »

25. Foveatur *fide :* nam fides prima est conditio quam Christus requirit : « Quæcumque petieritis in oratione credentes, accipietis (2). — Omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis, et evenient vobis (3). » Hinc intelligimus cur sterilis persæpe sit oratio nostra, quia hæsitantes petimus et magna fiducia caremus. Quando sane factum est ut Petrus pene mergeretur? Nonne cum dubitavit? Quare Christus eum reprehendit : « Modicæ fidei quare dubitasti (4)? » Igitur « postulemus in fide, nihil hæsitantes : qui enim hæsitat similis est fluctui maris qui a vento movetur et circumfertur. Non ergo æstimet homo ille quod accipiat aliquid a Domino (5). »

26. Sit *humilis :* sacrificium enim laudis oratio est, sacrificium autem nullum est sine creaturæ subjectione Creatori suo. « Oratio humiliantis se nubes penetrabit (6). » Duo viri templum Jerusalem ingrediuntur, alter

(1) Joan. xiv, 13. (2) Matth. xxi, 22.
(3) Marc. xi, 24. (4) Matth. xiv, 31.
(5) Jac. i, 5 seq. (6) Eccli. xxxv, 21.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

publicanus est, alter pharisæus, hic superbus, alter autem humilis: ambo orant, sed publicanus, justificatione accepta, in sua rediit, pharisæus vero exiit condemnatus, quia « Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam (1). » Quis tu es, qui Deum arroganter rogare audes? anne famuli proprium est dominum suum superbe alloqui, ut aliquid ab eo impetret? Qui petit et orat miseriam, impotentiam, indignitatem ac debilitatem suam recognoscat, quod nisi faciat dignus est qui a Deo repellatur.

27. Sit *perseverans:* Deus enim fidem nostram atque humilitatem in oratione probat, differt, non ut neget, sed ut congruo tempore det, quandoque ut melius det et modo æternæ nostræ saluti utiliori. Quapropter « oportet semper orare et non deficere (2) » instare oportet et saepius pulsare, quia « pulsanti aperietur » et ut Deus nos « propter importunitatem nostram exaudiat. » Cum oramus pauperes sumus, qui ad omnium thesaurorum divitem Deum nostras dirigimus preces: pauperes autem instant et repetitis vicibus postulant, ut quod petunt obtineant: quare Christus: « Petite, inquit, et dabitur vobis: quaerite et invenietis: pulsate et aperietur vobis (3). »

(1) Prov. III, 34. (2) Luc. XVIII, 1.
(3) Luc. XI, 9.

2. De Officio divino.

28. Ex officio presbyter orat et nomine Ecclesiæ cum canonicas horas quotidie recitat. « Septies in die, ajebat Psaltes, laudem dixi tibi (1): » ideo sancta Ecclesia jubet ut per septem diei tempora, suo nomine et pro omnibus fidelibus Christi, sacerdos laudes et preces ad Deum extollat. Valde ergo decet, ut convenienti modo hæc oratio fiat, non frigide, non tepide, non negligenter: sancte nostro fungemur munere si *digne*, *attente*, *devote* et *statuto tempore* has preces juxta Ecclesiæ spiritum et intentionem recitemus.

29. *Digne* presbyter orat, cum neque interne neque externe aliquid sit quod Deo indignum videatur. Peccatum et animi tepiditas indigna Deo sunt, nec minus indigna corporis situs vel locus indecens. Igitur antequam hanc solemnem orationem Deo offerat, scrutetur presbyter animæ suæ noxas, atque si quid minus Creatore suo dignum inveniat, intenso cordis dolore reparet atque humili animæ contritione; ipso vero decenti corporis situ Deum quem orat præsentem revereatur; in genere templum vel cubiculum ad suas recitandas horas eligat: quod si aliquoties deambulando id faciat,

(1) Psalm. CXVIII.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

curet gressus gravitate, ut omnes sciant eum cum Deo conversari; at loca illa omnino vitet, ubi ex populi frequentia et tumultu facile ad alia animum divertet.

30. *Attente* sacerdos officium divinum recitat: 1° si verborum pronuntiatio vocalis integra et continuata sit; 2° si modo humano animum ad Deum laudandum, in iis quæ legit, advertat; 3° si nec oculos huc illuc vertat, nec aliud opere compleat, quod mentis divagationes facile ingerit; 4° si absque necessitate preces non interrumpat; 5° si saltem materialem verborum et sententiarum sensum intelligere, prout potest, conatur. Meminerit ergo sæpe quid agat, quem orat præsentem esse, et gravissimum atque sublime quo fungitur officium interdiu spiritu revolvat.

31. *Devote* orat sacerdos cum magno affectu sanctaque intentione id agit, atque ita ut cor verborum pronuntiationi concordet. Quid enim labiorum strepitus proderit, ubi cor mutum permaneat et spiritus tepescat? Ne in orando sacerdotes judæos imitemur, qui labiis Deum honorabant, cor autem eorum longe erat ab eo; non enim verba Deus attendit sed cor et animum inspicit orantis, inquit Isidorus. Duo extrema tamen in divini officii recitatione vitanda, quæ devotioni contraria videntur, scilicet festina vel nimis lenta verborum pronuntiatio; primum enim

obtruncationis vel verborum omissionis causa est, alterum defatigationis animi et mentis.

32. *Tempore statuto* divinum officium recitatur, cum saltem ante sacrosancti sacrificii celebrationem matutinae laudes, ante meridiem parvæ horæ, post meridiem vespertinæ laudes et completorium absolvantur, adeo ut saltem tribus distinctis temporibus, juxta Ecclesiæ mentem integra recitatio fiat. Nisi necessitas urgeat, hæc est regula servanda, nec ullo modo pravus præsertim contrahatur habitus sub nocte vel diei finem integras celeriter percurrendi preces. Hic usus, vel potius Ecclesiæ regularum abusus, a Deo nulla ratione probari potest, cum maxime hoc agendi modo presbyter totius vel partis officii omittendæ discrimini se exponat, vel sine ulla devotione recitandæ: quod utrumque malum coram Deo est.

3. De Meditatione.

33. Nobilior atque excellentior oratio meditatio est, quæ consistit in intima Dei cum homine, hominis vero cum Deo collocutione; homo enim Creatorem et Dominum suum contemplatur, de ejusque veritatibus per lumen ab ipso immissum rationem sibi reddit, ut ei sua vota offerat, suasque preces, viam-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

que perfectioris vitæ et salutis æternæ addiscat. Juxta sanctum Augustinum: « recte novit vivere, qui recte novit orare » et ex doctorum sententia, qui meditationem deserit viam salutis deserit. « Desolatione, ait Propheta, desolata est omnis terra: quia nullus est qui recogitet corde (1). » Itaque valde interest ut sacerdos divinarum rerum meditationi frequenter vacet, adeo ut ad minimum saltem quotidie demihoram ad eam quotidie impendat.

Quinque his punctis meditatio continetur: *præparatione*, *initio*, *medio*, *conclusione* et *reflexione*.

34. *a) Præparatio* fit vespere ante cubitum, attenta punctorum prælectione, quæ meditandi materiem die sequenti præbent. Juvat sacerdotibus, ut persæpe de passionis Christi mysteriis et de æternis veritatibus meditentur. Dum puncta præleguntur jam a vespere presbyter fructum aliquem ex meditatione colligendum sibi constituat, de eo æque ac de meditando argumento, antequam somnum capiat et summo mane, statim ac evigilat, mente recogitet, atque horam ad meditandum designatam, omnibus intermissis, sine mora carpat. Libri ad Meditationum subjectum præparandum non desunt: aliquos hic auctores in mentem revocare operæ pretium putamus. Sunt autem: Beuvelet,

(1) Jer. XII, 11.

Nepveu, de Ponte, Lancicius, Neuville, Chevassu. Chenart, Crasset, Avancinus, Busæus, Croisset, Abélly, Médaille, Chappuis, Buissieu, Giraudeau, Segneri, Chaignon, Vercruysse, Spinola, etc.

35. *b) Initium* meditationis duo continet: *orationem præparatoriam* et *præludia*. Sistat se sacerdos coram Deo, eumque præsentem mentis acie intueatur; deinde flexis genibus adoret, gratias agat, humillime de patratis culpis veniam petat et doleat; denique Spiritum sanctum invocet et Christum Dominum, ut lumen ad cognoscendum, fortes impulsus ad agendum recipiat: quæ ut melius impetret B. V. Mariam, S. Josephum suum patronum et angelum custodem oret, ut pro se intercessores habeat. — Domine, doce me orare — Lumen ut videam — Doce me justificationes tuas. —

36. Orationem hanc *præludia* sequuntur, quæ meditationem ipsam præcedunt, atque ad phantasiæ evagationes retinendas apta videntur. Cum veritatem aliquam vel sententiam, aut etiam mysterium ad meditandum proponimus, duo sunt præludia, quorum primum in hoc est. ut scænam aliquam imaginemur præsentem ex. gr. Christum, qui nos alloquitur, interrogat, veritatem inculcat; vel inferna loca tenebrosa etc. aut Christum in horto orantem, cruci affixum, etc. Alterum præludium est specialem pe-

tere a Deo gratiam, ut cognoscamus intime quod meditamur et velimus sincere quod agere optamus. Quod si res meditationi subjecta historica sit, his duobus præludiis alterum præcedat, quo memoria factum historicum recolimus, ut melius præ mente cum meditandum sit habeamus.

37. *c) Medium* seu meditationis corpus est trium animæ facultatum circa propositam meditationis materiem exercitium. *Memoria* revocat et exponit singillatim quæ in unoquoque puncto prælegimus. *Intellectus* singula quæ in eo continentur considerat, per quæstiones aliquas ex. gr. quis? quid? cur? quomodo? quando? quæ motiva? quæ impedimenta? quid agendum? quid egi? quibus mediis? etc. Necesse sane non est ut in omnibus his quæstionibus insistamus: una vel altera satis quandoque esse potest, ut fructum ex meditatione colligamus. At præcipue *voluntatem* per animæ affectus et desideria, per ardentes aspirationes et reliqua in meditando excitare et exercere oportet. Affectus et motus animi, ut par est, meditationis subjecto conformes esse debent, vel tales ut ex eo facile deduci possint. Sint igitur pro re subjecta humilitatis, doloris, gaudii, admirationis, etc. affectus, inter quos preces in Deum perbreves ex intimo animo jaculamur. Hinc sub finem magis instandum, ut firmum propositum praxi mandandum et nostro statui accommodatum eliciamus.

38. *d)* In *fine* fiat quasi omnium recapitulatio, cum sincera proposití exequendi promissione; deinde colloquio vel prece ad Deum, ad Christum Dominum, ad B. Virginem vel ad alios sanctos finis meditationi imponatur. In hoc colloquio nos nostraque commendamus et maxime petimus, ut in his quæ proposuimus firmi simus et fideles. Unum aliquando satis est, quandoque plura pro tempore et animi affectu colloquia fiunt humili corde et majori etiam corporis reverentia.

39. *e)* Meditatione peracta, per aliquot temporis momenta *reflexio* fit, sive examen aliquod instituitur, quo quid boni, quid mali in meditatione egerimus pervideamus. Si omnia recte acta fuerint, gratiæ Deo agendæ, sin vero occurrentes defectus perspiciantur, de iis dolendum et causæ inquirendæ, ut sequenti meditatione corrigamus, vel avertamus. Juvat denique speciali libello lumina a Deo recepta et proposita statuta inscribere, ut serius hæc perlegere et emolumentum ex iis capere possimus.

40. Accidit aliquando ut quis tam infirmo distractoque spiritu sit, ut nullimode meditationi divinarum rerum vacare possit, nec aliquid extundat nisi obtusum caput, si adhuc insistit, adeo ut tempus terere fru-

stra arbitretur, si collecto animo meditari velit:

1° Huic utile est fortasse libro aliquo uti quem attente et lente legat, sibique perbrevi reflexione quæ legit attribuat, aliquosque ciat affectus.

2° Juvat etiam juxta S. Ignatii mentem attente et lente preces aliquas ex. gr. psalmum vel Pater etc. recitare vel legere, atque ad unumquodque verbum vel sententiam brevissime sistere, et quod ipsi utile est, considerare.

3° Bonum quandoque est mandata Dei vel officia nostra lente et attente mente percurrere, atque in unoquoque brevi consideratione morari et perspicere in quo defecerimus, quid peccati in illud admiserimus, quid obstaculi sit quominus perfecte exequamur, quæ media, etc.

4° Quod si et hi meditandi modi non adhuc tranquillam et attentam mentem retineant, faciliori utamur, videlicet preces simpliciter recitando, ita tamen ut pausam ad unumquodque verbum interponamus.

Oratio, quacumque tandem ratione fiat, collocutio cum Deo est: licet igitur his infimis modis cum eo conversemur, magnum tamen humilitate nostra fructum capere possumus: sed nunquam fas est desperato ex animo meditationem relinquere. S. Teresiam pœnituit id per annum egisse, quo

tamen vi quadam adacta cogebatur aliis hoc tam utile exercitium commendare, quod ipsa abjectione intermiserat. Quamvis nonnisi unum verbum sit nobis per horam repetendum, huic tamen orationi insistamus, in hac perseveremus et dicamus: « Domine, miserere nostri » — « Domine, doce nos orare » — « Fiat voluntas tua. »

§ V.

De Ss. Missæ Sacrificio.

41. « Quanta cura adhibenda sit, ut sacrosanctum Missæ sacrificium, omni religionis cultu ac veneratione celebretur; quivis facile existimare poterit, qui cogitarit, maledictum in sacris litteris eum vocari, qui facit opus Dei negligenter. Quod si necessario fatemur, nullum aliud opus adeo sanctum ac divinum a Christi fidelibus tractari posse, quam hoc ipsum tremendum mysterium, quo vivifica illa hostia, qua Deo Patri reconciliati sumus, in altari per sacerdotes quotidie immolatur; satis etiam apparet, omnem operam et diligentiam in eo ponendam esse; ut quanta maxima fieri potest interiori cordis munditia et puritate, atque exteriori devotionis ac pietatis specie peragatur (1). »

Ex his atque aliis quæ in hoc Concilii Tri-

(1) Conc. Trident., Sess. XXII, Decr. de observ. et evit. in celebr. Missæ.

dentini decreto leguntur, facile erueze possumus excellentissimum opus esse Missæ sacrificium, atque a sacerdotibus qui illud quotidie celebrant, magnam absolute sanctitatem, atque tum internam tum externam reverentiam expetere.

42. *De sanctitate*. Sancta sancte tractanda, nec licet impuro corde, pollutisque labiis ac manibus omnis sanctitatis auctorem pertractare. « Sacerdotium obeuntem ita purum esse decet, inquit Chrysostomus, ac si in cœlis inter potestates illas collocatus esset (1). » Nec satis est ut animi mundities ea sit, quæ lethalem culpam excludit: sciunt enim sacerdotes « judicium sibi manducare et bibere » qui corpus Christi dentibus deglutit et sanguinis calicem ori apponit quin se ipsum probet, utrum animo mundus a crimine sit. Sed necesse adhuc est, ut vel etiam a minimis mundemur, a venialibus culpis æque ac a terrestribus affectionibus. Cum Christus primum apostolos suos ad sui corporis manducationem invitasset, quamvis sciret eos mundos a crimine esse, præter filium perditionis; voluit tamen eorum pedes lavare, quia « Qui lotus est, inquit, non indiget, nisi ut pedes lavet » nempe a pravis culpis ex mundi commercio quotidie contractis se emundet, et tum « est mundus

(1) De Sac. l. 3, c. 4.

totus (1) » ut digne huic tanto altaris sacramento accedat.

43. Quomodo igitur etiam cum satis gravi peccati lethalis dubio, audeat sacerdos incruentum Sancti sanctorum sacrificium peragere? Væ autem sacerdotibus, qui semel iterum, atque tertio hoc tantum mysterium polluto corde concelebrant! Hoc est crimen, quo majus nullum esse potest. Quapropter si peccati reos se arbitrantur, vel antequam altari accedant pœnitentiæ sacramento se abluant, vel omnino a sacrificio abstineant; vel si gravissima urgeat scandali vitandi necessitas, non prius litent ac saltem vivida et perfecta animi contritione se purgent, ubi confessarii copia non adsit (2).

44. *De Reverentia*. Huic animæ sanctitati tum interna, tum externa reverentia est adjicienda.

a) Internam reverentiam eam dicimus, quæ in animi fervore, attentione, pietate, devotione consistit, quæ in officio divino recitando, et hîc majori prorsus ratione, habenda esse censuimus. Qui enim, nisi fidei nuntium dedimus, alibi mentem vel cor avertere voluntario vel ex deliberata negligentia poterimus, cum sciamus quam augustum sacrificium, et quocum nobis præ-

(1) Joan. XIII, 10.

(2) V. quæ inferius dicentur in art. *De Tim. Dei et fuga peccati*.

sente agamus? Cum Missæ sacrificium celebramus, meminerimus non nostram sed Christi personam suscipere, ejusque sacrificii ministros esse.

45. *b) Reverentia* autem *externa* tota ingestuumgravitate atque in exacta rituum observatione perfici debet. Cum Christi sanctissimum corpus manibus gestamus, levitas quæcumque, sive in gest bus, sive in motu corporis, sive in adspectibus, sive in oris celeritate, sive in aliis, irreverentia est tam gravis ut « ab impietate vix sejuncta esse possit (1). »De ritibus autem cogitemus, quæ Concilii Tridentini catechismus docet: « Habet autem, inquit, hoc sacrificium multos, eosque maxime insignes et solemnes ritus, quorum *nullus supervacaneus aut inanis* existimandus est; verum omnes eo spectant, ut et tanti sacrificii majestas magis eluceat, et salutaribus mysteriis intuendis ad rerum divinarum quæ in eo sacrificio occultæ sunt, contemplationem fideles excitentur (2). » Ne igitûr parvi faciamus quæ tanti Ecclesia facit; nec nostra agendi celeritate et levitate fidelibus scandalo simus, eisque occasionem præbeamus hoc tantum despiciendi sacrificium. Gravitas ergo in omnibus eluceat, in ore æque ac in adspectibus et in gestibus; in timore et tremore tantum conficiamu

(1) Conc. Trid. ut supra.
(2) Pars 2 de Euch. Sacr., 88.

mysterium, atque fide nostra aliorum fidem et reverentiam promoveamus.

46. *De aliis quæ commendantur.* — His breviter alia ex ipso Concilii Tridentini decreto addere liceat.

« Imprimis quod ad avaritiam pertinet, cujusvis generis mercedum conditiones, pacta, et quidquid pro missis novis celebrandis datur; necnon importunas atque *illiberales eleemosynarum exactiones*, potiusquam postulationes, aliaque ejusmodi quæ a simoniaca labe vel certe a turpi quæstu non longe absunt, omnino (Pastores) prohibeant. »

Præterea Pastores a sacro altari quoscumque notorie et publice criminosos arcere debent, neque permittere, ut in *privatis domibus*, ubi approbata non sint *oratoria*, sacrificium celebretur.

Prohibetur etiam quominus sacerdotes aliis quam debitis horis celebrent; neve ritus alios aut alias cæremonias, et preces in missarum celebratione adhibeant, præter eas quæ ab Ecclesia probatæ, ac frequenti et laudabili usu receptæ fuerint.

Curent denique sacerdotes, ne in accipiendis Missarum eleemosynis justitiæ deficiant, ubi in satis longum tempus harum Missarum intentionibus satisfacere debeant, vel plus æquo Missarum numerum celebrare dromittant ac revera possint.

§ VI.

De Sacramentorum administratione.

47. Sacerdos minister est sacramentorum, atque per hæc gratiarum Christi, vitæ et salutis æternæ largitor. Imprimis igitur meminerit se in conferendis sacramentis, non modo potestate et nomine Christi agere, sed ejus personam et vices in terris gerere, tantaque efficacia, ut quidquid ipse faciat et velit, id a Deo obediente voci hominis ratum habeatur. Itaque quanta reverentia et gravitate agere in his omnibus debet, quam pie, quam sancte, cum veluti Deus in terris agat, aut certe divina utitur potestate, tamque sublimi, qua nulla inter homines sublimior esse possit (1).

48. Quatuor tantum sacramenta presbyter ut minister conficit, cum matrimonii sacramento nonnisi ut testis adsit, ei benedicat, illudque ratum sua approbatione habeat. At baptismum, eucharistiam, pœnitentiam et extremam unctionem per se, suoque jure confert et perficit, gratiam et vitam hominibus largiendo. In genere « Cum omnis doctrinæ christianæ pars pastoris scientiam diligentiamque desiderat, tum sacramentorum disciplina, quæ et Dei jussu necessaria et utilitate uberrima est, parochi

(1) V. S. Jo. Chrys. de Sac., l. 3.

facultatem et industriam postulat singularem, ut ejus accurata et frequenti perceptione fideles tales evadant, quibus præstantissimæ et sanctissimæ res digne et salutariter impertiri possint, et sacerdotes ab illa divini interdicti regula non discedant: Nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos (1). » Diligenti igitur studio sacerdotes, tum doctrinam de sacramentis, tum cæremonias et Ritualis Romani ritus addiscant et calleant; ne ex eorum ignorantia vel incuria fideles sacramenti gratia frustrentur, vel venenum mortiferum pro salutari potione combibant, pastoresque de fidelium sanguine severrime a Deo requirantur.

49. Cum quacumque diei vel noctis hora ad sacramenta administranda sacerdos vocari possit, nemo non videt quanta urgeat necessitas conscientiam ab omni lethali culpa illibatam jugiter servandi, ne aliis vitæ, sibi autem mortis ipse causa sit. Quandocumque vocabitur, maxime si de moribundis agatur, nulla interposita mora, præmissa brevi oratione, accurrat sacerdos ut ministerio suo fungatur: omniaque habeat rite disposita, quæ ad unumquodque conferendum sacramentum necessaria sunt. Curet denique ex Rituali Romano « Dum sacramentum aliquod ministrat, ut singula verba

(1) Cat. Conc. Trid. P. 2, de Sacram., 1. — Matth. vii, 6.

quæ ad illius formam et ministerium pertinent, attente, distincte, et pie, atque clara voce pronuntiet. Similiter et alias orationes et preces devote ac religiose dicet; nec memoriæ, quæ plerumque labitur, facile confidet; sed omnia recitabit ex libro. Reliquas præterea cæremonias ac ritus ita decenter gravique actione peraget, ut adstantes ad cœlestium rerum cogitationem erigat et attentos reddat. »

1. De Baptismo.

50. Cum *baptismus* sit primum sacramentorum, eorumque veluti janua et medium salutis necessarium, invigilent, quod ad eos attinet, pastores animarum, ut quamprimum fieri poterit conferatur; instruant ergo, quod ad fideles spectat, populum sibi commissum de hujus sacramenti necessitate, de ritu illud in mortis discrimine infantibus vel aliis conferendi, de obligatione procurandi per baptismum filiorum salutem, deque materia et forma legitimis hujus sacramenti. Cum adulti eos conveniunt, ut baptismum suscipiant, meminerint sacerdotes nullos esse admittendos, nisi prius plene de fide et de agendis in christiana religione instructi fuerint, atque suis ex corde erroribus renuncient, sinceramque catholicæ fidei amplectendæ voluntatem manifestent. In

genere curent ea quæ in Rituali Romano de patrinis et nomine baptizando imponendo præscribuntur, diligenter servare. Denique patrinos de obligatione doceant, quæ oboriri posset, efficiendi, ut pueri vel per se vel per alios, tum de fidei veritatibus et præceptis, tum de promissis in baptismate præstitis, instruantur.

2. De Eucharistia.

51. *Eucharistiæ* sacramentum sanctissimum atque omnium nobilissimum, quod vitæ et gratiæ auctorem continet et fidelibus dat, sancte et reverenter tractandum est, ne populus illud leviter a sacerdote confici conspiciens, fidem, quam de eo tam enixe commendamus, vanam esse arbitretur. Accedat igitur sacerdos graviter et modeste ad altare, ubi venerabile asservatur sacramentum et juxta rubricas et Ecclesiæ sensum genuflectens adoret, fidei actum eliciat, servet ritus omnes in Rituali Romano præscriptos, recitandas orationes, tum ante tum post sacramenti hujus distributionem, non celeriter sed lente et devote pronuntiet, caveat præsertim ne crucis signum, sanctam hostiam inter digitos tenens, celeriter et extra ciborium perficiat.

52. Si animarum pastor sit, sciat non modo suum esse fideles de hujus sacramenti di-

gnitate docere ac persæpe monere, ut seipsos serio probent antequam accedant ad eucharisticam mensam; sed etiam instruere de externa corporis ratione qua sanctam synaxim recipere convenienter debent. Admoneat de oris aperitione, de lingua nonnihil ad labia exterius protendenda, de corporis habitu et vestium modestia. Præterea in mentem sibi revocet nonnisi publice indignis, ex sacris canonibus, sanctam eucharistiam denegandam esse, ut sunt manifeste excommunicati, interdicti, infames, concubinarii, meretrices, civiliter tantum nupti, usurarii etc., nisi constet eos publice scandalum reparasse, atque in Ecclesiæ communionem rediisse. Occultos tamen peccatores si *occulte* petant et non eos emendatos agnoverit, etiam presbyter repellat; nisi tamen, ut par est, ex simplici confessionis notitia crimen noverit; sin vero *publice* petant et sine scandalo eos præterire nequeat, non repellat. Denique amentibus seu phreneticis sanctam eucharistiam ministrare non licet, nisi quando lucida habeant intervalla, et dum in eo statu manent, devotionem ostendant.

53. Quod si ad infirmos sancta eucharistia sit deferenda, Pastoris est ut id tempestive fiat atque opportuno tempore, ne forte morientes hoc tanto bono privari contingat, et qui longa ægritudine laborant, hoc tam

efficaci ad illam ferendam medio destituï. Hortetur igitur omnes sacerdos, ut sacram synaxim etiamsi gravissime non ægrotent, sponte petant et post peractam confessionem sumant, maxime si festiva aliqua celebritas id suadeat; viaticum autem ministrabit cum probabile mortis periculum adesse constiterit.

Cum vero per urbis vias aut per agros Ss. Eucharistiæ sacramentum defertur, pro locorum atque temporum consuetudine et opportunitate, nonnisi cum aliqua solemnitate et honore deferatur, juxta ea quæ in Rituali Romano præscribuntur. In itinere preces a sacerdote et ab iis qui comitantur recitari convenit, tum ad Dei clementiam exorandam, tum ad reverentiam in populo conciliandam. Cum ad infirmi lectum et cubiculum perventum est, sacerdos eum paucis hortetur, ut digne se disponat ad tantum sacramentum recipiendum, et ut patienter infirmitatem ferat vel etiam mortem, si ita divina voluntas de eo decreverit. Nec abscedat antequam infirmo atque adstantibus more solito benedicat.

3. De Extrema Unctione.

54. *Extrema Unctio*, quæ oleum infirmorum vel sacramentum exeuntium etiam dicitur, facienda nunquam est nisi christia-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

nus morbo laboret ac tam periculose decumbat, ut in exitu vitæ constitutus videatur, vel etian senio conficiatur, quod morbo simile habetur. Non igitur conferenda iis qui capite plectuntur, nec militibus prælium commissuris, nec iis qui periculosam corporis amputationem subire debent, nisi in eo sint ut, amputatione facta, moriantur; nec in genere iis qui integris sensibus et firma valetudine, in probabili etiam mortis discrimine versantur.

55. Et quoniam sacramentum hujusmodi non modo ad gratiam conferendam, verum etiam ad corporis sanitatem reddendam destinatur, necnon ad vim addendam, qua infirmus ægritudinis dolores et angores patienter ferat; evidentissimum est, si fieri potest, conferri oportere cum ægri adhuc integra mente et ratione vigent, nec attendendum quoad usque sensibus destituantur (1).

56. Ubi vero rerum conditio id sinat, peccatorum confessio et sacrum viaticum essent præmittenda juxta Ecclesiæ morem. Cæterum cum quis sensibus destituitur, nisi publice impœnitens sit vel excommunicatus nunquam hoc sacramentali beneficio privandus est. Quin imo in agone morti proximo,

(1) Gravissime peccant, qui illud tempus ægroti ungendi observare solent, cum jam omni salutis spe amissa, vita et sensibus carere incipiat. Cat. Conc. Trid. de Extr. Unct., c. 18.

si presbyter prævideat tempus satis non fore ut omnes sensus inungantur, meminerit a generali unctione in fronte facienda incipiendum esse, aliasque pro temporis opportunitate adjungendas.

4. De Pœnitentiæ sacramento.

57. *Pœnitentiæ* sacramentum in eorum salutem a Christo Domino institutum, qui post susceptum baptisma lapsi sunt, eo diligentius a sacerdotibus administrandum est, quo difficilius in se est, ad mores perficiendos utilissimum, ejusque usus frequentior.

Imprimis duæ sacerdoti necessariæ sunt dotes ad illud recte perficiendum, scilicet *scientia* et *sanctitas*: scientia quidem qua probe et rite administret, sanctitas vero qua digne tractet, nec sibi in perniciem vertat. His *prudentia* addenda, qua lepram a lepra discernere noverit ut suum unicuique malo remedium afferre valeat.

Scientia tamen non ea vulgaris et minima esse debet, qua clericus unius vel duorum annorum curriculo compendiose instruitur: sed ea, quæ totius vitæ studio et experientia acquiritur. Non igitur parvi faciat presbyter iterum atque iterum scientiæ huic morali pene infinitæ vacare, libros vel viros interrogare qui et sapientia et experientia multum valent. Debet enim confes-

sarius quæ gravia, quæ levia sunt dignoscere, quæ remitti possunt et quæ non possunt, vel quibus conditionibus criminum venia dari queat. Præterea ipsius est fideles aliquando docere, eorum dubiis satisfacere, et intricatos culparum nexus resolvere. Quæ quidem vulgari tantum scientia fieri nequeunt.

58. Propterea hæc ad rectam et sanctam hujus sacramenti administrationem sacerdotibus suggerimus, quæ sæpe mente revolvant et opere compleant: sacerdos confessarius 1° sit *promptus* ad confessiones audiendas; 2° *benigne* fideles pœnitentes excipiat cum iisque agat; 3° *patienter* audiat; 4° *prudenter* interroget et instruat; 5° *suaviter* arguat; 6° *recte et probe* judicet; 7° *timore* concutiat, *spe* erigat, *amore* virtutis accendat. Hæc si egerit benedictionibus plurimis a Deo cumulabitur, ejusque ministerium in animarum salutem utile et efficax erit.

59. 1° *Sit promptus ad confessiones audiendas.* — Ut Christi minister et dispensator mysteriorum Dei, confessarius Christum imitari tenetur, qui « venit ad salvandas oves, quæ perierunt domus Israel, non autem ad justos vocandos sed peccatores ad pœnitentiam. » Meminerit « majus gaudium futurum in cœlo pro uno peccatore pœnitentiam agente, quam pro decem millibus qui pœnitentia non indigent. » Eoque major promptitudo hæc esse debet, quo peccator graviora habet crimina declaranda, quo minus dives est et fortunatus, quo magis nostro indiget ministerio, quia ex gravi infirmitate graviter laborat, vel gravibus conscientiæ angoribus intricatur. Christus Samaritanam ex itinere fatigatus quæsivit, cum pauperibus et peccatoribus facilius quam cum divitibus conversabatur eosque solabatur, et nonnisi paralyticum peccatorem in probatica piscina prodigio levavit.

60. 2° *Benigne fideles pœnitentes excipiat, cum iisque agat.* — Confessarius sacerdos pater est, eoque titulo apud fideles audit, Deique Patris vices gerit: hic autem « adeo dilexit nos, ut Filium suum unigenitum daret, » adeo diligit nos, ut præveniat, patienter expectet ut salvemur, ardentissimo amore, magnaque animi bonitate excipiat redeuntes, sicut Pater familias filium suum prodigum recepit. Vides quomodo Christus, qui imago est Patris et figura substantiæ illius cum peccatoribus agat, cum Samaritana, cum Maria Magdalena, cum Matthæo, cum Zachæo, cum Petro pœnitente, cum tot aliis, quorum exempla in evangeliis extant.

Hæc benignitas maxime cum pueris et adolescentibus servanda, quos Christus speciali dilexit et amplexatus est charitate, nec

non cum cujuscumque generis et conditionis hominibus timidis et verecundis; quamvis majori, ut decet, gravitate cum feminis et puellis agendum: angelus enim est sacerdos in pœnitentiæ tribunali dum simul pater est. Ideoque brevius cum istis se confessarii expediant, prohibeant quominus de inutilibus et de rebus ad confessionem non pertinentibus colloquantur, ne sinant in genere frequentius quam singulis hebdomadis ad confessionem accedere, nunquam eas cogant eodem confessario uti, quin imo hortentur ut interdiu alium consulant, actuque et verbis id sibi placere ostendant cum, ipsis inconsultis, ad alium se conferunt. Hoc autem postremum monitum pro quibuscumque pœnitentibus intelligi volumus, quibus plena confessarii cujuscumque adeundi facultas est relinquenda; quamvis ipsis commendandum, ut unum constanter sacerdotem consulant, quem animæ suæ veluti medicum et doctorem habeant.

61. 3° *Patienter audiat.* — Confessarii munus patientiæ ministerium est, quod hominum infirmitatibus mederi et compati debet, sicut Christus ipse qui infirmitate nostra circumdari voluit ut nobis compateretur et misericors esset. Quid igitur impatientiæ signa vel verba in audiendis confessionibus edamus? Quorsum acerbis, durisque querimoniis humiles et sponte confitentes reos

impetamus? Tenaces ne sunt et sui amatores judicii? patientia, constantia et mansuetudine vincas. In eadem relabuntur? industria et animi firmitate ac precibus ad Deum effusis corrigas. Nolunt ne tuo acquiescere judicio, instant, provocant? taceas, neque silentium rumpas, nisi ipsi tacuerint, paucisque verbis, quæ amaritudinem nullam prodant, eorum defectus retundas; insta opportune importune, argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina, ne si nimis impatiens et asper sis plagam exasperes, morbum aggraves et durissimum reddas jam difficile pœnitentiæ sacramentum, fideles ab omnibus et singulis criminibus patefaciendis deterreas, et erit malum pejus priore.

62. 4° *Prudenter interroget et instruat.* — Cum confessarius doctor et judex sit, ejus certe est pœnitentes interrogare et instruere, idque sine humano respectu et personarum acceptione. Quin imo pueros, rudes et timidos necessario interrogare et instruere debet, nesciunt enim aliquando quid et quomodo sua peccata fateantur, vel confessarium verentur et interrogari de quibusdam optant, ut facilius referant. At prudentia opus est et modo. Etenim, ne fastidiosa reddatur confessio, pœnitentes emungi non debent, neque de omnibus est inquirendum, maxime ab iis, qui ignorantia invincibili la-

borant et timendum sit ne materiale peccatum in formale vertant.

Cavendum sane, ut inquit S. Thomas, «Ne confessarius instruat pœnitentem ad peccandum» vel ne sibi ipsi scandalum pariat, et indiscretis interrogationibus aliis de se suspicionem ingerat. Quare, maxime si de sexto decalogi præcepto agatur, summa cum prudentia est interrogandum, idque decentissimis quibus potest fieri verbis. Consulantur de hac re probati auctores, præcipue S. Ligorius, ut duo extrema confessarii vitent, timendum enim esset ne cum cauti et prudentes esse velint, nimis cauti et prudentes sint contra Ecclesiæ leges et decreta, ac non minimum fidelibus damnum animæ procurent (1).

63. 5° *Suaviter arguat.* — Pastoribus commendat Synodus Tridentina (quod sane de confessariis dici recte potest), « ut se pastores non percussores esse meminerint » erga eos qui ipsis subditi sunt... « Quos tamen, si quid per humanam frag litatem peccare contigerit, illa Apostoli ab eis servanda præcepta; ut illos arguant, obsecrent, increpent in omni bonitate et patientia: cum sæpe plus erga corrigendos agat benevolentia quam austeritas, plus exhortatio quam

(1) Confer S. Lig. Theol. mor. l. 6, n. 607 et Prax. Confess., c. 1, §§ 3, 4, cc. 2, 3. — Gury tom. 2 a n. 614 ad 620 et n. 912, 3° nota (a)

comminatio, plus charitas quam potestas (1).» Ne igitur pœnitentibus fidelibus per agendi duritiem confessarii damnationis causa sint. « Patres, inquit D. Paulus, nolite ad iracundiam provocare filios vestros (2). » S. Franciscus Salesius suavitate magis quam severitate innumeros homines ad pœnitentiam adduxit.

64. 6° *Recte et probe judicet.* — Judicis munus est causam æque perpendere, omnibusque perpensis judicare utrum reus venia dignus vel indignus sit, quaque pœna juxta leges mulctandus. Nobis sacerdotibus a Christo data est facultas nunc remittendi, nunc retinendi peccata, non igitur semper vel unum vel aliud est nobis agendum, ne vel nimis laxi vel nimis rigidi pro tribunali simus. Calleant vel maxime confessarii doctrinam de peccatorum speciebus, de bene vel male dispositis, de restitutione facienda, de recidivis et de habitudinariis; sciant recte discernere utrum quis in occasione proxima necessaria vel voluntaria sit et quid in his rerum adjunctis agendum; noverint methodum bene quoscumque pœnitentes interrogandi, de qua supra egimus; neque faciles neque nimis difficiles se exibeant, visis rerum, personarum atque temporum adjunctis, nunquam vero suum ministerium prodant.

(1) Sess. xiii de Reform., cap. 1. (2) Ad Eph. vi, 4.

Quomodo sane, si hæc minime norint, recte et probe judicare queant? Quod si quis sine peccatorum absolutione sit dimittendus, suaviter hoc fiat, neque ad longum tempus dimittatur ne pejor evadat. Denique judicet recte et prudenter sacerdos de æqua pœnitentia pro culpis injungenda. Pœnitentia alia *salutaris*, alia *medicinalis* esse debet, vel eadem simul salutaris ad expianda peccata, medicinalis ad ea corrigenda. Pro personarum et temporum conditione pœnitentia major vel minor est præscribenda, sed fere nunquam levis pro gravibus peccatis, nunquam gravis pro levibus (1); nunquam publica injungatur, neque talis ut aliis peccati gravitatem prodat, quæ ruborem ingerat, et quæ in hominis facultate non sit ut eam exequatur. Puerorum maxime habenda est ratio, qui, si nimis gravis vel ad longum tempus protrahenda pœnitentia datur, eam certissime negligunt.

65. 7° *Timore concutiat, spe erigat, amore virtutis accendat.* — Hæc Patris et medici sunt munia: confessio enim non ad revelanda dumtaxat peccata et remissionem recipiendam instituta fuit, sed ad ea corrigenda et vitam christianam recte moderandam. Ex confessarii monitis et præceptis hoc intelligere debent pœnitentes maxime rudes, qui putant satis egisse, ubi omnia sincere

(1) V. S. Lig. Prax. Conf., c. 1, § 2, n. 11 et seq.

in confessione fateantur. Intelligant hunc esse confessionis præcipuum finem, mores corrigere et emendare, a peccatis avertere, ad virtutes exercendas animum addere. Quapropter habeat semper præ manibus confessarius motiva ad timorem incutiendum, neque etiam terrestria negligat, quamvis non his tantum insistendum, sed quia ex his quasi a minori ad majus argui facile potest, si deinde supernaturalia proponantur argumenta.

Præterea noverit confessarius spe erigere et fiducia in Deum eos, qui multitudine et gravitate suorum criminum exterriti nullam ipsis fore veniam putant, nec spem habere se corrigendi facile arbitrantur. Laudet sacerdos eorum etiam minimos conatus, alia proponat media ad melius agendum: fit enim non raro ut plures in iisdem criminibus versentur, quia nonnisi rigidos atque asperos confessarios adierunt, qui numquam de modo agendi pœnitentium contenti, eos severe dimittunt.

Denique non ignoret confessarius artem animas dirigendi, easque ad virtutis amorem accendendi, necnon ad perfectionem, quæ unicuique statui ac conditioni propria est. Hæc magni momenti est ars, quia oportet interim diversos discernere spiritus, cum non omnes eodem spiritu dirigantur, nec iisdem ducendi regulis; deinde necesse

est ut pedetentim per apta media, juxta suam indolem, suasque vires unusquisque ducatur, cum putandum non sit perfectionem uno ictu, unoque impetu acquiri posse.

66. Ut finem huic argumento imponamus, monendi sunt confessarii ne facile generales provocent confessiones, nec præteritas iterare permittant. Oportet enim advertere, inquit S. Liguorius, quod, licet confessiones generales sint utilissimæ, nihilominus non debeat confessarius esse valde rigorosus ad efficiendum, ut confessiones jam factæ repetantur. Unde ait P. Segneri, non esse obligationem repetendi confessiones, *nisi in casu manifestæ necessitatis, et in quo error sit evidens* (1). » Hoc tamen non impedit quominus singulis annis, ad devotionem augendam, per summa capita totius anni confessiones repetantur.

5. De Matrimonio.

67. Quamvis sacramenti matrimonii sacerdos minister non sit, sunt ipsi tamen plura et gravia officia quibus fungi tenetur, ut rite ac sancte illud a contrahentibus suscipiatur. Quis enim nesciat ex suscepti matrimonii legitimitate et sanctitate prolis legitimitatem, familiæ ordinem, conscientiæ

(1) Prax. Conf. c. 1, § 4 in fine.

pacem, concordiam conjugum, et sanctam prolis educationem pendere? Inde Christi fidelium corpus apte conflatum et gratia vivificatum, crescit in virum perfectum et in plenitudinem ætatis Christi Jesu.

Juxta Concilii Tridentini decreta (1) nemo nisi Parochus, qui animarum curam legitimam habet, vel ab eo delegatus sacerdos, aut qui ab Episcopo ordinario facultatem obtinet, matrimonii susceptioni ut testis interesse potest eique benedicere; sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda.

68. Antequam matrimonium ineatur: 1° Cognoscat, utcumque potest, sacerdos, nullum esse impedimentum sive dirimens, sive impediens, quod ex Ecclesiæ lege hujus sacramenti susceptioni opponatur; quapropter sponsos separatos et arte quadam interroget; nec audeat a tribus proclamationibus publicis, inconsulto Episcopo, aliquem dispensare. Maxime cum peregrini et vagi ipsum ad matrimonium ineundum adeunt, majori cura et diligentia certior fiat, an non aliquid sit quod Ecclesiæ lege inhibetur.

2° Videat ne aliquos matrimonio conjungat nisi ex parentum consensu, ubi opus fuerit, et nisi qui nupturi sunt civilium legum præscriptionibus satisfecerint, juxta ea quæ Statuta diœcesana de hac re mandant ut fiat; adeo ut, ubi tempus et rerum

(1) Sess. XXIV de Reform., c. 1.

conditio permittit, nihil contrarii, nisi Episcopo consulto agat.

3° Instruat sponsos de eorum officiis et inquirat utrum in rebus religiosis instructi sint; utrum confirmationis sacramentum receperint, horteturque ad pœnitentiæ et eucharistiæ sacramenta suscipienda, saltem juxta Concilium Tridentinum, intra tres dies ante matrimonii consummationem.

69. Quod si matrimonio mixto sacerdos assistere debeat, ex sanctæ Sedis venia ineundo, caveat ne illud admittat nisi prius pars acatholica sequentia promittat:

a) Nunquam vel nullo modo futurum, ut pars catholica a se in libero suæ religionis exercitio impediatur.

b) A se curatum iri, ut omnes utriusque sexus liberi in Ecclesia catholica baptizentur, edoceantur, et in catholica schola instruantur.

c) Se penitus renuntiare quominus matrimonii celebratio vel ante vel post coram ministro acatholico fiat.

Pars autem catholica promittere debet:

a) Omnibus adhibitis mediis se curaturam ut pars acatholica ad veram fidem convertatur;

b) Facturam se ut omnes utriusque sexus liberi in catholica religione probe educentur;

c) Matrimonii celebrationem unice in Ecclesia catholica permissuram.

70. In genere curet sacerdos ea cognoscere quæ in Rituali Romano, ex sacris Concilii Tridentini Decretis præscribuntur, et quæ ex Pontificiis decretis, atque ex Theologorum et sacrarum Congregationum responsis ad rectam hujus sacramenti administrationem colliguntur. In dubiis vero non renuat, opportuno tempore, ordinarium Episcopum interrogare.

§ VII.

De decore et nitore Domus Dei.

71. Ut finem huic articulo de officiis erga Deum imponamus, aliqua brevibus de decore et nitore templorum, quæ sacerdotibus committuntur, innuere liceat. In mentem revocentur quæ et quanta in Scripturis sanctis Deus jusserit, ut arca veteris fœderis, sive in tabernaculo, sive postea in templo, maxima cum reverentia et honore custodiretur; quanta cum solemnitate, quantoque cum decore dies festos et sacrificia agere oportebat; qui nitor in vasis sacris et in omni supellectili ad sacrificia necessaria, a sacerdotibus huic officio addictis erat servandus. Attamen hæc in figuris contingebant illis; arca veteris fœderis nonnisi figuras arcæ novi fœderis continebat. Jam in nostris templis non umbram,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

sed rem ipsam habemus: hîc Christus realiter ac substantialiter inhabitat, quasi expiationis victima sub panis speciebus: « millia millium ministrant ei, et decies millies centena millia assistunt ei (1). » Nostra templa non ad animalium sacrificia offerenda, sed ad incruentum corporis et sanguinis Christi sacrificium mundum et unicum in universo orbe destinantur.

72. Sacerdotum igitur nostrorum munus gravissimum est, majori ferme diligentia, ut par est, ac sacerdotes veteris fœderis, templorum nostrorum decoris, nitorisque curam habere. Non sane ipsis impositum est, ut pretiosissimis quibusque (quæ temporum injuria et Christi fidelium tepiditate haberi sæpe non possunt) templa sibi commissa ornent et decorent; sed ut quæ ad eorum ornatum et splendorem conferre possunt diligenter provideant. Hortentur sæpe populum ut intelligat quanti domus Dei sit facienda, et quantum in ejus emolumentum etiam cedat, ut Dei templum majori quo fieri possit splendore ornetur. Si enim Christus centum se daturum promisit iis qui unum pauperibus dant, quos ipse diligit, suorumque fratrum in numero habet; quid daturus eis est qui sibi ipsi generose suas divitias largiuntur? Quid non Magdalenæ retribuit, quæ prætioso unguento ejus capillos unxit, pretiosaque ad ejus sepulcrum aromata attulit?

(1) Dan. VII, 10.

73. Ceterum non negligant sacerdotes curare ut Ecclesiæ festa maximo quo potest exteriori etiam splendore agantur: exterior enim apparatus aptissimus ad animos ad superna erigendos videtur, magis fidem excitat quam exhortationes quæque ac sermones, loquitur enim quasi sensibus hominum exterioribus, sensusque interiores efficaciter movet. Studiose provideant ut statuæ et sanctorum imagines, parietes, pavimentum et templi altaria nitida custodiantur et munda: sed maxime omnium vasorum sacrorum, linteaminum, ornamentorum, omnisque supellectilis quæ ad altaris sacrificium inservit, mundities diligentissime servetur.

Suo igitur exemplo, hacque cura et diligentia, presbyter populum docebit, quo quidem honore, quaque reverentia Dei domum prosequi oporteat: quam enim reverentiam incutere animis potest templum, cujus omnia sus deque versa, immunda omnia et incuria obsoleta, pulvere fœdata conspiciuntur? quem honorem sibi dies festi conciliabunt, quos negligi a Pastore et fere nullo in numero haberi populus noverit?

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

II.

Officia religiosi et ecclesiastici viri erga seipsum.

1. Satis hîc sit de officiis erga Deum; alia sunt quæ erga seipsum Dei minister præstare debet, ut qui sancta quotidie tractat et populo præbet, idem ipse sanctitate emineat, præsit suarum virtutum exemplo, præeatque aliis facto et opere dum docet verbo. Itaque hujusmodi officia finem habent efficiendi ut vir religiosus vel ecclesiasticus malum vitet et bonum in se ipso faciat. Quæ sane attinget si Deum timet, si vigilantiam adhibet, mundum abhorret, mortificationem amat, studet minimis cavendis, præsentiæ Dei exercitio se munit, lucro tempus apponit, statutaque diœcesana scrupulose observat. De his pauca singillatim dicenda.

§ I.

De timore Dei et fuga peccati.

2. Initium Sapientiæ timor Domini est: oportet autem sacerdotem sapientem in populo esse, adeoque justum, sanctum, virumque perfectum: incipiat ergo a timore Dei, ex quo sapientia procedit, non utique ex timore servili, qui filiorum et amicorum

non est, sed ex filiali erga Deum reverentia concepto, quo vereatur Deum offendere, quia Pater est, isque benignus et bonus. Attamen utile aliquando est, ut etiam ex justitia divina atque ex pœnis æternis, quas Deus contra criminosos minatur, ejus metum concipiamus; maxime si eum præsentem esse cogitemus, omnia ipsi nota esse, nostra scrutari corda et renes atque omni horæ momento facultatem ei esse inique agentem percutiendi. Etenim hic timor pigras animas exstimulat atque ex repræsentatione cruciatuum exterrefacit, ut peccata non perpetrent.

3. Timor etiam utilis est ad verecundiam, confusionem, dolorem et veram detestationem de anteactæ vitæ culpis commissis excitandam: quomodo enim tantillus homo Ens infinitum, omnium conditorem ac dominum, eo præsente, offendere ac quodammodo provocare potuit, ejus legem infringere et dicere: « Non serviam? » Duo igitur hæc Dei magnitudo et bonitas, et ex alia parte sanctitas divina et justitia, optima et efficacia sunt motiva ad timorem Dei concipiendum, ut peccati horrorem ejusque detestationem habeamus.

4. Et quidem peccatum detestandum et fugiendum a sacerdote est, quia in se magnum est, verum et unicum hominis malum. Peccatum facit hominem miserum, quia

ipsum a suo vero et unico bono amovet et separat, atque avertit a Deo ob quem conditus est. At peccatum in sacerdote quantum malum! Sacerdos sanctitate prælucere debet, quia vocatus in sortem Domini, sanctis operibus speciali ratione destinatur; quia habet omnia ut sanctus sit, Spiritum sanctum, ejus gratiam, ejusque dona, Dei assistentiam in iis quæ agit, exempla et sanctitatis legem, doctrinam de iis quæ ad sanctitatem ferunt, officia et ministeria sancta. Si ipse peccet quomodo in Dei gratiam redibit? Cadit enim præceps ex alto dignitatis culmine in abyssum tenebricosum. Quomodo, Lucifer, cecidisti! tu qui vestiebaris purpura et byssino, qui mensæ Domini assidebas, qui angelorum ministerio serviebaris; nunc comparatus es jumentis insipientibus et similis factus es illis!

5. Nec verendum dumtaxat est ne in lethale peccatum sacerdos labatur, verum etiam ne venialibus deliberatis facile commaculetur. Etenim veniale peccatum, æque ac lethale, aversio quædam est a Deo et conversio ad creaturam; hoc sane Deum graviter non offendimus, offendimus tamen ejusque bonitate abutimur. Itaque charitas paullatim frigescit in animabus eorum qui se facile veniali culpa abstrahi sinunt, tepidi fiunt, Deoque quodammodo odibiles; unde non raro fit ut in lethalia incidant peccata:

« Utinam frigidus esses, aut calidus; sed quia tepidus es, et nec frigidus, nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo (1). » « Quapropter sic decet omnino clericos in sortem Domini vocatos, vitam moresque suos omnes componere; ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus nil, nisi grave, moderatum ac religione plenum præseferant; levia etiam delicta quæ in ipsis maxima essent, effugiant; ut eorum actiones cunctis afferant venerationem (2). »

6. Quod si (quod Deus avertat) in peccatum lethale miserrime incidat sacerdos; neque ignaviæ, nec gravi negligentiæ, nec, quod pejus esset, desperationi se dedat: sed statim de peccato suo eum pœniteat, humilis miseriam et ignominiam suam Deo manifestet: atque, nulla interposita mora, pœnitentiæ sacramento se abluat, ac in posterum cautior fiat. At, quæso, nemo peccati lethalis conscius, missæ Ss. Sacrificium celebrare audeat: «Nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur, *absque præmissa sacramentali confessione*, ad sacram eucharistiam accedere debet. Quod a christianis omnibus, etiam ab iis sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare; hæc sancta Synodus perpetuo servandum esse decrevit, *modo non desit illis*

(1) Apoc. III, 16.
(2) Conc. Trid., Sess. XXII de Reform., c. 1.

copia confessoris. Quod si *necessitate urgente* Sacerdos absque prævia confessione celebraverit, *quamprimum* confiteatur (1).» *Copia* autem *confessarii* deesse censetur, cum nemo approbatus, cui rite confiteri possimus, adsit. *Quamprimum* vero confessionem ab hoc sacerdote faciendam non significat *suo tempore*, scilicet cum quis ad confessionem accedere ordinario solet, sed ut primum copia confessoris haberi possit, ante sequentis missæ celebrationem, nisi et eadem interveniat celebrandi necessitas et nulla adhuc pro rerum angustiis et conditionibus, confessoris copia habeatur (2). »

§ II.

De vigilantia et mundi fuga.

7. Præceptum Domini est: « Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem (3); » cum vero de oratione loquuti jam simus, de vigilantia sermo habendus esse videtur. Vigiles sint Dei ministri ne cadant: « Qui enim se existimat stare, videat ne cadat (4); » quod quamvis spiritus aliquando promptus sit, caro autem infirma semper est. Quis solidius stat forti Samsone, quis firmius sancto Davide et sapiente Salomone? et hi tamen vigilantiæ defectu miserrime ceciderunt. Testatur S. Augustinus, a se Dei ministros visos esse, sicut cedros Libani, virtute eximia sublimes, vigilantiæ defectu corruisse. Invigilemus ergo cogitationibus et affectibus nostris, verbis æque ac actionibus, ut carnis concupiscentiis et desideriis, mundi illecebris et dæmonis ictibus viriliter et in fide resistamus. Cum nimium nutritur vel vino inebriatur, caro insolescit adversus spiritum et « Corpus quod corrumpitur aggravat animam (1). » — « Luxuria nutritur a ventris ingluvie (2) » ait S. Bonaventura. Mundus autem sollicitat cum eum quærimus eique blandimur: si enim aufugimus et horremus, vel nos tranquillos linquit, vel sua arma in nos vertit, ut ei crucifixos nos spernat et contumeliis afficiat. At dæmoni ne in minimis quidem cedendum: « A minimis enim incipiunt qui in maxima proruunt. » Dæmonis tamen non est nos ad peccandum cogere: «latrare potest, mordere non potest. » Verum « tamquam leo rugiens circuit quærens quem devoret » nocte ac die animarum nostrarum ruinam cogitat: nullam igitur ei occasionem præbeamus, qua facile nos in crimen impellat: « Resistite diabolo et fugiet a vobis. » Dæmon vigilantiam nostram et orationem timet, carnis

(1) Conc. Trid., Sess. XIII de Euch., c. 7.
(2) V. Gury de Euch., cap. 4, art. 2.
(3) Marc. XIV, 38. (4) I. ad Cor. X, 12.

(1) Sap. IX, 15.
(2) De Prof. rel., l. 2, c. 52.

mortificationem veretur, sed maxime humilitatem et charitatem erga Deum, quibus continuo vincitur et subjugatur, expavescit.

8. Vigilantia non modo ad cogitationes et affectus sed etiam ad sensus externos extendi debet: sensus enim quasi animæ fenestræ sunt, per quas mors irruit in nos, ut Dei vitam auferat: « Ascendit mors per fenestras (1). » Itaque modestia et gravitas potissimum religiosis et ecclesiasticis viris commendantur, qui aliis exemplo esse debent et virtutem angelicam angelico more servare. Modestia et gravitas, juxta Concilii Tridentini decretum supra allatum, debent esse in aspectibus, in habitu, in gestu; in incessu, in sermone, ut nihil nisi grave, moderatum, et religione plenum clerici præseferant: eorum enim habitus, sermo, vultus, incessus, ait S. Hieronymus, doctrina est.

9. Caveant sacerdotes, ne quid incompositum et indecorum in sua agendi ratione appareat: sciant oculos refrenare, maxime in colloquio cum feminis, quæcumque tandem eæ sint; et eo majori diligentia, quo piæ et devotæ esse videantur. « Etenim non impudicæ solum sed pudicæ etiam mulieris oculus animum ferit, adulationes emolliunt, honores in servitutem redigunt (2). » Quare S. Job ad rem ajebat: « Pepigi fœdus cum

(1) Jer. IX, 21.
(2) S. Jo. Chrys. de Sacerd., l. 6, c. 8.

oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine (1). » Abstineant sacerdotes a repetitis et prolongatis colloquiis cum feminis, atque ubi majoris momenti negotia tractanda sunt, conentur ut non sine teste agantur, vel saltem eo loci, ubi nemo de sacerdotis modestia et decore suspicari possit. Denique ne leviora verba et inconsiderata usquam effutiant, quæ scandalum pariunt; quæ enim nugæ, ait Bernardus, in ore laicorum nugæ sunt, in ore religiosi viri sunt blasphemiæ.

10. Ut vero se omnino a mundanis rebus sejunctos sacerdotes ostendant, canones eos jubent a luxu, a comessationibus, a choreis, ab aleis, a lusibus et a quibuscumque secularibus negotiis abstinere, juxta ea quæ in uniuscujusque diœceseos Statutis decreta jam sunt (2). Quomodo enim, qui mundo renuntiavit, ut Christi unctus esset, satis honeste et decore his uti jam poterit? Horrendum sane esset sacerdotem conspicere, qui a comessationibus, a theatris, a lusibus rediens, in quibus magnam noctis partem consumpsit, mane ad Dei altare accedat, sanctissima celebret mysteria, vel alia sacra ministeria obeat.

11. Amet potius sacerdos mentis cordisque solitudinem, nec cum mundo se misceat,

(1) Job I, 31.
(2) Conc. Trid., Sess. XXII de Reform., c. 1.

nisi cum sui ministerii necessitas id postulat, cum animarum salus exquirit, ut cum populo versetur: locus ipsi convenienter addictus templum sit vel cellula, in quibus orationi vel studiis vacet. Audiatur de his S. Hieronymus: « Obsecro te, carissime, inquit, ut multitudinem hominum, et officia, et salutationes, et convivia, veluti quasdam catenas fugias voluptatum. Convivia tibi vitanda sunt secularium, et maxime eorum qui honoribus tument. Turpe est ante fores sacerdotis Christi crucifixi et pauperis, et qui cibo quoque vescebatur alieno, lictores consulum et milites excubare, judicemque provinciæ melius apud te prandere, quam in palatio. Quod si obtenderis te facere hæc, ut roges pro miseris atque subjectis; judex seculi plus defert clerico continenti, quam diviti, et magis sanctitatem tuam venerabitur quam opes (1). »

§ III.

De fidelitate in minimis et præsentia Dei.

12. « Esto fidelis usque ad mortem et dabo tibi coronam vitæ (2). » Deus coronam vitæ promittit iis qui fideliter usque perseverant: at ecclesiasticorum et religiosorum hominum fidelitas, non modo in magnis sed et in minimis elucere debet: « Qui enim fidelis est

(1) S. Hier. ad Nepot. (2) Apoc. II, 10.

in minimo et in majori fidelis est: et qui in modico iniquus est, et in majori iniquus est (1). » Nihil coram Deo minimum est, cum de ejus servitio agitur, maxime ab iis præstando, qui, juxta Apostoli doctrinam, irreprehensibiles se exhibere debent, quique ex status sui conditione, necesse est, ut de virtute in virtutem progrediantur. Sunt autem quæ minima, ab iis qui tepide agunt, videri possunt et non sunt, sive quia scandalum satis grave pariunt, sive quod graviter obligationi, quam perfecte agendi habemus, opponuntur. Quæcumque denique ea sint, nemini dubium est minimas infidelitates in Dei servitio, si sæpe repetantur, animam obtundere, virtutem fere omnem auferre, adeo ut, occasione habita, vel violenta tentatione occurrente, animus infirmus concupiscentiæ ictibus arreptus corruat et labatur.

13. Ut vero fidelitatem tantam vel in minimis servemus, juvat nobilissimum præsentiæ Dei exercitium, quo omnes sancti usi sunt, ut sancte viverent. Deum præsentem ubique esse quis neget? Immensus enim cum sit, ubique substantia, scientia et potentia adest; quin et nos atque creata omnia sustentat jugiter et conservat, et cum eis in omnibus operatur. Fieri omnino nequit, ut Dei præsentiam effugiamus: « In ipso enim

(1) Luc. XVI. 10.

vivimus, movemur et sumus (1). » Non modo Deus longe non est ab unoquoque nostrum, ut D. Paulus docet, sed in nobis et nobiscum omnino est, vel potius nos in eo sumus: anima quidem a corpore separari potest, sed nunquam a Deo.

14. Hæc doctrina quam non tantum fides, sed sana philosophia docet, satis esse debet, ut nos tum a culpis vel minimis patrandis retineat, tum ad heroicas etiam, si oporteat, virtutes exercendas impellat: « Ambula coram me et esto perfectus. » Unde putatis tantam vim in sanctis hominibus, maxime in martyribus fuisse, ut quæ humanæ naturæ difficillima sunt, hilari et sereno vultu obirent? Certe Deus sua gratia juvabat, sed ipsi, ut animum sumerent, Deum veluti patrem ac Dominum præsentem usque conspiciebant; inde diligebant et verebantur, ac hujus amoris et timoris gratia ab omnibus abstinebant quæ ipsum offenderent, omniaque generose efficiebant, quæ ipse ab eis expeteret.

15. Ne cogitemus vero nimis difficile esse hoc valde necessarium et efficacissimum divinæ præsentiæ exercitium: omnia enim facilia sunt volenti. Jam a diei initio Deum nostrum cogitemus, cui de acceptis præterita nocte beneficiis, gratias quamplurimas habeamus; porro statuamus cujuscumque

(1) Act. Apost. xvii, 28.

actionis initio de hac ipsa divina præsentia memoriam habituros. Atque ut facilior recordatio hæc et sine ulla animi contentione fiat, Deum in nobismetipsis præsentem inspiciamus; deinde cogitemus omnia creata aliquid Dei, vel vestigium, vel imaginem, vel etiam similitudinem habere; omnia esse veluti radios, qui a sole justitiæ procedunt, vel sicuti rivulos, qui ab una scaturigine principium habent; consideremus quandoque aerem, lucem, frigus et calorem a Deo nobis immitti, cibos ab eo porrigi, flores, fructus, herbas, quibus campi vestiuntur, Dei dona præsentis esse, nosque in Deo vitam et aerem spirare, cogitare, velle, agere, loqui, ambulare, undique moveri. Nunc unum, nunc aliud ex his hoc sanctum exercitium facile reddet. At non sane historico modo Deum præsentem cogitemus, sed ita ut nostram vitam, nostrosque mores huic præsentiæ conformemus; quid enim, Deo præsente et omnia inspiciente et cognoscente, nisi perfectum et sanctum agere audeamus?

§ IV.

De mortificatione et pœnitentia.

16. Multa profecto quæ de officiis erga nos dicere possemus hic prætereunda putamus, cum ea ex iis, quæ de virtutibus acquirendis vel vitiis resecandis dicta sunt, facile

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

colligi queant: at non possumus quin de mortificatione et pœnitentia aliquid breviter dicamus, quod hæc duo ad unionem cum Deo acquirendam, ad animi sanctitatem fovendam, ad perfectum Christi ministrum efformandum aptissima et magni momenti esse videntur.

S. Paulus his gravissimis verbis mortificationis virtutem commendat: « Semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, ut et vita Jesu manifestetur in carne nostra mortali (1). » Mortificationis igitur finis est vitæ Jesu manifestatio, id enim ut salvemur necessarium omnino est, cum ipse Apostolus dicat: « quos enim præscivit et prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui,... hos et vocavit... illos et glorificavit (2). » At mortificatio ipsa in corpore nostro circumferri debet: quod non significat sane nonnisi exteriorem corporis mortificationem seu pœnitentiam externam a S. Paulo requiri; sed a corpore malitiam originem sumere et ejus causa, quæ in animo mortificanda ab homine sunt. Nonne enim in corpore et ex corpore concupiscentiæ sunt? « Unde bella et lites in vobis? nonne hinc? ex concupiscentiis vestris quæ militant in membris vestris (3)? » Duplex ergo mortificatio est alia interior, cujus

(1) II. ad Cor. IV, 10. (2) S. Jac. Ep. Cath. IV, 1.
(3) Thom. a Kempis.

natura in lucta consistit, quam homo rationabilis adversus animæ concupiscentias, sustineat, quibus resistat ac penitus renuntiet ne in crimina corruat; alia exterior, quæ corpus ipsum doloribus, jejuniis, aliisque afflictationibus refrenat, ut internis concupiscentiis alimentum minuat.

1. De interna mortificatione.

17. Quæ de resecatione vitiorum cordis alibi dicta sunt ad interiorem animæ mortificationem pertinent; vitia enim per mortificationem sunt resecanda, expoliendus animus, comprimendæ inordinatæ affectiones, ut, veteri homine deleto, innovetur homo juxta imaginem et similitudinem Christi Jesu viventis, qui novus est homo. Ad hanc mortificationem spectant etiam, quæ nuper de vigilantia exposuimus, quæ finem habet impediendi quominus concupiscentiarum motibus obsecundemus, eisque alimenta et occasionem animæ nocendi præbeamus. Hac vigilantia novus homo nihil agit quod rationi et divinæ vitæ conforme non sit et consentaneum: adeo ut nonnisi divina vivat vita. Ne tamen putemus vitiorum resecationem et vigilantiam in omnibus, seu brevi mortificationem, unius diei opus esse: continua hæc esse debent et ad mortem usque extendi, quo etiam horæ momento vitæ terrestris immoderatus amor refrenandus, ut vitæ ipsius

holocaustum perfectum divinæ voluntati offeramus : nam in morientis hominis membris scintilla adhuc viget, quæ in vastum incendium, nisi vigilemus, dilatari potest et æternam animæ e corpore avulsæ procurare ruinam.

18. Sit igitur præ oculis illud : « Vince teipsum » ut et in minimis nobismetispsis renuntiemus : « Non enim est minimum in minimis seipsum relinquere. » Quid prodest si cetera relinquamus, nisi et nos ipsos plene relinquamus ? « Qui relinquere universa disponis, te quoque inter relinquenda numerare memento (1). » ait Bernardus. Sed imprimis contra amorem nostri immoderatum luctam inire opus est, ut alibi diximus, maxime cum sub boni specie satisfieri cupit, vel nobis quod necessarium videtur repræsentat, vel quod Ecclesiæ bonum et utile existimatur. Itaque cum notum omnibus sit vim in nos exercendam, ut nos plene vincamus, a voluntate incipiendum est, ut firmum agendi propositum concipiamus et constanter agendi. Studeamus præterea inclinationibus et desideriis nostris, ut ea singillatim dignoscamus, deinde unum ab alio sejungamus, ut unum post aliud aggrediamur ; non enim facile est luctare vel vincere, si omnia simul vitiosa ex animo eradicare velimus.

(1) S Bernard. Dec 2 c. 2.

2. De pœnitentia exteriori.

19. Nec minimi exterior pœnitentia facienda. Lex nequitiæ quam unusquisque sentit et de qua Paulus queritur, in membris nostris est : hæc ergo sunt afflictanda, haec refrænanda, his non modo quæ immoderate petunt, sed etiam aliquando quæ inter moderationis limites continentur, sunt deneganda, ne amplius nos ad limites transgrediendos impellant. « Cito facient quæ non licent, qui faciunt omnia quæ licent (1). » Quod si quis in illicita miserrime abiit, juxta S. Gregorii doctrinam necesse est, ut licitis etiam se privet et suam intemperantiam puniat.

20. Quis neget interiorem mortificationem nobiliorem esse, majorisque momenti virtutum exercitium quam corporis cruciatus ? Attamen si hæc facienda prorsus sunt, alia non omittenda, omnes enim sancti viri multa in corpore perpessi sunt et voluntarie « corpus crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis suis. Quid ? nonne Christus ipse pœnitentiæ nobis exemplar fuit ? nonne ipse famem tulit, dolores, frigus et tormenta ? nonne jejunio se afflixit et siti, et quasi peccator esset atque malis concupiscentiis concuteretur vere pœnitentis viri vitam duxit ?

(1) S. Clem. Alex. Pædag., c. 1.

Quare jam ab initio Ecclesia fidelibus Christi corporis macerationes imposuit, ut carne mortificati, spiritu vivificarentur. Ratio autem hæc magis sacerdotes urget, ut pro se prius deinde pro populi criminibus pœnitentiam agant. Ipsi quotidie corporis Christi mortificati sacrificium offerunt : jam « nullus Deo et sacrificio dignus est, nisi qui prius se viventem hostiam exhibuerit (1). »

21. Itaque non refugiat presbyter corporis quasdam afflictationes sibi imponere : sed, si alias non potest, saltem, obsecro, nulla se ratione ab Ecclesiæ præceptis pœnitentiis, nisi summa necessitas expetat, se eximat. Quod si quis adeo infirmus in Dei servitio sit, ut carnem suam gravibus macerationibus conterere non audeat, non tamen, inquit S. Ligorius, parvas corporis mortificationes refugiat; quæ dura ei obveniunt, patienter ferat ; ferat incommoda, vigilias, frigus, calorem, infirmitates et alia ; ferat nauseabundum odorem cum infirmis assistere necesse est, vel in nosocomiis et in carceribus versari ; quæ omnia in sacramenti pœnitentiæ administratione sunt sustinenda et reliqua quæ quotidie occurrunt libenter ferat. Hoc saltem modo « mortificationem Jesu in corpore nostro circumferemus. »

(1) S. Greg. Naz. or. 1.

§ V.

De temporis usu.

22. Ad recte et bene agendum non parvi refert tempore ipso bene uti, illudque lucro apponere. Tempus spatium est momentorum a Deo concessum, ut fidelitatem nostram ipsi probemus, atque ad æternam adipiscendam vitam merita congeramus. Tempus pretiosissimum donum est, quod non plene dignoscere dabitur, nisi cum auribus nostris vox illa intonuerit : « Tempus non erit amplius : » tunc qui male tempore usi sunt, frustra clamabunt : « Ah ! si daretur hora ! » Dum igitur tempus habemus operemur bonum (1) ; — atque cum metu et tremore salutem nostram operemur (2) ; nulla temporis jactura fiat nec dies sine linea prætereat.

23. Quam lugendi sane sunt religiosi vel ecclesiastici viri, qui se nugis occupant ut « tempus terant » quasi tempus nocivum aliquod esset, de quo liberos nos reddere juvat ! Quam lugendi sunt Dei ministri, qui pretiosissimum tempus in prolongatis relaxationibus, in inutilibus vel conversationibus vel visitationibus, aliisque parum vel nihil ministeriis sacris convenientibus, fru-

(1) Ad Gal. VI, 10. (2) Ad Phil. II, 12.

stra consumunt! Hi sane pigritiæ et oscitantiæ crimine arguendi, et verendum ne in vitia proni, præcipites ex otio facile corruant. Qui sancte vivunt, ne momentum horæ vane consumant, non raro verentur; et quamvis jugiter sacris occupentur operibus, jam morti proximi timent ne forte satis non egerint, ut suis officiis recte et juxta Dei voluntatem fungerentur. Quid erit presbytero, in extremo agone constituto, si in inutilibus, otiosisque occupationibus tempus præterire permiserit?

24. Sacerdoti multa sunt, quibus utiliter et sancte incumbere potest, sed præcipue oratio, ministeria sacra et studia; his profecto aliqua corporis relaxatio adjici potest et fortasse debet, sed honesta et moderata, quæ spiritus fervori aliisque sacris negotiis quin noceat potius juvet. Cum ministeriis officii sui presbyter functus est, studiis vel orationi, ut alibi monuimus, operam dabit, ut oratio et studium ita inter se copulentur, ut nunquam sibi invicem obsint, sed contra sibi mutuo plurimum prosint. Sicut operæ pretium est horas aliquas orationi, piis exercitiis, piæque sacrorum bibliorum et sanctorum, vitæ lectioni destinare, ita scientiarum maxime sacrarum studiis præscriptas quotidie sacerdotes horas assignent, quibus constanter animum intendant, nisi gravia et necessaria ministeria alibi eos vocent.

Nam « si vix in laicis tolerabilis videtur inscitia, quanto magis in eis, qui præsunt, nec excusatione est digna nec venia (1). »

§ VI.

De Statutis diœcesanis.

25. Sicut pro religiosis familiis Constitutiones et alia ordinis Decreta sunt vitæ normæ et disciplinæ, quas sequi tenentur, quia in iis finis et spiritus unicuique Instituto proprii describuntur, media indicantur practica ad finem hunc assequendum, et ad spiritum specialis perfectionis obtinendum; ita pro Ecclesiasticis qui in seculo degunt, sunt Statuta uniuscujusque diœceseos. Affabre enim in eis delineantur finis et spiritus ecclesiastici ordinis a Christo ipso instituti, et media omnia demonstrantur, quæ ad hunc finem et spiritum assequenda necessaria videntur. Statuta diœcesana sunt quidem omnium canonum et decretorum collectio sive Conciliorum, sive Pontificum romanorum, sive episcoporum, quæ apta sunt ad sacerdotem dirigendum, ut propriam perfectionem et salutem, nec non animarum sibi commissarum consequatur.

26. Maximam ergo auctoritatem hæc Statuta habent, tum ex magni ponderis documentis, ex quibus potissimum desumuntur,

(1) S. Leo Magnus epist. 46.

tum quia in synodis diœcesanis, Episcopo ordinario approbante, post longum et maturum examen, stabiliuntur; tum denique quod eorum promulgatio, nonnisi annuente et sanciente Pontifice Romano, in diœcesibus fit. Inde obligatio exurgit, quæ gravissima est, cum ex parte Præsidum, qui ea præcipiunt, tum ex parte pœnarum gravissimarum, sub quibus ex his plurima præcipiuntur. Caveant igitur ecclesiastici viri ne flocci faciant tam sancta, tamque venerabilia Statuta sanctitatis normas et vitæ. Studeant imprimis ea cognoscere et præ manibus terere, seseque in actibus, in verbis, in moribus, in agendi ratione ipsis adamussim conformare.

27. « Accipite igitur, consacerdotes et quot-
« quot estis fratres carissimi, Ecclesiæ mi-
« nisterio mancipati, accipite codicem, qui
« factus est quasi unicus diœcesanus fons,
« ex quo haurire oportebit, unde efficiamini
« digni mysteriorum Dei dispensatores, o-
« perarii inconfusibiles, recte tractantes ver-
« bum veritatis. De vobis enim agitur in isto
« codice; vobis conscriptus est; tractat de
« vestra dignitate, de vestris officiis et mu-
« neribus, de vestra institutione et disciplina,
« a qua pendere et vestram et nostram et
« millenarum animarum salutem, nemo est
« qui ignoret. — Statutis igitur studete;
« statuta diurna, nocturnaque manu vol-

« vite... Quot pericula mendaque vitabitis?
« Hæc enim ex eo plerumque ortum ducunt,
« quod neglecto legis studio, scientia in ore
« sacerdotis, non ut par est, custodiatur (1).»

III.

Officia religiosi et ecclesiastici viri erga alios.

1. Restant officia pertractanda, quibus erga alios tenemur. Hæc complectuntur exemplum virtutum præbendum, opera zeli et misericordiæ exercenda; subjectionem, reverentiam, charitatem et unionem habendam. Summi momenti hæc sacerdotis officia sunt, quia per hæc suam sanctitatem demonstrat, his animarum saluti studet et Christo cooperatur in apostolica missione sibi commissa. Pauca igitur de singulis sunt attingenda et attente consideranda.

§ I.

De bono exemplo præbendo, et scandalo vitando.

2. « Nihil est quod alios magis ad pietatem et Dei cultum assidue instruat, quam eorum vita et exemplum, qui se divino mi-

(1) Ex Mand. Syn. Corn. Van Bommel Ep. Leod. an. 1851 in Stat. promulg. habito.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

tum quia in synodis diœcesanis, Episcopo ordinario approbante, post longum et maturum examen, stabiliuntur; tum denique quod eorum promulgatio, nonnisi annuente et sanciente Pontifice Romano, in diœcesibus fit. Inde obligatio exurgit, quæ gravissima est, cum ex parte Præsidum, qui ea præcipiunt, tum ex parte pœnarum gravissimarum, sub quibus ex his plurima præcipiuntur. Caveant igitur ecclesiastici viri ne flocci faciant tam sancta, tamque venerabilia Statuta sanctitatis normas et vitæ. Studeant imprimis ea cognoscere et præ manibus terere, seseque in actibus, in verbis, in moribus, in agendi ratione ipsis adamussim conformare.

27. « Accipite igitur, consacerdotes et quot-
« quot estis fratres carissimi, Ecclesiæ mi-
« nisterio mancipati, accipite codicem, qui
« factus est quasi unicus diœcesanus fons,
« ex quo haurire oportebit, unde efficiamini
« digni mysteriorum Dei dispensatores, o-
« perarii inconfusibiles, recte tractantes ver-
« bum veritatis. De vobis enim agitur in isto
« codice; vobis conscriptus est; tractat de
« vestra dignitate, de vestris officiis et mu-
« neribus, de vestra institutione et disciplina,
« a qua pendere et vestram et nostram et
« millenarum animarum salutem, nemo est
« qui ignoret. — Statutis igitur studete;
« statuta diurna, nocturnaque manu vol-

« vite... Quot pericula mendaque vitabitis?
« Hæc enim ex eo plerumque ortum ducunt,
« quod neglecto legis studio, scientia in ore
« sacerdotis, non ut par est, custodiatur (1).»

III.

Officia religiosi et ecclesiastici viri erga alios.

1. Restant officia pertractanda, quibus erga alios tenemur. Hæc complectuntur exemplum virtutum præbendum, opera zeli et misericordiæ exercenda; subjectionem, reverentiam, charitatem et unionem habendam. Summi momenti hæc sacerdotis officia sunt, quia per hæc suam sanctitatem demonstrat, his animarum saluti studet et Christo cooperatur in apostolica missione sibi commissa. Pauca igitur de singulis sunt attingenda et attente consideranda.

§ I.

De bono exemplo præbendo, et scandalo vitando.

2. « Nihil est quod alios magis ad pietatem et Dei cultum assidue instruat, quam eorum vita et exemplum, qui se divino mi-

(1) Ex Mand. Syn. Corn. Van Bommel Ep. Leod. an. 1851 in Stat. promulg. habito.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

nisterio dedicarunt. Cum enim a rebus seculi in altiorem sublati locum conspiciantur: in eos tamquam speculum, reliqui oculos conjiciunt, ex iisque sumunt quod imitentur (1). » Quare Dominus noster de ratione cum proximo agendi apostolos instruens: « Sic luceat, inquit, lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est (2). » Nihil verba, utut eloquentissima proficiunt, nisi opera præeunt vel sequuntur, cum ad aliquid faciendum ceteros hortamur. Per opera quæ exhortationem præeunt omnis justitia impletur: « Hæc est enim justitia, ait Ambrosius, ut quod alterum facere velis, prior ipse incipias, et tuo alios horteris exemplo (3). » Ita Christus egit, ita nos agere voluit; id populus intuetur et a nobis exquirit; id denique dignitas et character noster exigunt, ut vita et mores cum nomine nostro conformentur (4).

3. Attamen exemplum hujusmodi hypocrisis esse non debet, neque prodest ut foris et in publico appareamus, quod intus et intra domesticos parietes non sumus; si enim ita esset cum pharisæis hypocritis partem haberemus, quorum Christus nequitiam

(1) Conc. Trid., Sess. xxii de Reform., c. 1.
(2) Matth. v, 16.
(3) S. Ambr. l. 2, in c. 4; S. Lucæ c. ult.
(4) V. Conc. Trid., Sess. xxv de Reform., c. 1.

populo revelavit, nam dixit sepulcra eos dealbata esse, dicere et non facere. Non sane hypocrisim sed sanctitatem sacerdotalis dignitas requirit, ut sublimi Christi missione fungatur et utilis populo fiat. Ecclesiastici et religiosi viri a fidelibus secularibus superari in virtutum exercitio non debent. « Magna confusio est, inquit alicubi S. Hieronymus, sacerdotum et omnium clericorum, quando laici inveniuntur fideliores eis aut justiores. Quomodo autem non sit confusio, esse illos inferiores laicis, quos etiam æquales esse confusio est? »

4. In quibus autem et quomodo aliis exemplo esse debeamus, facile ab iis colligitur, quæ hactenus dicta sunt, et quæ sæpe ex Concilii Tridentini decretis, aliisque innuimus. At quid esset si quin exemplum virtutum omnium populo præberent, scandalo potius ministri Dei et Christi fierent, si avaritia se vinci sinerent, si rapi libidine, vino et ebrietate consumi, luxu et lusibus distineri, ira et superbia inflari, otio aliisque vitiis abripi? Scandala certe necessaria, ut Christus docet, in mundo sunt, ut justorum hominum virtus probetur, sed « væ homini illi per quem scandalum venit (1)! » Quod si illi qui scandalum puero affert « melius est ut suspendatur mola asinaria in collo ejus et demergatur in profundum maris (2)! »

(1) Matth. xviii, 7. (2) Matth. xviii, 6.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

quid presbytero verendum, qui suo scandalo non unum puerum sed innumeros Christi fideles conturbat? Incredibile enim est quid mali vel unum sacerdotis scandalum in populo gignat.

5. Primum enim, inquit Augustinus, « Cum de aliquibus qui sanctum nomen profitentur, aliquid criminis vel falsi sonuerit, vel veri patuerit, instant, satagunt, ambiunt, ut de omnibus hoc credatur: » unde fit ut crimen unius sacerdotis totum inficiat sacerdotium.

Hinc secundo, vita nostra despicitur, ut hypocrisis traducuntur virtutes, prædicatio contemnitur, dubium etiam de veritatibus quas docemus insinuatur.

Hinc tertio, fideles sibi licere facile persuadent, quod a suis pastoribus fieri conspiciunt et ardentius perpetrant (1).

6. Itaque ad rem Concilii Tridentini Patres Episcopos monent ut caveant ne Clerici, præsertim ad animarum curam constituti, criminosi sint, neve inhonestam vitam, ipsis conniventibus, ducant. Cujus rei hanc rectissime rationem adducunt: « Nam si eos pravis et corruptis moribus esse permittant, quo pacto laicos de ipsorum vitiis redarguent, qui uno ab eis sermone convinci possent, quod clericos ipsis patiantur esse deteriores? qua etiam libertate laicos corripere pote-

(1) S. Greg., Pastor., p. 1, c. 2.

runt sacerdotes: cum tacite sibi ipsi respondeant, eadem se admisisse quæ corripiunt (1)? » Sacerdotes ergo, juxta Apostoli vocem « nemini dent ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum: sed in omnibus exhibeant se Dei ministros (2). » Neque tantum vera scandala devitent, sed prout fieri potest, pusillorum scandala: « oportet enim, inquit Apostolus, ut provideamus bona, non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus (3). »

§ II.

De salute animarum procuranda.

Cum multa de animarum zelo, proindeque de earum salute procuranda dicta sint, pauca hîc tantum addenda censeo, cum in genere, tum de prædicatione in specie.

1. De salute animarum procuranda in genere.

7. Non ita sacerdotibus animarum salus procuranda, ut de aliena solliciti, suam negligant. Apostoli Pauli exemplum imitentur qui corpus etiam suum severe castigabat et in servitutem redigebat, ne cum aliis prædicaret ipse reprobus efficeretur (4). Nec

(1) Conc. Trid., Sess. XIV de Ref., Prœmium.
(2) II. ad Cor. VI, 3.
(3) II. ad Cor. VI, 8.
(4) II. ad Cor. VIII, 4.

unum ex sanctis sacerdotibus vel episcopis novimus, de quibus, cum multa in animarum salutem acta legantur, suum proprium fervorem vel animi sanctitatem neglexisse dici posset. « Quid enim prodest homini si mundum universum lucretur (spirituali etiam ratione) animæ vero suæ detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima sua (1)? »

8. Ad hæc, necessario gloria Dei in distinendis laboribus pro animarum salute quærenda, ne mercedem nostram in hoc mundo recipiamus: adeoque vires intendendæ, ut Deus in creaturis atque per eas glorificetur. Quare: 1° Amoveant presbyteri a se omnes carnis, sanguinis, parentum et amicorum immoderatas affectiones, ut omnium liberi, suique juris ministeriis sacris vacent, nec hilum de iis quæ sibi facienda sunt relinquant, etiamsi de unius animæ salute ageretur, quamvis honor, bona temporalia et vita ipsa in discrimine futura essent.

2° Non parcant labori, neque de successu aliquid cogitent; sed potius a Deo plena fiducia expectent, ut gratias abunde largiatur, quibus animæ salvæ fiant. Quod si post multos exanthlatos labores nihil proficiant, humiles illa repetant: « Per totam noctem

(1) Matth. xvi. 26.

laborantes nihil cepimus... Servi inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus. »

3° Verbis non modo sed opere ostendant quanto et vero et sincero amore erga hominum animas ferantur, quin suis emolumentis, suoque bono provideant, non quærentes quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi, ne homines eorum verbis decepti, non amplius credant ea quæ dicunt.

4° Industriis omnibus quas charitas suggerit utantur, et nunc unum nunc aliud efficax medium, pro opportunitate, pro rerum, temporum et hominum conditionibus adhibeant; non enim omnes uno plane eodemque modo ad Deum adduci possunt vel debent.

5° Mansuetudinem et prudentiam pro regula communi et generali habeant, imitantes Christum ipsum, qui dulcedine quamplurimum peccatores ad meliorem frugem vocabat; nec tamen animi constantiæ et severitatis, cum oportet, obliviscantur, modo dulcedine ipsa temperentur et omnes noverint, non ex immoderato animi æstu, sed ex officii necessitate sacerdotem severe aliquando se habere.

6° Nec tandem illud Christi oblivioni mandent: « Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere (1); » quia in omnibus et semper « Obedire oportet Deo magis quam hominibus (2). »

(1) Matth. x, 28. (2) Act. Apost. v. 29

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

2. De Prædicatione in specie.

9. Cum salus animarum potissimum per sacramentorum administrationem et per verbi Dei prædicationem procuretur, de hac ultima in specie est nobis agendum, quoniam de prima superius egimus.

Presbyteri sane officium est ex vi ordinationis verbum Dei populo annuntiare, eumque docere et exhortari « Oportet sacerdotem prædicare... » Fit tamen aliquando, ut non solum ex charitate, verum etiam ex justitia obligetur, cum curam animarum habet, earumque est Pastor. Nec dicat se ad hoc munus suscipiendum aptum non esse, eloquentia vel eleganti dictione non pollere: nulla enim ratione necessarium est, ut sacerdotes omnes majoribus habendis concionibus se tradant. Sunt tamen catecheses, familiares evangelii et veritatum moralium explicationes, sunt et populares exhortationes, quibus faciendis magna oratorum eloquentia non indigemus, et ex quibus nullo sub prætextu eximi possumus. Quod si scientiam non habere presbyter obtrectet, suæ sibi culpæ tribuat, male actorum in seminariis studiorum pœniteat, studiisque et lectioni incumbat, ut aptus fiat Christi minister, cui dictum: « Euntes docete omnes gentes. »

10. Tria verbi divini præconis, ut cujuscumque oratoris, sunt munia, *docere*, *delectare*, *movere*. Imprimis ergo presbyter doceat fideliter ignorantes, ipsis fidei et morum veritates magis scitu necessarias clare explicet. Verum ut id agat, non imparatus ad verbum Dei prædicandum accedat, studeat sanam et rectam possidere quam edicit doctrinam, probatos consulat auctores, nihil effutiat quod certum non habeat, quodque doctrinæ catholicæ Ecclesiæ, Pontificum et conciliorum canonibus conforme vel consentaneum non sit, ne pastoris doctorisque munus obeundo, agnos, discipulosque suos pravis doctrinis imbuat, venenosisque pascuis nutriat.

Delectet etiam presbyter suaviter audientes, ut veritas et virtus magis placeant: sed ne obliviscatur « a se Christum prædicandum et hunc crucifixum non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis. » Quare vanos oratorios calamistros vitet, et se auditorum captui accommodet, sermonem et stylum materiæ tractandæ apte conformet.

Denique moveat acriter peccantes, eos, ut resipiscant, toto eloquentiæ conatu, totis zeli viribus, totis rationum momentis inducat, impellat, urgeat. Ita odibiles vitiorum labes et fœditates vivis adumbret coloribus, ita amabiles virtutum dotes et illecebras gra-

phice depingat, ut unicuique studium boni, odium mali efficaciter suadeat. Verum, ut hic animi motus suum supernaturalem fructum afferat, non suæ eloquentiæ sed gratiæ divinæ presbyter tribuat, ferventique prece Deum propitium in fideles, quibus sermonem habet, invocet. Tandem grandia argumenta diserte, mediocria temperate, communia simpliciter prosequatur.

11. At vero imprimis satagat, ut dictis facta consonent, ut vita sermoni concordet; plus enim exempla movent quam verba. *Vox oris sonat, vox operis tonat... Longum iter per præcepta, breve et efficax per exempla... Cœpit Jesus facere et docere.* Nunquam seipsum aut in sui gratiam, sed semper Jesum Christum et ejus gloriam prædicet. Bona est et excellens prædicatio, cum auditores de laudibus oratoris parum curant, sed de vita emendanda et de moribus reformandis serio recogitant. Sic afficiebantur qui audiebant apostolos, ut interrogarent: « Quid faciemus, viri fratres? »

12. Si prædicatio ad personas ætate graves tanti videtur momenti, instructio parvulorum majoris adhuc censeri debet ponderis, propter varias rationes: ex parte infantium, ob majorem necessitatem; ex parte ministerii ob majorem fructum; ex parte ministri ob majorem facilitatem (quæ tamen maturam præparationem non excludit)

obque minorem vanæ gloriæ titillationem. Quisquis igitur Christi minister hanc functionem neglexerit, nullo ante tribunal Christi excusationis prætextu a gravissimo culpæ reatu poterit vindicari. « Custodi virum istum; qui si lapsus fuerit, erit anima tua pro anima ejus (1). » Omnem excessum catechista devitet, scilicet nimis facunde, aut nimis demisse loquendo, nimis jocose aut nimis rigide se gerendo; sed semper decentem gravitatem affabili lenitate temperatam præ se ferat. E suis etiam documentis et instructionibus aliquem pietatis fructum auditores colligere edoceat, et ad id pias aliquas historias interdum adhibeat (2).

§ III.

De Misericordiæ Operibus.

13. Ex charitatis præcepto obligatio fluit proximo subveniendi misericordiæ operibus, eumque nostris facultatibus atque officiis sublevandi. Obligatio hæc fidelibus omnibus Christi communis est, amor enim in

(1) III. Reg. xx, 39.

(2) Hæc quæ de prædicatione diximus, fere ad litteram ex " Ordine vitæ sacerdotalis „ desumpsimus ab Em. Card. Eug. Sterckx, a. 1842 edito, quem Presbyteris omnibus commendamus. Hac etiam occasione arrepta, proponimus sacerdotibus manibus terendum opus cui titulus: " Manuale Sacerdotum „ auctore P. Jos. Schneider S. Coloniæ: quod prostat etiam Tornaci apud Casterman et Parisiis apud Roger et Chernoiz.

opere consistit: quare non alia ex ratione Christus judex in fine mundi homines judicandos compellabit, nisi ex his misericordiæ operibus. Quod si omnes hæc facere tenentur, sacerdotes præcipue hac lege obstringuntur. Juvat ergo pauca hîc adnotare, quæ aliquid momenti habent, ut misericordiæ opera exerceamus.

1. De pauperibus sublevandis.

14. Ex officio sacerdos pater est pauperum, et si beneficiis gaudeat ecclesiasticis, non ignoret hujus rei gratia se habere, videlicet ut pauperibus, utut potest, subveniat, non vero ut luxui impendat et immoderatis comessationibus (1). Christus pauper, qui ex erogatis eleemosynis vel ex fidelium hominum charitate cum suis apostolis vivebat, peculium quoddam, ut ex Evangelio arguitur, in pauperum usum reservasse creditur, quod ipsis pro opportunitate largiretur.

15. Ceterum illud presbyteri meminisse debent: « Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut, cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula (2). » Quapropter cito, ex corde et magno cum gaudio quod possunt dent, et eo modo quo possunt: si divites sunt, abundanter; si egeni parce; verum

(1) V. Bened. XIV de Syn. Diœc. l. 7, c. 2.
(2) Luc. XVI, 9.

nunquam denegent quod a miseris petitur; suamque in Deo fiduciam reponant, qui unum danti centum se daturum promisit. Illustrium et sanctorum episcoporum sibi præ oculis exempla ponant, qui, divenditis omnibus, se pauperes sæpe pro Christi pauperibus constituebant, quique, si necessitas urgeret, vasa etiam sacra ut pauperibus pretium distribuerent, generose comminuebant.

2. De Infirmorum aliorumque visitationibus.

16. Pastoris animarum præsertim est infirmos aliosque suos subditos aliquando invisere, sive ad ministeria sacra exercenda, sive ad consilia præbenda, sive ad disponendum animas proximæ morti, sive aliis de causis quas charitas suggerit: non vero sine utilitate ulla quæ in Dei vel animarum bonum cedat. Infirmorum visitationes frequentiores fiant quam benevalentium, tunc enim in animæ discrimine Christi fideles constituuntur, tunc consolatione indigent et hortationibus, ut patienter infirmitatem ferant, tunc magis oportet ut sacerdotis charitas eluceat, qui suas oves, etiam cum ab omnibus vel amicis relinquuntur, facile non relinquit.

17. At cautum in infirmorum visitationibus sacerdos se præbeat: de nihilo nisi de

animæ negotiis sollicitum se ostendat: cetera temporalia aliis agenda tradat et constanter renuat sibi onera imponi, quæ cum sacro ministerio et sacerdotali dignitate non congruunt: ne aliis sive avaritiæ, sive cupiditatis alicujus suspicionem ingerat. Prudens denique sit, maxime ubi de alterius sexus visitandis infirmis agatur: nunquam ergo, si fieri potest, sine teste id faciat et angelo suæ pudicitiæ comite; nihil nisi decorum in verbis, in gestu, in incessu præseferat.

18. Cum aliæ visitationes ex charitate, ex amicitia, ex animi gratitudine et benevolentia, vel ad amicitiam conciliandam sunt peragendæ, nonnisi animarum salus ultimus sit vel proximus finis. Quacumque autem ex causa visitationes hujusmodi incipiantur, frequentius ac opus sit non fiant, nec longius ac par est prorogentur, ne paullatim ex charitatis et benevolentiæ fine in amorem sensibilem vel carnalem declinent, aut in vitium gulæ, in compotationes, in inutilia et sacerdoti indigna dilabantur. Quod si in ejusmodi visitationibus negotia terrestria sint tractanda, quæ gloriæ Dei et salutis animarum finem habent, missionis suæ presbyter ne obliviscatur: sciat enim prudenti ratione de Deo, de Ecclesia, de bonis ad spiritum pertinentibus sermonem imscere, consilia quædam addat et exhorta-

tiones, quæ animas dirigunt et perficiunt. Sed, quod maximum præstat, gravitate loquendi et se continendi aliis exemplo sit; detractiones et obmurmurationes effugiat et impediat, cachinnos vitet, nihilque effutiat vel intra domesticos parietes agat, quod publicum vulgatumque rubore eum afficeret.

3. De Mortuorum sepultura.

19. Juvat hîc aliqua ex Rituali Romano in mentem revocare, ne sacerdotes sui muneris obliviscantur.

1° Sacras cæremonias et ritus parochi summo studio servare debent, atque usu retinere.

2° His itaque præstandis, qua par est modestia et devotione, ita se habebunt, ut ad defunctorum salutem, simulque ad vivorum pietatem, quemadmodum vere sunt, non ad quæstum, ejusmodi ritus sancti instituti esse videantur.

3° Caveant omnino parochi, aliique sacerdotes, ne sepulturæ vel exequiarum, seu anniversarii mortuorum officii causa quidquam paciscantur, aut tamquam pretium exigant; sed iis eleemosynis contenti sint, quæ aut probata consuetudine dari solent, aut Ordinarius constituerit.

4° Cum autem antiquissimi ritus ecclesiastici sit, cereos accensos in exequiis et fu-

naribus deferre; caveant item, ne ejusmodi ritus omittatur, aut ne quid avare aut indigne in eo committatur.

5° Pauperes vero, quibus mortuis, nihil aut ita parum superest, ut propriis impensis humari non possint, gratis omnino sepeliantur; ac debita lumina suis impensis, si opus fuerit, adhibeant sacerdotes, ad quos defuncti cura pertinet, vel aliqua pia confraternitas, si fuerit, juxta loci consuetudinem.

20. Hæc meminisse juvabit, præsertim quod ad pauperes spectat, quorum patres, ut diximus, sacerdotes sunt ex officio, ut magno amore etiam post obitum prosequantur. Indignum enim esset, et scandalum cieret, si aliquando pauper sine cæremoniis et ritu sacro, sine cereis ad sepeliendum, ut canis, ob sacerdotum avaritiam deferretur. Nec minus scandalum esset festinanter cæremonias perficere, sine ulla gravitate, modestia ac pietate, ubi de paupere sepeliendo agatur; quis enim cum sacerdotem sic agentem videret, non statim argueret, non eum propter Deum sed propter lucrum suo officio fungi? Sciant ergo nunquam sine mercede, saltem cœlesti, hæc ab eis fieri. In mentem angeli verba ad Tobiam revocent (1), vel Augustini dictum: « Mortuum sepelistis, ipse sepultus pro vobis voce tacita proclamavit. »

(1) Tob. VII, 12.

21. Denique noverint sacerdotes quando et quibus ecclesiastica sepultura dari non liceat. Etenim canones vetant quominus iis detur qui in catholica religione mortui non sunt, quia nunquam eam professi fuerunt, vel ab ea publice discesserunt ut hæresim vel schisma sequerentur; deinde iis qui excommunicatione majori publice notantur, nominatimque interdictis, nec non iis qui in loco sunt interdicto, eo durante. Pariter sepultura ecclesiastica prohibentur qui sibi ipsis ex desperatione, vel ex iracundia manus violentas intulerunt, nisi ex insania fecisse constet, vel nisi ante mortem pœnitentiæ signa dederint; denique qui in duello mortui sunt, quamvis pœnitentiæ signa ante mortem dederint; manifesti et publici peccatores, sine pœnitentia mortem obeuntes; infantes absque baptismate mortui. Quod si in his dubium aliquod oriatur, nihil nisi Episcopo ordinario consulto, a sacerdote fiat.

4. De consolatione afflictorum.

22. Quis melius sacerdote, qui Christum repræsentat, cujus erat omnium misereri, cujuscumque generis miseros homines hortari et consolari queat? At cor patris induere opus est ut afflictionibus omnibus solatium afferatur, quod nec mundi sectatores, nec bona omnia mundi ipsis unquam afferre

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

possunt: mundus homines miseros reddit, Dei est et ipsius legatorum dulcedinem et gaudium dispensare. Ut hæc ageret Paulus apostolus se omnia omnibus faciebat, ut omnes Christo lucrifaceret; gaudebat cum gaudentibus, et cum flentibus flebat. Hoc presbyter habeat præ oculis exemplum: nam infinitæ sunt hominum angustiæ, quibus occurrere necesse est. Alii interius a dæmone vel concupiscentiis cruciantur, de quibus timendum ne fortasse in dementiam incidant vel in crimen; alii delictorum pondere premuntur, ac verendum ne in desperationem acti præcipites in infernorum locorum barathra ruant; alios mundus fatigat ac frangit, furto, detractione et calumnia, concussionibus et persecutione, eosque gemitibus consumi sinit; alios denique Deus ipse probat paupertate, adversitatibus, infirmitate ac desolationibus, qui, nisi adjuvemus, animo dejiciuntur.

23. Vides quot quantosque, tu mitissimi Christi minister, solari et dulcedinis tuæ rore levare debeas; illis, ut potes, succurras, hos invisas, eorumque lacrymas tergas, vel tuas cum eorum lacrymis misceas; alios patienter audias, ut quæ turgenti corde retinent in cor patris effundant et recreentur. Si in his rerum adjunctis sacerdos fideles despiciat, si audire negligat, vel immitissime e sua præsentia deturbet, ad quem con-

fugient miseri vel quem solatorem habebunt? Certe Deum et Christum Jesum; sed presbyteri est hoc iter ipsis indice monstrare, ut quod ab hominibus extundere non possunt, saltem lacrymis et prece a Deo impetrent. Ne pharisæum, obsecro, imitemur, qui cum Christum benignum se ostendere erga Mariam pœnitentem conspiceret, tacito animo improbavit. Si Christus Magdalenam, ex pharisæi mente, rejecisset, anne mulierem hanc inter præclarissimas sanctas connumeraremus?

24. Quod si ad mala quædam ab hominibus tribulatione gravatis abigenda correctio aliquando necessaria sit, nihil obstat quominus opportune et quam mitissime fiat. Imprimis miseri consolatione indigent, ut tantisper a malis leventur, deinde cum animus sese erexerit, licet malorum causas explicare, ut se corrigant et ad has causas avertendas laborent. Christus primo paralyticum jam a triginta et octo annis in lecto jacentem curavit; serius vero eum admonuit: « Jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat (1). » Antea Christus adulteram a suis accusatoribus liberam reddidit; deinde addidit: « Vade, et jam amplius noli peccare (2). » Christus sit nobis exemplo, ut paterne miseris afflictisque opem præbeamus.

(1) Joan. v. 15. (2) Joan. VIII. 11.

5. De correctione peccatorum.

25. Patris profecto est non modo filiis consolationem afferre, eorumque tristitiam levare, verum etiam eos aliquando tristes reddere, erratorum correctione vel etiam punitione. Atque in hoc sacerdotes medicum imitari tenentur, qui vel membrum amputare, vel candescenti ferro plagam inurere, ut sospitem infirmi vitam habeant, nullo modo expavescit vel refugit. Sic Paulus gavisus est quod Corinthios contristasset, eo quod tristitia hæc eos ad meliorem frugem adduxerit. Christus etiam nobis hujus severitatis et correctionis plurimis in evangelii locis auctor est; vel cum omnes simul apostolos, vel cum Petrum severe verbis castigavit, vel cum vendentes et ementes bis e templo ejecit. Non minus est damnum cum subditum sine causa amare agimus, ac cum ejus increpare vitia negligimus, ubi nostri muneris est ut id agamus. Sacerdotem Heli in mentem presbyteri revocent, nec a Deo impune relictum iri sacerdotem arbitrentur, qui huic officio debite non satisfaciat. Quorsum enim auctoritatem a Deo recepit? quorsum virgam in manu tenet? nonne ut percutiat, cum percussio ad sanandum necessaria videtur?

26. At vero sacerdotis correctio paterna

esse debet; quare regulas aliquas sequendas brevibus hic verbis proponimus:

1° Correctio *opportuna* sit, nempe rerum adjunctis faventibus, cum fructus speratur ab eo capiendus, qui correctione dignus est, vel ab iis quibus ipse scandalo fuit.

2° *Moderata* sit, ideoque non nimis frequens, ne inutilis fiat vel ad iram provocet; oportet etiam aliquando parcere subjectis, dissimulare peccata, mansuetudine delinquentem ad pœnitentiam adducere. Corrigere sane necesse est, non autem errantes conterere.

3° *Prudens* sit, ut nemo corrigatur nisi de ejus crimine certi simus: nemo enim præsumitur malus nisi probetur. S. Paulus de presbytero corrigendo ad Timotheum ait: « Adversus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus (1). »

Prudens sit, ne iratus aliquem corrigas, vel iratum; ne si iratus id facias, magis ut tuæ iræ satisfacias corrigere, quam ex amore videaris; sin autem iratum corrigas, nihil proficias et potius plagam acerbiorem reddas.

Prudens sit, neminem videlicet publice de privatis culpis corrigas, nisi jam evangelicum Christi sequutus sis præceptum (2).

4° *Mitis* sit non acerba; audi Apostolum:

(1) I. ad Tim. v, 19. (2) Matth. xviii, 15-17.

« Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem; juvenes ut fratres; anus ut matres; juvenculas ut sorores, in omni castitate (1). » In genere vero admonet Apostolus ut increpatio fiat in omni patientia et doctrina et in spiritu lenitatis, considerantes nosmetipsos, ne et nos tentemur (2).

6. De discordiis componendis.

27. Angelus pacis est minister Christi, et non solum inter Deum et homines, ut hos Deo reconciliet mediator, sed inter homines ipsos, ut odiis, jurgiis et discordiis extinctis, pax in familiis et societatibus regnet, concordia animos uniat, omnesque in Dei amorem, charitate duce, ferantur. Rixarum, odiorum, discordiarumque causa concupiscentiæ sunt: oportet ergo ut presbyteri odia ac discordias verbo et auctoritate prævertant, fidelibus Christi sermonibus insinuando, ut concupiscentias suas refrænare sciant, memores illius evangelici verbi: « Si quis vult post me venire, abneget semetipsum; » non enim christianus quis esse poterit quin hoc agere sciat.

28. Quod si ex hominum infirmitate aliquando fiat, ut odiorum discordiarumque semina spargantur, tum sacerdotis est scintillas primas statim extinguere, ne si serius

(1) I. ad Tim. v. 1. (2) Ad Gal. vi, 1.

corripiantur magnum excitetur incendium: « A scintilla enim una augetur ignis. » Jam facilius est malum ab initio abigere, quam cum radices egerit et in immensum excreverit

Principiis obsta: sero medicina paratur,
Cum mala per longas invaluere moras.

Itaque Deo suæ negligentiæ presbyter rationem reddet, si præsertim suorum subditorum odiorum initia non comprimat cum possit: quid autem si sua imprudentia ac dicteriis causa sit ut succrescant ac rixas aliaque mala producant?

29. Cum verò odiorum discordiarumque malum gravissimum fiat, nec nisi serius sacerdoti innotuerit; videat qua suavitate, quaque prudentia agendum sit, ut animi paullatim refrigescant, conquiescant iræ, ratio dominetur, amorque Dei et proximorum corda pertentet. Caveat ne verbo quidem vel nutu unum vel alterum ex oppositis partibus lædat, ne lites dirimat, neve cum uno aut cum altero juxta ejus mentem consentiat; sed Christi exemplis utatur et præceptis, evangelica dicta et consilia adhibeat, nec humanas prætereat rationes quæ quandoque ad animos conciliandos non minimam vim habent. Unum separatim ab alio alloquatur, lenibusque verbis pacem et animorum unionem suadeat, quam Christus commendat. At si nihil verba lenia profi-

ciant, utatur interdiu severitate, obsecret, increpet in omni patientia; intereaque effusis ad Deum precibus, roget ut obdurata corda emolliat, reddat rationi christianum sensum et affectum cordi. Gravissimum sane hoc est sacerdotis ministerium, quo fungi omnino sine Dei gratia et auxilio non potest.

§ IV.

De Ecclesiæ et Pastoribus honore debito tribuendo.

30. Ecclesiam ut matrem, Pastores ut patres sacerdotes habeant, hoc enim mandatum a Christo accepimus. Mater est Ecclesia quæ nos ad vitam genuit, quæ alit, educat, servat, ad hujus vitæ mortalis finem dirigit, in morte ipsa lacrymas tergit, ac pro nobis etiam post mortem orat. In ea certe nati sumus, crescimus et roboramur, ut cum ea ad beatam perveniamus patriam, omnium electorum, filiorumque Ecclesiæ regnum. « Honorem igitur habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ ejus (1). » Scilicet ea sunt nobis erga Ecclesiam munia, quæ erga terrestres parentes, ut sicut his tum interiorem, tum exteriorem quamdam reverentiam et observantiam, tum opem et obedientiam debemus, ita et Ecclesiæ; sicut nobis man-

(1) Tob. IV, 3.

datur ne terrestres parentes contristemus, vel sive verbis, sive signis aut factis offendamus, ita et Ecclesiam ipsam; denique sicut pietas filialis nobis imponitur, ut parentibus nos devoveamus, eosque, ubi opus sit, defendamus et tueamur, ita hæc eadem erga Ecclesiam agere debemus.

31. Ne fugiat sacerdotes eamdem Ecclesiæ esse auctoritatem ac Christo: « Sicut misit me Pater et ego mitto vos (1); » reverentiam et obedientiam Ecclesiæ ut Christo ipsi deberi: « Qui vos audit me audit, qui vos spernit me spernit (2); » in numero schismaticorum et peccatorum publicorum computandos eos esse qui Ecclesiam non audiunt: « Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus (3). » Itaque sacerdos interiori reverentia Ecclesiam revereatur, quæ sanctissimæ Trinitatis supremum est opus, sponsa Christi, templum Spiritus sancti et tabernaculum, columna veritatis, sanctuarium domus Dei. Pro ea Christus rogavit, ei Spiritum sanctum misit, ut cum ea æternum maneat, suggerat ei omnia, omnemque veritatem eam edoceat; ei suam præsentiam et continuum auxilium promisit, nec non cum ea operatur et regnat.

32. Primum *reverentiæ interioris* signum est, sacerdotem intime et sincere omnibus fi-

(1) Joan. XX, 21 et XVII, 18. (2) Luc. X, 16.
(3) Matth. XVIII, 17.

dei et morum doctrinis se subjicere, quæ in Ecclesia universim tenentur ; idemque præstet relate ad omnia decreta, canones et ecclesiasticas definitiones, ad omnes traditiones et consuetudines, quæ ab Ecclesiæ auctoritate firmata et sancita fuerunt; nec ullo modo dubitare audeat vel contradicere omnibus his quæcumque tandem ea sint. « Si quid divinæ Scripturæ præscribit auctoritas, inquit Augustinus, non est dubitandum, quin ita facere debeamus ut legimus; similiter etiam si quid per orbem frequentat Ecclesia. Nam hoc, quin ita faciendum sit, disputare, insolentissimæ insaniæ est (1). »

33. *Exterius* presbyter Ecclesiam *revereatur*. Et primum vita ipsa et moribus; cum enim Ecclesia sancta sit, non modo sanctitate originis, constitutionis et doctrinæ, sed etiam suorum membrorum, potissimum suorum ministrorum sanctis operibus infidelium et popolorum omnium oculis prælucere debet ; maxime cum ministrorum probra facile a populo in totius corporis opprobrium vertantur. Deinde suis verbis vel actionibus nihil effutiat, nihil operetur quod scandalo aliis sit, et minorem reverentiam erga Ecclesiam et ea quæ ad ipsam pertinent, ingerat. Laudet potius et defendat cultum, leges, consuetudines, approbatas cæ-

(1) Epist. 118, c. 5.

remonias ; et sua modestia, pietate atque observantia quanti hæc sint facienda ostendat, ut eamdem reverentiam et observantiam suo exemplo aliis inspiret.

34. *Opem* sacerdos Ecclesiæ *ferat*, ad hoc enim ejus minister et Christi est constitutus, ut in vinea Domini laboret, fructus afferat et fructus ejus maneant. Quid enim pigro ministro Ecclesia indigeat, qui contentus rara et celeri Ss. Sacrificii celebratione et festina sacri officii recitatione temporis reliquum otio consumit, ludis, visitationibus, negotiisque mundanis? Anne hujus rei gratia facti fuimus sacerdotes? « Sacerdotem, inquit Episcopus antequam levitas sacro oleo perungat, oportet offerre, benedicere, præesse, prædicare et baptizare... Ministros Ecclesiæ suæ fide et opere, voluit Christus, debere esse perfectos (1). » Ideo Christo rationem reddet presbyter, qui sui dumtaxat et suorum sollicitus, nihil vel parum in Ecclesiæ emolumentum et in animarum salutem laborat.

35. *Obedientia* sua erga matrem Ecclesiam laicos fideles sacerdos prævertat, ut ipsis ædificationi non scandalo sit. Qui enim fideles Christi inobedientes et reluctantes corrigere audeat, si ipse non prompte, non sincere, non exacte, non perfecte obediat? Quid si obmurmuret, et in crisim Ecclesiæ

(1) Rit. Rom. de Ord. Presbyt.

præcepta et voluntates revocet? Quid si aperte renuat obedire et hunc vel illum supremum Pastorem imprudentiæ, inopportunitatis, ambitionis, studii partium redarguat? Quis te judicem constituit, ut de Ecclesiæ Pastoribus judicium proferas? Cave ne tua imprudentia et superbia aliis schismatis occasionem præbeas. « Non de majorum sententia judices, cujus officium est obedire et implere quæ jussa sunt. Discernere superioris est, subditorum est obedire (1). »

36. Quod si omnibus in genere ecclesiasticis præpositis obediendum est, « ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus nostris reddituri (2); » quanto magis *supremis Pastoribus* obtemperandum « quos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo (3)? » Hanc obedientiam sacerdos, ordines sacros suscipiens, suo Episcopo ejusque successoribus, coram Deo et Ecclesia, promisit. At etiam si non promisisset, hoc bonus ordo, hoc Ecclesiæ unitas expostulat et Christus jussit; hos enim præcipue intellexit cum ait: « Si Ecclesiam non audierit sit tibi velut ethnicus et publicanus. » Hæc tamen obedientia facilis redditur, cum Episcopos veluti Christi vices in terris gerentes

(1) S. Hier. epist. ad Rust. (2) Ad Hebr. XIII, 17.
(3) Act. Apost. XX, 28.

et patres nostros consideramus: tunc enim veremur et amamus, lætique quæ jubent exequimur: « Amor vincit omnia. »

37. Verum sunt, qui nunquam de suo contenti, altiora ambiunt, ad meliora adspirant: inde obmurmuratio, detractio et censura quasi ex naturali fonte scaturiunt, dehorsum effutiuntur, omniaque clamoribus implentur. Queritur sacerdos, quod apud Episcopum suum injuste fuerit insimulatus, vel quod male Episcopus de ipso sentiat vel suspicetur, sine causa puniat et plectat... Age, minister Christi, et ducis tui patientiæ memento; age et ad Episcopum patrem tuum filiali cum amore et fiducia confugias, defer sincere quæ tua intersunt, quin obmurmures et discordiam foveas. Esto obediens et patiens in adversis, humilitate magis aliis præferri quam dignitatibus cupias. Ne episcopale onus tua inobedientia, tuis obmurmurationibus gravius facias: sed potius tua docilitate levius patris tui munus reddas, his maxime periculosis Ecclesiæ discriminibus: ut fideles laici a te edoceantur quomodo subdi in omnibus Episcopo debeant.

38. *Romano* autem *Pontifici*, Christi Vicario, Ecclesiæ Principi potiori ex ratione reverentia, obsequium, amor et obedientia præstanda. Certe olim nefas erat, extremoque supplicio dignum habebatur illius crimen, qui judicio summi sacerdotis Moysis

cathedram occupantis, obtrectaret (1). Atqui superiorem nunc habet Romanus Pontifex in regendo, gubernando et judicando auctoritatem ac tunc temporis Judæorum Pontifex: majoris igitur criminis reus est ille, et graviori dignus pœna, qui ei reverentiam et obedientiam præstare renuit. Hinc ex Pii Papæ IV fidei formula « Romano Pontifici, beati Petri apostolorum Principis successori ac Jesu Christi Vicario, *veram obedientiam* spondemus ac juramus.» Attamen quoniam servi non sumus, sed filii et heredes Christi, liberi autem qua libertate liberavit nos Christus, in familia vivimus et Patrem nostrum Romanum Pontificem appellamus; ut filii peramanter obediamus, et obediendo Christi Vicarium diligamus; ut dociles in omnibus et subjecti, una omnes sub visibili Ecclesiæ capite crescamus in illum, qui invisibile caput est, Christum.

39. Hujus amoris gratia erga Ecclesiam, supremos Pastores et Pontificem Romanum, non solum effugiendum quidquid eos contristare vel offendere posset, sed et totis satagendum viribus, ut eos a contumeliis abstergamus, ut filiali devotione contra eorum detractores insurgamus, ac corpore nostro, si necesse sit, eorum honorem et jura tueamur. Si parentes nostri injuria, nobis præsentibus, ab homine impudente impeteren-

(1) Deut. XVII. 12.

tur, quo zelo arderemus, ut eorum jura et honorem tutaremur? Filii Ecclesiæ est ergo et maxime sacerdotis, his præsentibus calamitosis temporibus, ejus hostes, qui matris nostræ sinum dilacerant, qui Pastores nostros et Pontificem romanum calumniis, conviciis, dicteriis conspuunt, qui eorum patrimonium et jura dilapidant, ferventi zeli ardore impugnare verbo, scriptis, actibus impetere; ut integer Ecclesiæ matris honor, Pastorum nostrorum et Pontificis Romani decor maneat, eorumque auctoritas et jura omnibus sint reverentia et obsequio digna. Horrendum sane esset, his in rerum ac temporum adjunctis, vel sacerdotes tacere cum loqui debent, vel, quod Deus avertat, chorum cum impiis ducere, ut conniventibus vel ipsis approbantibus, Ecclesiæ matris sinus tot ictibus dilanietur.

§ V.

De agendi modo cum Potestatibus civilibus.

40. Quamvis nulla sit terrestris potestas, quæ cum sacerdotii potestate æquiparari possit, nihil obstat tamen quominus in societate civili sacerdotes degentes, civili ut cives subjiciantur potestati: non enim nobis Dei ministris, in sortem Domini vocatis et partem hereditatis nostræ Deum ipsum habentibus, civilis hæc collata fuit potestas. Quod igitur

terrestria et civilia spectat, civili et terrestri auctoritati subjicimur ; quamvis quod ad spiritualia et æterna pertinet, Ecclesiæ submittamur potestati : « Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, quæ sunt Dei Deo (1). »

41. Duplici ex ratione civilem sacerdotes auctoritatem revereri, eique per obedientiam subdi debent. Prima ratio ex D. Pauli verbis desumitur : « Omnis potestas a Deo est ; » propterea ad ordinem et pacem in societate servandis Dei voluntas est, ut qui sub jurisdictione ac limitibus potestatis alicujus continentur, huic obediant ac subjiciantur. Sacerdotes autem, quamvis ut ministri Christi, sub Episcoporum, Romanique Pontificis jurisdictione ac limitibus contineantur ; tamen ut cives sunt et jura civilia habent, gubernii civilis jurisdictioni subduntur, ideoque ejus legibus obedire tenentur. Hæ duæ potestates separari certe non debent, sed neque in unum confundi, verum distingui, ut unaquæque sua jura habeat, et in sua propria sphæra exerceatur.

42. Altera ratio ex eo patet quod Dei sacerdotes, relate ad ministeria sacra peragenda, fidelibus populis præsunt, qui in civili societate constituti, civili subjici tenentur potestati : propterea eis exemplo esse debent, ut ad ordinem et societatis pacem servandam concurrant, non modo sua morali auctori-

(1) Matth. XXII 21.

tate, sed etiam facto. Christus, quamvis rex esset et dominus dominantium, neque ullis obstringeretur legibus, neque ullius subjaceret potestati, voluit tamen, ut nobis exemplo esset, tributa solvere et potestatibus humanis, etiam injuste mandantibus obtemperare. Neque aliter ab initio Ecclesia se gessit, ut Christi exemplum sequeretur ac præceptum. Romani Pontifices ipsi, quoadusque sub imperatoria ditione constituti fuerunt, in iis quæ ad jura terrestria pertinebant, cum Dei legibus et Ecclesiæ imperatorum leges non opponebantur, maxima semper reverentia habuerunt : hanc sane a Christo, ut diximus, hanc ab apostolis doctrinam acceperunt (1), hanc retinendam, suadendam et docendam Ecclesia Christi jugiter arbitrata est.

43. Quamobrem civilibus legibus Christi sacerdotes obtemperent, ut Deo obediant et civilem societatis ordinem servent. Quod si hujusmodi leges Dei vel Ecclesiæ legibus contrariæ sint, ex suis Pastoribus supremis cognoscant, qua ratione sit ipsis agendum : sunt enim quædam, quibus ex conscientia resistere oportet et mortem potius pati quam obedire : « Obedire enim oportet magis Deo quam hominibus (2) ; » sunt vero et alia, quibus ad injustam vexationem repellendam

(1) Ad Rom. XIII, 1-7. — I. Petr. II, 17.
(2) Act. Apost. V, 29

obtemperare quidem possumus; vel ea potius patienter ferre. In omnibus tamen ministrorum Dei patientia, humilitas, charitas et constantia eluceant; nihil sane violentiæ ex ira, sed nihil indulgentiæ ex timore concedatur, ut ex nostra agendi ratione laici fideles quomodo et ipse agant recte cognoscant, et omnes pacifice in Domino vivamus.

44. Prudentia autem et justitia requirunt, ut observantia et obsequium etiam exteriora magistratibus civilibus habeantur, etiamsi hæc ipsi nobis non habeant, nosque concutiant et opprimant: honor enim auctoritati non personæ defertur, et auctoritati divinæ potius, quæ sic faciendum jubet, quam humanæ. Hæc si agant sacerdotes Dei, nihil de sua dignitate et auctoritate amittent, modo serviles et adulatores non sint; servilitas enim et adulatio sacerdotium deprimunt ejusque honorem proterentium pedibus conculcant: nihil autem officit quominus honores terrestres illis qui ambiunt reddantur; satis nobis sit extremum locum tenere, hunc enim tenuit ille qui ait: « Quis major est, qui recumbit an qui ministrat? nonne qui recumbit? Ego autem in medio vestrum sum sicut qui ministrat. » Quare, disputantibus discipulis, quis eorum videretur esse major, « Reges gentium, inquit, dominantur eorum: et qui potestatem habent super

eos, benefici vocantur. Vos autem non sic (1). »

45. Denique sacerdotibus commendatur ne obliviscantur pro principibus frequenter et civilibus potestatibus orare. « Obsecro igitur vos, ait D. Paulus, primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus: pro regibus et omnibus qui in sublimitate sunt, ut quietam et tranquillam vitam agamus, in omni pietate et castitate. Hoc enim bonum est et acceptum coram Salvatore nostro Deo (2). »

§ VI.

De spiritu pacis et unionis cum confratribus.

46. De charitate et unione fraterna multa alibi dicta sunt, operæ vero pretium est pauca addere, quæ ad unionis pacisque spiritum inter sacerdotes ipsos servandum suadeant, et quædam ad hunc finem utilia momenta et consilia suggerant. Si omnibus suis certe præcipue apostolis et discipulis hanc unionis pacisque concordiam in charitatis vinculo tuendam Christus mandavit; cum enim sui corporis principalia membra sint, hancque unionem fovere et custodire inter fidelium membra debeant, nemo non videt quam necessarium sit inter se custo-

(1) Luc. xxii, 25-28. (2) I. ad Tim. ii, 1-3.

dire et caute tueri. Quem enim latet illud Ecclesiastici: « Secundum judicem populi, sic et ministri ejus: et qualis rector est civitatis, tales et inhabitantes in ea (1)? » Fieri nunquam potest, ut unionis et pacis spiritus in christiano populo dominetur, nisi et inter Pastores ac sacerdotes ipsos regnet, qui judices populi sunt, et civitatis hujus christianæ rectores.

47. Servandus est ergo spiritus hic, tum ex parte Pastorum qui Ecclesiæ regendæ præpositi sunt, tum ex parte inferiorum ministrorum, tum ab omnibus simul. *Præpositorum* sane est jubere et præesse: at quamvis Christus omnibus jure præpositus esset, tamen « Non veni, inquit, ministrari, sed ministrare (2). » Opus ne est, ut auctoritatis pondus subditi et onus durissimum persentiant? Qui vult ut suis mandatis prompte et facile obtemperetur « oret magis et obsecret, quam imperet » ut de S. Bernardo in vita sua legimus: primus ipse exemplo præeat et quod mandat exequatur, ut alii suum sequantur exemplum; ut æquales potius et fratres, vel potius, si senior est, ut filios suos subditos suavitate et mansuetudine ducat, presbyteri sunt enim ipsi et in Ecclesia seniores; sciat ex supradictis quem corrigat et qua ratione corrigere debeat; noverit unicuique pro viribus, pro conditione,

(1) Eccli. x, 2. (2) Matth. xx, 28.

pro temporum et rerum opportunitate onera imponere, et unumquemque juste retribuere; laudet quosque pro modulo suo, maxime juniores et ad meliora agenda exhortetur; non sit stricti juris exactor, taceat aliquando et moras non violenter abrumpat; non clamitet morosus nec irascatur, nec querulus sit et temporis acti laudator; compatiatur defectibus, qui ex humana fragilitate procedunt, quamvis peccantes arguere et punire debeat; subditorum suorum necessitatibus ex paterno amore occurrat, soletur omnes, tueatur, non facile improbet, excuset quandoque. Hæc si agant præpositi Ecclesiarum sine dubio pacem et unionem cum suis subditis sacerdotibus custodient, iisque fruentur.

48. *Subditorum sacerdotum* est obedire non jubere, subesse non præesse, neque se de præpositorum mandatis judices constituere. Si, juxta divinum eloquium, « qui major est inter nos debet fieri sicut minor, et qui præcessor est sicut ministrator (1); » decetne ut subditi majora superioribus suis onera imponant ac in sui officii exercitio ferunt? Habeant igitur præpositum suum ut patrem, eumque venerentur et ament; ejus mandata, si fieri potest, præveniant et exequantur desideria ipsa; non facile de præpositi intentione judicent, nec unquam in

(1) Luc. xxii, 26.

malam partem ejus actiones vertant; si quid asperum vel durum actum videatur, patienter ferant, sui abnegatione præfulgeant, unam voluntatem, unumque judicium, quantum fieri potest, cum suis superioribus efformare conentur; meminerint suos superiores homines esse, ut eorum defectibus facile compatiantur et taceant (1); ne subito ex levi correctione offendantur, neve arbitrentur se aliquid magnum esse, ut nemo vel nota aliqua vel verbo minus cauto inurere audeat; pertinaxum pugnaciter certandi cum suis superioribus spiritum ut pestem fugiant, eorumque facta vel dicta, vel intentiones ipsas nec temere, nec ullo modo carpant; nec sui judicii tenaces sint defensores, quasi ipsi soli quid sit agendum sciant, et quod omnium est optimum agant; sed in omnibus Christi personam in suis præpositis venerentur atque dociles et humiles læti onera suscipiant, illos, ut par est, consulant, eorumque judicio acquiescant. Oh! quanta pax et concordia in presbyteriis esset, si sacerdotes cum suis superioribus, ut filii cum patre convenirent.

49. *Omnes denique sacerdotes*, exemplorum Christi et apostolorum memores, sint cor unum et anima una; in familia enim

(1) « Ne glorieris in contumelia patris tui, non enim est tibi gloria, ejus confusio; gloria enim hominis ex honore patris sui, et dedecus filii pater sine honore », Eccle. III, 9.

fratres sumus et unius Patris Dei filii; una est omnibus missio, unus est finis quem omnes prosequi debemus, et hic nonnisi gloria Dei est animarumque salus; non bonum, non vanitas, non cupiditas et gloria nostra. Igitur « alter alterius onera portate et sic adimplebitis legem Christi (1). » Ne quis super alterum elatione tumescat, ne quis inflетur neve invideat alteri; ne mercenarii simus, neque ambitiosi, neque avari, neque turbulenti; obmurmuratio et detractio neque inter nos audiantur, sed fugiamus et ut pestem abhorreamus; ne oneri aliis simus, cum nostro muneri ex pigritia deficimus; neque nos tanti esse arbitremur, ut sine nobis omnia sus deque verti necesse sit; aliorum opinionibus et judiciis modeste concedamus, « ut idem sapiamus, eamdem charitatem habentes, unanimes, idipsum sentientes, nihil per contentionem neque per inanem gloriam: sed in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes, non quæ sua sunt singuli considerantes, sed ea quæ aliorum (2). »

50. Cum homines simus et humani aliquid patiamur, mirandum sane non est si aliquando ex nostris fratribus sint, qui nos conturbent, qui insimulent vel verbis offendant: in his vel aliis ejusmodi rerum adjunctis, nonne ad discordias uno ictu extin-

(1) Ad Gal. VI, 2. (2) Ad Phil. II, 2-4.

guendas, silentium aureum et omnium efficax medium videtur? nonne verbum lene potius quam amarum iras conterit? « Verbum dulce multiplicat amicos et mitigat inimicos: et lingua eucharis in bono homine abundat (1). »

51. Quod si nos ipsi in errore fuimus, non occidat sol super iracundiam nostram, parati simus statim aliorum offensis ignoscere, et facile de nostris veniam petere; culpam nostram fateamur, hominis est enim errare, christiani autem viri errorem recognoscere et fateri. Potissimum suspiciones cavendæ, et ut temeraria vitemus judicia, potius fratrem nostrum adeamus, eumque interrogemus, ut concordi charitate omnia fiant, et si quid offenderit corrigatur. Denique Ecclesiastici consilium sequamur: « In multitudine presbyterorum prudentium sta: et sapientiæ illorum ex corde conjungere; ut omnem narrationem Dei possis audire, et proverbia laudis non effugiant a te. Et si videris sensatum, evigila ad eum, et gradus ostiorum illius exterat pes tuus (2). »

(1) Eccle. VI, 5. (2) Eccle. VI, 35, 36.

Caput II.

DE ORDINATA ET PERFECTA SACERDOTIS VITA PRO UNOQUOQUE TEMPORE.

1. Quæ hactenus de officiis præstandis breviter exposuimus, totum sacerdotalis vitæ et perfectionis genus respiciunt, ac ratione quadam generali dirigunt, ut de virtute in virtutem ascendamus et sancti simus, quia Deus sanctus est, nobisque potissimum hanc suam sanctitatem imposuit. Sed necesse imprimis est ut juxta singulas vitæ actiones vitam ipsam moderemur, et ordine quodam digeramus, ex his enim singulis actis perfecte exaratis, totius vitæ perfectio exsurgit.

2. « Spiritualis et religiosa vita nihil aliud est quam quædam bonorum operum series, catenaque virtutum, in qua, si ejus monitis acquiescimus et secundum ordinem nobis præscriptum vivimus, a mane usque ad vesperam, et a vespere usque ad mane, sanctis virtutum operibus occupamur, et non interruptis passibus in perfectionem et in cœlestem patriam tendimus. Nam vita hæc omnia quæ a ratione et Dei lege discordant, potenter ablegat, quæcumque bona, quæcumque sancta, quæcumque perfecta sunt, vocat: media vero, sive indifferentia, ita

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

PARS PRIMA

DE IIS, QUÆ AD FOVENDUM IN NOBIS ATQUE IN ALIIS AMOREM ERGA COR JESU IMPELLUNT VEL PROBE DISPONUNT

Caput I.

DE RELATIONIBUS, QUÆ INTER COR JESU ET SACERDOTES EXISTUNT.

1. Exordiendum sane videtur a relationibus, quæ inter Cor sanctissimum Domini Jesu et nos existunt: ex iis enim animorum unio exsurgit, hæ amoris dilectionisque sunt incitamenta, quæ corda laqueis quibusdam vinciunt atque in unum finem conspirare homines faciunt; adeo ut quo majores, numerosiores atque intimiores relationes habeantur, eo ardentior fiat amor et cordium unio. Et revera nulli alteri sane comparandus amor, qui inter parentes filiosque intercedit: quod cui tandem rei tribuendum, nisi intimiori relationi, quæ natura ipsa inter eos existit?

2. Relictis aliis, quæ ex titulis Dei, Crea-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

toris, Finis etc. considerari æque possent, sed quæ ad rem nobis propositam directe non faciunt, quatuor maxime videntur in præsenti relationes hujusmodi inter nos et Cor Jesu præ oculis habendæ, videlicet *paternitatis*, *fraternitatis*, *amicitiæ* et *dignitatis*. Hæ præcipue sunt, quæ in Deo Redemptore fundamentum habent, propterea quod ex Cordis Jesu ardentissimo amore ortum gratuitum habuere et ejusmodi sunt, quæ nonnisi amorem dilectionemque suadent. Aliæ facile ex his deduci queunt interque meditandum considerari, ut Cordis hujus amantissimi effusione feliciter obruamur. Sed imprimis de Corde Jesu in Ecclesia et pro Ecclesia vivente pauca sunt præmittenda.

I.

De sanctissimo Corde Jesu in Ecclesia sancta.

1. Juxta doctrinam, de qua divus Paulus repetitis vicibus in suis epistolis disserit, quamque tam dilucide in epistola I ad Corinthios evolvit, unum corpus nos sumus in Christo, Ecclesia corpus est Christi, nos membra ejus, Christus autem nostrum et Ecclesiæ caput. Cum autem corpus multis ex membris in unum coagmentatis coalescat, principio vitæ indiget, quod omnia membra sustineat, vegetet, succrescere faciat atque

simul coadunata inter se et cum capite conjuncta retineat. Hoc vitæ principio deficiente, corpus dissolvitur, membra a membris disjiciuntur, pereunt ac pene ad nihilum rediguntur.

2. Corporis Ecclesiæ vitæ principium Christus est, qui, Spiritu sancto cooperante, membra omnia sua mystica vivificat, donis suis auget et succrescere facit, roborat et confirmat. Verum dicendum pressius est hoc vitæ principium sanctissimum esse *Christi Cor*, quod hujus corporis in centro residet, ut inde undequaque suam vitam irradiando immittat. Nam in corpore quocumque anima informato, quamvis per se vitæ principium anima ipsa sit, principium tamen vitæ *organicum* cor est: in hoc enim affluit sanguis, ut vitalis fiat, et inde in singula effunditur membra, ut alat, vegetet, et evolvat, vitamque animalem conservet.

3. Cum igitur Ecclesia unum sit corpus in Christo et cum Christo, necesse prorsus est ut ex ipso, nempe ex ejus corde vitam hauriat, ut corpus vivens in eo sit. Et revera « ut de latere Christi dormientis formaretur Ecclesia, divina est ordinatione indultum, ut unus militum lancea latus sacrum illud aperiendo perfoderet, quatenus sanguine cum aqua manante, pretium effunderetur nostræ salutis, quod a fonte scilicet Cordis arcano prorsum, vim daret sacramentis Ecclesiæ

ad vitam gratiæ conferendam essetque jam in Christo viventibus poculum fontis vivi salientis in vitam æternam (1). » Vita autem hæc, quam ex Corde Christi recepit Ecclesia, perenniter in ipsa servatur et succrescit, adeo ut, sicut inquit Apostolus, magis in dies « crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus: ex quo totum corpus compactum et connexum per omnem juncturam submini-strationis, secundum operationem in mensuram uniuscujusque membri augmentum corporis facit in ædificationem sui in charitate (2). »

4. Quæ autem hæc vita sit ex Corde Christi in totum Ecclesiæ corpus et in singula membra sese diffundens, S. Joannes nobis brevibus explicat: « In ipso vita erat, inquit, et vita erat *lux* hominum (3); » et alibi: « Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris... de verbo vitæ; et vita manifestata est et vidimus et testamur... Et hæc est annuntiatio, quam vidimus ab eo et annuntiamus vobis: Quoniam Deus lux est et tenebræ in eo non sunt ullæ (4). » Ergo vita Christi *lux* est, ut de se ipse asseruit cum ait: « Ego sum vita... ego sum lux. » Nihil pulchrius luce, si eam physice consideres, pulcherrima omnium vero si spiritali

(1) S. Bonav. lib. *De Ligno vitæ*.
(2) Ad Ephes. IV, 15, 16. (3) Jo. I, 4.
(4) I. Jo. I, 1-5.

ratione concipiamus. Lux est *veritas*, lux est *bonitas*, lux est *pulchritudo*, lux est *sanctitas:* Christi Cor est ergo fons et origo omnis veritatis, bonitatis pulchritudinis et sanctitatis in corpore et in singulis Ecclesiæ membris: sed quoniam hæc limpidissima sunt et perfectissima in ipso Christo, quia « Deus lux est et tenebræ in eo non sunt ullæ; » sequitur limpidissima ratione in corpus ejus scilicet in Ecclesiam et ejus membra diffundi.

5. At vero corporis hujus Ecclesiæ membra non æqualia sunt, quia « Ipse dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi (1). » Quo autem quis majus est et perfectius Ecclesiæ membrum, eo abundantiorem vitam a Christi Corde recipit; abundantissimam tamen si tale membrum est, ut et se perficere et salvare, alios autem in salutem æternam perducere debeat; quia hæc sunt proximiora Christo ejusque Cordi carissima membra. Hinc ecclesiastici et religiosi viri de hac abundantissima vita ex Corde Christi hausta gaudere summopere possunt, quia intimius Domino nostro uniuntur, dummodo per

(1) Ad Ephes. IV, 11, 12.

UNIVERSIDAD DE LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

operum sanctimoniam, per fidem et charitatem perfectam in eo solidissime et perseveranter maneant.

II.

De relatione paternitatis.

1. Prima quæ se considerandam offert inter nos et Christum relatio illa est, qua filii Dei nominamur et sumus, ac propterea Christi Jesu; ipse enim « dedit nobis potestatem filios Dei fieri, si credamus in nomine ejus (1); » nec modo potestatem dedit, sed et genuit, vitam nobis communicando illam, quam a Patre recepit, ut filii Dei ex eo simus; nec tantum adhuc genuit, sed alit, conservat et perficit quam dedit vitam, « qui enim manducat ejus carnem et bibit ejus sanguinem habet vitam æternam et ipse resuscitabit eum in novissimo die (2). » Quis enim nesciat Christum esse « panem vitæ » et « panem quem ipse dat carnem ejus esse? »

2. Hanc vero filiationem, quæ a Domino Jesu profluit, attente considerare ac ponderare debemus: ipsa enim est princeps relatio, ex qua aliæ omnes originem ducunt vel in ea fundamentum habent. Filiatio ex generatione est, generatio autem in amore originem et principium quærit; amor denique nonnisi ex corde procedit, in quo

(1) Jo. I, 12. (2) Jo. VI.

fontem et sedem retinet. Nos vere gignimur a Christo: « Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem: ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus (1). »

3. Itaque nova nobis est in Christo et per Christum vita, ea sane ratione, quam ipse docuit cum ait: « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei (2). » Quæ autem hæc aqua est nisi illa, quæ ex Corde Christi Jesu post obitum vulnerati scaturiit, cum miles lancea latus ejus aperiens exivit sanguis et aqua? sanguis quidem, quo in peccatorum expiationem redimeremur, aqua vero qua ablueremur in remissionem eorumdem peccatorum, atque per Spiritum sanctum sanctificaremur et filii Dei vere, non nomine tantum, essemus.

4. Qua igitur ratione Christus natura sua filius Dei est, quia ex ipso et in ipso vitam et esse habet; ita simili supernaturali ratione nos Christi filii sumus, quia nonnisi ex ipso et in ipso novam vitam habuimus. Sed cur Joannes ait nos non tantum *nomine* sed *re* filios Dei esse? Potestne homo reapse filium Dei fieri? Ut re filii Dei simus, nempe ex Deo nati, non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri (3),

(1) Ad Rom. VI, 4. (2) Jo. III, 5. (3) Jo. I.

UNIVERSIDAD DE NUEVO LEON
Biblioteca Valverde y Tellez

necesse sane est ut proportionem quamdam et similitudinem cum eo habeamus; qui enim filius est ex parentum substantia ortus similitudinem et proportionem cum ipsis retinet, ex quibus vitam recipit; unde legimus in Genesi: « Et erunt duo in carne una (1):» una hæc duorum caro filii caro est, nempe filius, qui patri æque ac matri similis ambos in una carne repræsentat. Quæ autem nobis unquam similitudo aut proportio naturæ atque substantiæ cum Deo æterno, infinito atque incommutabili esse potest? Satis nobis creaturis sit, ut imaginem Dei præferamus ejusque servi et subditi simus.

5. Attamen nemo est qui neget hanc proportionem et similitudinem datam primitus nobis a Deo in primo parente fuisse, cum inquit: « Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram (2); » imago sane ad naturam pertinet, inquit alicubi sanctus Bonaventura, similitudo ad gratiam. Hanc igitur gratiam Deus conditor nobis in primo homine contulerat, nos miseri in hoc ipso parente amiseramus; Christus vero, sanguine suo in cruce effuso atque ex corde manante, restituit, ut vere ad novam vitam per gratiam ejus ex ipso nasceremur; per gratiam, inquam, qua similes efficimur Deo, ut vere filii ejus simus.

6. At quomodo fit ut gratia similes nos

(1) Gen. II, 25. (2) Gen. I, 26.

Deo reddat; quæ relatio inveniri unquam potest inter naturam divinam nostramque humanam gratia condecoratam? Gratia de qua hîc loquimur, non ea sane est quæ *accidentalis* et *momentanea* dicitur, quæ in mentis *illustratione* et cordis *inspiratione* consistit, quæque alio nomine *actualis* audit: hanc etiam illis Deus optimus maximus largitur, qui non modo nullam cum ipso similitudinem retinent, sed qui etiam postquam acceperint inimici ejus manent æternisque pœnis addicti. Sed hæc illa est gratia, quæ jugiter perennis in animis residet, quæ « diffusa in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis » ipsis cordibus inhæret et immanet. Hæc substantiali quodam modo hominis animum reformat et instaurat, vel saltem novam ei qualitatem addit, qua elevatur, roboratur novamque donatur vita: hæc facit ut « exspoliemus nos veterem hominem cum actibus suis et induamus novum, eum qui renovatur in agnitionem, secundum imaginem ejus qui creavit illum (1); » videlicet hæc facit, ut mortui peccato formam ipsam Christi sumamus, qui Patris est *substantialis imago*. Itaque gratia hæc similitudinem veram et proportionem quamdam nobis cum Deo tribuit, ex eo quod veram Christi similitudinem nobis miseris tradit, qua induimur ut

(1) Ad Coloss. III, 9.

in novitate vitæ ambulemus et ad ejus imaginem reformemur et innovemur.

7. Verum Christi similitudo efficit ut nos Christi vita fruamur, sanctitate, donis et charitate illa, qua ipse nos et Patrem diligit; neque hoc semel et quasi per transennam, ut supra innuimus, sed jugiter et perenniter, quia *sanctificantis gratiæ* donum in anima viri justi immanet et servatur, nec nisi, peccato introeunte, recedit. Nam « complantati, ait D. Paulus, sumus similitudini resurrectionis Christi, sicut complantati facti fuimus similitudini mortis ejus per baptisma, quo consepulti sumus Christo. Et quia Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur; ita etiam nos simul vivemus cum eo (1); » neque ultra nobis mors dominabitur, si constanter Domino Jesu adhærere velimus. Quid enim ipse Christus nos docuit? « Ego sum vitis, vos palmites, qui manet in me et ego in eo, hic fert fructum multum (2). » Vides qua ratione velit ut complantati ipsi simus per sinceram mentis et cordis adhæsionem, ut ex hac conjunctione vitam jugiter ex eo hauriamus. Sicut autem palmes, medio vitis trunco, ex radice succum trahit; ita si tamquam palmites viti nostræ Christo adhæreamus, ex ejus purissimo Corde vitæ succum hauriemus, ex quo vitæ nostræ abundantes fructus feremus.

(1) Ad Rom. vi, 3-5. (2) Jo. xv, 5.

8. Hæc quæ de omnibus Christi fidelibus facile intelligi possunt, nobis potissimum sacerdotibus et Christi ministris, atque apostolorum discipulorumque successoribus et hæredibus tribuuntur, quos Christus ut suos filios dilexit, quibus non raro amoris paterni signa dedit, quosque filiolos peculiari ratione appellavit, cum ipsos a se orphanos relictum non iri promisit. Quî enim Christus quos sibi proximiores adscivit atque elegit, vel potius de mundo præelegit, non potiori vinculo filiationis secum adjunxerit?

III.

De relatione fraternitatis.

1. Cum Dominus Jesus nos orare doceret, voluit ut Patrem suum Patrem nostrum appellaremus, inquit enim: « Sic orabitis: Pater noster, qui es in cœlis (1). » Hîc duo asseruit Salvator noster, voluit nempe nos filios Dei fieri una et fratres suos, cum ipse filius Dei naturalis sit. Hinc ex duplici titulo fratres Christi sumus, et quod filii Dei ex ipso et in ipso facti fuimus, qui filius Dei est, et quod ipse sua bonitate vult ut fratres ejus simus. Mirabile hoc est divini amoris Cordis Christi arcanum, ut quos inimicos

(1) Matth. vi, 9.

habebat in suos fratres cooptaret, quo suorum bonorum regnique paterni hæredes efficeret.

2. Omnes tamen causas vel titulos, ex quibus Christus frater noster factus est, diligenter perpendere oportet. Prima omnium causa, primusque titulus ex ejus humanitate desumitur: cum enim Verbum caro factum est et nobiscum habitavit, suæ divinitatis nos participes fecit, quod a nobis humanitatem nostram recepit, unde hominis Adæque filius est factus, quales nos etiam sumus. Quanti Dominus Jesus hanc fraternitatis relationem ex hoc titulo ortam fecerit, exinde manifestum fuit, quod nihil potius adamaverit quam ut se filium hominis, præ nobiliori filii Dei titulo diceret; porro sæpissime asseruit se fratrem nostrum esse, nosque ut fratres diligere, eoque amore quo nihil magis, cum dicat: « Deliciæ meæ esse cum filiis hominum (1). » Attamen quid boni vel gaudii et deliciarum nos ingrati homines ejus divino Cordi afferre poteramus? Hoc fortasse, ut totum ex ejus Corde profusum sanguinem hauriremus, quem ipse in nos refunderet ut salvaremur, atque cum Patre suo reconciliaremur.

3. Alia est etiam hujus relationis causa, quam nuper innuimus, nempe filiatio nostra divina, ex qua fit ut divinæ naturæ

(1) Prov. VIII, 31.

consortes simus. Etenim « per Christum, maxima et pretiosa nobis promissa Deus donavit: ut per hæc efficeremur divinæ consortes naturæ (1). » Qua vero ratione divinæ consortes naturæ facti fuerimus tum ex Verbi incarnatione, tum ex gratia nobis collata dilucidum est. Cum igitur ex his cognationem quamdam cum divina natura habeamus, nemini dubium est nos fratres Christi esse, eodem sane pacto ac ipse frater noster factus est, ex eo quod cognationem cum humana nostra natura ex incarnatione fuerit adeptus.

4. Tertia est adhuc hujus relationis ratio. Omnia nobis ex amore, quo Cor ejus æstuabat contulerat Christus: unum illi reliquum erat in hac terra, dum in eo esset ut supremum in cruce efflaret spiritum, scilicet Mater sua dilectissima beata Virgo Maria, quam et nobis tradidit, ut mater nostra esset, cum ait: « Ecce filius tuus... Ecce mater tua (2). » Jam tum Maria inter dolores nos Christo peperit et mater nostra effecta est; nos autem ejus filii ac fratres Christi, qui « primogenitus est in multis fratribus (3). »

5. Maxima hîc diligentia Cornelii a Lapide verba notanda sunt: « Causa, inquit, cur Christus Joanni præ aliis apostolis matrem

(1) II. Pet. I, 4.
(2) Jo. XIX, 26 ,27.
(3) Ad Rom. VIII, 29.

commendarit, fuit quod Joannes solus cum matre Christo crucifixo usque ad mortem intrepidus et constans, inter tot Judæorum odia et opprobria astiterit; meruit ergo ipse ut a Jesu quasi in fratrem adoptaretur, ac pro se quasi filius Matri Virgini surrogaretur. Porro Christus in Joanne cæteros apostolos, imo fideles omnes quasi filios matri suæ assignavit et commendavit, maxime eos qui *virgines castique sunt*, ac *proxime Christum in cruce sua consectantur*; sic enim fiunt amicissimi ac intimi Christo ejusque Matri, uti fuit Joannes, qui proinde a S. Cypriano vocatur « cubicularius Christi (1). »

6. Postrema autem ecclesiasticis viris specialissima est hujus relationis ratio, quia ut apostoli in apostolatu et evangelii prædicatione eamdem Christi missionem sequimur, collegæ ejus sumus, eadem ac ipse agere tenemur. Quid est quod magis corda animosque nostros Jesu Cordi vinciat, cujus munus potissimum fuit, ut amorem suum in omnes homines diffunderet eosque salvos faceret? Hæc nobis præcipue missio relicta est, idque facit ut carissimi Christo simus, quos ut fratres majori dilectione prosequitur, ea plane ratione qua apostolos diligebat, eosque frequenter fratrum nomine consalutabat, quamvis etiam ut filios haberet, quia fidei et veræ vitæ genuerat.

(1) Corn. a Lap. in Jo. XIX, 26.

7. Meminerint tamen sacerdotes quo quidem modo discipulos suos Christus ut fratres habuerit; cum enim nunciatum illi fuisset: « Ecce mater tua et fratres tui foris quærunt te, » Christus respondit: « Quæ est mater mea et fratres mei? » Et circumspiciens eos qui in circuitu ejus sedebant (nempe discipulos suos), ait: Ecce mater mea et fratres mei. *Qui enim fecerit voluntatem Dei*, hic frater meus et soror mea et mater est (1). » Non igitur fratres Christi sumus, nisi voluntatem Dei faciamus in omnibus ut ipse fecit, de quo scriptum legimus: « In capite libri scriptum est de me ut facerem voluntatem tuam (2). » Quam autem Dei Patris voluntatem Christus fecerit nemo est qui ignoret; « factus enim est obediens usque ad mortem crucis (3); » cumque ut naturæ humanæ infirmitati satisfaceret, Patrem oravit, ut se a teterrima passione liberaret, statim adjecit: « Verumtamen non mea sed tua voluntas fiat (4). » Sic nos sacerdotes Dei voluntatem assequi debemus.

(1) Marc. III, 32-35. (2) Psalm. XXXIX, 9.
(3) Ad Phil. II, 8. (4) Luc. XXII, 42.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

IV.

De relatione amicitiæ.

1. Si quis Cordis Jesu inexhaustos investigare velit thesauros, legat oportet et attente meditetur sermonem illum, quem amantissimus Redemptor noster, antequam morti se traderet, discipulis suis in cœnaculo convocatis habuit. Dilecto enim discipulo Joanni datum fuit, ut tantum charitatis documentum aureis veluti litteris exaratum servaret atque nobis transmitteret. Ibi Jesus aperte et repetitis vicibus amicos suos esse discipulis declaravit, necnon talia hujus amicitiæ signa dedit, quæ majora dare nunquam potuisset. Nam primum quali quantaque dilectione eos sit continuo prosecutus ostendit: « Sicut dilexit me Pater, inquit, et ego dilexi vos (1); » quod autem maximum dilectionis signum ipsis daturus esset videte: « Majorem hac dilectionem, ait, nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis (2); » quasi diceret: Ego trado vitam meam pro vobis amicis meis, ego meipsum tamquam victimam in holocaustum pro vobis offero, ut vos amicos meos sospites faciam sanguinem meum cum vita fundam: potestne quis majori dilectione amicos suos

(1) Jo. xv, 9. (2) Ib. v, 13

prosequi? En quali quantoque vos amore diligo.

2. Nec miremini quod vos amicos vocem: « Vos amici mei estis... Jam non dicam vos servos, quia servus nescit quid faciat dominus ejus. Vos autem dixi amicos: quia omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis (1). » Hoc sane amicitiæ signum est, quia « inter amicos omnia sunt communia » et potissimum quæ interiori in animo conduntur, facile ipsis ex contracta fiducia manifestantur. Christus vero cum per parabolas pharisæos et populum alloqueretur, aperte et sine velamine secreta et arcana cœlestia discipulis suis referebat, quia hos ut amicos, illos servorum in numero habebat. Discipulis omnia nota fecit nec suam occuluit divinitatem, nec Personarum in Deo Trinitatem, propriis verbis redemptionem et mortem suam revelavit, atque cuncta quæ ad regnum spiritale in hoc mundo stabiliendum necessario cognoscenda erant; ut ipsi testimonium de eo perhiberent, cum Spiritus Paraclitus in eos adveniens evidentius hæc ipsa doceret.

3. Igitur cum servi Dei essemus, quod ab eo conditi fuimus, Christi gratia familiares ejus et amici facti sumus. Utique exinde non sequitur nos adhuc ejus servos non esse, quoniam abeuntibus nobis ex hac vita di-

(1) Jo. v, 14, 15.

cturus est Christus: « Euge, serve bone et fidelis; » verum, ut S. Augustinus adnotat, duplex est hominum servitus, alia servilis, qua mancipia ex timore serviunt heris; alia liberalis et filialis qua filii ex amore serviunt parentibus (1); nos ut apostolorum successores, non priori sed posteriori ratione Christi servi sumus et Dei, ex illo cordis sui amore gratuito, quo ad amicitiam suam nos evexit, dummodo fideles præscriptis ab ipso conditionibus satisfacere velimus.

4. Itaque, ne forte decipiamur, videamus quam addat conditionem Christus vel qua sub conditione nos ministros suos in amicos cooptaverit: « Vos amici mei estis, inquit, si feceritis quæ ego præcipio vobis (2). » Ergo amici Christi erimus quotiescumque, ut servi fideles, filiali affectu et ex animo ejus præceptis obtemperaverimus, nec hilum prætermiserimus de iis quæ ipse nobis mandavit facienda. Non sane gravis hæc conditio est, non enim gravia imponit nobis Christus, et amicitiæ donum magnificum est atque adeo liberaliter concessum, ut mortales homines nunquam illud expetere ausi fuissent. Quomodo vero hujusmodi obedientiam Christo Domino denegare poterimus, qui ut immensi sui amoris signum præberet, animam suam pro nobis amicis suis obtulit probris,

(1) S. Aug. Tract. LVIII. (2) Jo. XV, 14.

tormentis et morti? Amor amore compensatur, qui vitæ etiam sacrificium præstat; Christus autem fideli vult voluntatis submissione et obedientia rependi, ut nos sibi intimos familiares et amicos recipiat, tum in hac tum in altera vita, ubi omnium suorum bonorum participes efficiet.

5. Quod est autem præcipuum et quasi unicum Christi Jesu præceptum, de quo hoc ipso loco diffuse disseruit? Illud est mutuæ inter nos dilectionis: « Hæc mando vobis ut diligatis invicem (1). » Videte bonitatem Christi Domini, non pro se sed pro nobis ipsis aliquid in amoris et obedientiæ testimonium exquirit, omniaque sua præcepta hoc uno amoris mutui inter nos complectitur, quasi singula et omnia huic uni æquivaleant, vel talia sint ut si hoc unum et alia facile exequamur. Nec reputat Dei amorem et sui nobis esse præcipiendum, ex hoc enim vult suorum fidelium discipulorum in se amorem manifestari, ut mutuum inter se amorem foveant. Optime igitur Joannes dilectus Christi amicus, discipulis suis, narrante S. Hieronymo, interrogantibus, cur repetitis vicibus hoc semper amoris præceptum in ore haberet, reposuit: « Quia præceptum Domini est, et si solum fiat, sufficit (2). »

(1) Jo. XV, 17.
(2) S. Hier. *De Script. eccl.* l. III, c. 6.

6. Nostrum igitur est qui sacerdotes et Christi ministri sumus ei fideliter obedire atque omnibus ejus mandatis obsequi, huic potissimum quo mutuo nos diligere jubemur. Profecto hæc fratrum dilectio efficit ut cor nostrum Dei charitate et dilectione ardeat, quia si Christi mandato obtemperamus, ipse se nobis ut amicis suis manifestabit, omniaque, quæ a Patre suo audivit nota faciet, unde amoris Dei ignis, qui ex cognitione augetur, in animis nostris exardescat. Unde fit, quærit Bernardus, ut nos ad Deum cognoscendum non elevemur, vel ad nos ei conjungendum desiderio et affectu langueamus, nisi quod Christo non obediamus, neque ipsum obsequii signis amemus? « Vis nosse, inquit, quia sublimitas divinarum revelationum sit manifestum divinæ dilectionis indicium? Jam non dicam, inquit, vos servos sed amicos, quia quæ audivi a Patre meo nota feci vobis. Satage ergo Deum tuum intime et summe diligere, et omni hora in divinæ contemplationis gaudium summo cum desiderio anhelare; collige teipsum ad temetipsum et in solo divinitatis desiderio requiesce (1). »

(1) Tract. *De inter. domo*, c. LXIX.

V.

De relatione dignitatis.

1. Quæ est Christi dignitas et quæ illa quam nobis sua bonitate contulit? Christus « Rex est constitutus a Deo super Sion montem sanctum ejus, prædicans præceptum ejus (1). » — Christus Judex est supremus vivorum et mortuorum: « Neque enim Pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem (2). » — Christus Lux est: « Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (3); » ut ipse de se testatur cum ait: « Ego sum lux mundi; qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ (4). » — Christus Pontifex est offerens seipsum victimam et sacrificium Deo gratissimum, quia ipse est « Pontifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, et excelsior cœlis factus (5). »

2. Hæc est dignitas Christi, qua cœlo et terræ, angelis et hominibus dominatur: hanc ei dignitatem tribuit Pater, quia Redemptor hominum est « factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. »

(1) Ps. I, 6.
(2) Jo. V, 22, 23.
(3) Jo I, 9.
(4) Jo. VIII, 12.
(5) Ad Hebr. VII, 26.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Hanc eamdem dignitatem nobis, quos suos ministros et regni hæredes fecit, benigne contulit, ut sicut ipse natura sua et missione a Patre recepta *Christus* est, seu unctus a Domino, ita et nos *Christi* simus, seu uncti a Domino, in excelso loco super omnes positi. Et revera nos *reges* constituit Christus, non sane eo dumtaxat sensu, de quo Paulus ait: « Si sustinebimus et conregnabimus (1), » nec etiam eo tantum quo dici assolet: « Servire Deo regnare est; » sed ea prorsus ratione, qua Christus ipse regnavit et super omnia regnat. Hoc enim intellexerunt vigintiquatuor seniores cum canerent: « Dignus es Domine recipere librum, et aperire signacula ejus: quoniam occisus es et redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu et lingua et populo et natione: et fecisti nos Deo nostro regnum, et sacerdotes: et regnabimus super terram (2). »

3. Utique ex Christi gratia et amore sacerdotes facti, auctoritate, verbo et potestate super omnes accepta regnamus: ideo « Spiritus sanctus nos posuit episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo (3); » ideo ut Christus missi sumus, quo populis omnibus et nationibus verbum et præceptum Dei prædicemus et imponamus,

(1) II. Tim. II, 12. (2) Apoc. V, 9-11.
(3) Act. Ap. XX. 28.

tanto imperio ut nisi a nobis illud recipiant condemnentur; ideo omnibus mandatum est hominibus ut nos audiant, sicut Christo obedientiam debent, et ut a nobis facinorum relaxationem petant, si cum Deo reconciliari velint. Hæc est regia dignitas omnibus numeris potior quam illa regum ac principum terræ, qui nonnisi corporibus, ut ita dicam, dominantur, nec nisi vi et armis imperium exercent.

4. Et ut Christus judex est vivorum et mortuorum, ita et nos *judices* sumus in hac terra ac erimus hominum in altera vita, necnon dæmonum ipsorum. Cum enim Petrus assereret: « Ecce nos reliquimus omnia et secuti sumus te; » Jesus discipulis omnibus dixit: « Amen, amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me, in regeneratione cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel (1). » Qua promissione confisus Paulus affirmabat: « Nescitis quoniam angelos judicabimus? quanto magis sæcularia (2)? » Certum igitur est nos judices in extremo mundi die futuros, atque hinc inde cum Christo judice assessuros, qui homines æque et angelos judicabit. Unde recte S. Bernardus: « Justa prorsus, inquit, retributio, ut qui hîc pro Christo humanæ gloriam celsi-

(1) Matth. XIX, 27, 28. (2) I. Cor. VI, 3.

tudinis neglexerunt, illic a Christo judices glorificati singulariter cum eo assideant (1).» Quæ sane de religiosis et ecclesiasticis viris dicta sunt, qui omnia relinquunt ut Christum sequantur, mundum odio habent ut Christum diligant, hominum injurias ferunt ut Christo fideles acquiescant.

5. Neque hoc tantum, sed et hujus vitæ ac mundi judices nos Salvator noster constituit. Velit, nolit mundus a nobis judicandus est: judicium hoc a Christi morte incœpit, qui ait: « Nunc judicium est mundi, nunc princeps hujus mundi ejicietur foras (2). » Christus primus, sua morte, mundum ejusque concupiscentias condemnavit, ac dæmonem mundi principem contrivit, ab hominum denique animabus ejecit. Quod ipse initio fecit, nostrum est, potestate ab ipso accepta, efficere, nec ad finem usque mundi cessare, donec ea damnemus et conteramus, quæ a mundi sectatoribus fiunt, necnon tenebrarum mundique hujus principem ab hominum animabus expellamus. Cur enim claves regni cælorum nobis Christus commisit? cur potestatem ligandi aut solvendi, retinendi vel remittendi pro tribunali hominum peccata? Omnes sane lato sensu, fideles autem christiani strictiori nobis in hoc subditi sunt atque a nostro judicio pendent.

(1) S. Bern. Serm. de S. Bened. (2) Jo. XII, 31.

6. Porro nos tenebræ eramus atque in tenebris ambulabamus: Christus lux vera a potestate tenebrarum, suis doctrinis atque exemplis homines omnes liberos reddidit. At suis fidissimis amicis suisque discipulis dedit non modo ut cœlesti lumine reficerentur, sed ut *lux* essent ad aliorum errorum tenebras dissipandas. « Ego sum, inquit, lux mundi, » attamen id non officit quominus et vos sitis: « Vos estis lux mundi; » et « Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est (1). » Quis tantæ dignitatis amplitudinem concipere unquam potest, ut qui labili mente et spiritu natura inveniuntur, divinam alios illuminandi proprietatem induant?

7. Duplici ergo modo ministros suos lucem mundi constituit Dominus: primo quidem quo per veram doctrinam ac veritatem hominum errores dissipent; alio vero quo omnium virtutum exemplis eos qui in mundo versantur ad sanctitatis lumen et vitam ducant. Hac eadem ratione Christus fuit et est lux mundi, egit enim exemplo et verbo docuit veritatem: « Cœpit facere et docere (2); » ut prius faceret exemplo, alicubi ait S. Bernardus, quod postea docturus erat verbo. Ideo Spiritum sanctum ad nos misit,

(1) Matth. v, 14-16. (2) Act. Ap, I, 1, 2.

qui omnem doceret veritatem ; ideo seipsum nobiscum omnibus diebus usque ad mundi finem mansurum promisit, ut suos ministros ac sacerdotes juvaret, ne a veritate deficerent, ac jugiter essent « lucerna super candelabrum posita, quæ luceat omnibus qui in domo sunt (1). »

8. Quod vero ad lucem pertinet, quam mediis exemplis undique diffundere tenemur, quos sane, inquam, nisi ecclesiasticos et religiosos viros Christus elegit, non modo suis præceptis sed etiam exemplis institutos, ut lucis suæ omnibus virtute prælucerent? Ideo ab Ecclesiæ exordiis tot sancti episcopi, totque integerrimi sacerdotes et religiosi viri extiterunt ; nunc temporis vero unde homines virtutum exempla atque bonum sanctitatis odorem, nisi ab ecclesiasticis viris atque a cœnobiis domibusque religiosis hauriunt? Nonne enim charismatibus multis, pluribusque donis cumulati fuimus a Christo, ut veluti ejus charissimi amici lux vera mundi essemus? Quod infinita Domini Jesu Salvatoris sapientia asseruit et voluit, potestate sua certissime perfecit.

9. Denique nos *pontifices* Christus creavit, ut quotidie sanctissimum atque incruentum sui corporis ac sanguinis sacrificium Deo Patri pro hominum iniquitatibus offeremus. Profecto neminem latet supremum

(1) Matth. v, 15, 3.

hujus sacrificii Pontificem Christum esse, sicut ipse immaculata est victima et Deo gratissima : hoc autem non officit quominus et nos una cum Christo pontifices simus. Quid enim nisi hoc Domini nostri verba significant : « Hoc facite in meam commemorationem (1)? » Hinc Concilium tridentinum docet his verbis apostolos non modo sacerdotes sed et episcopos constitutos fuisse (2); his enim verbis Dominus noster discipulis suis mandavit non solum ut ipsi suum corpus, suumque sanguinem in sui memoriam consecrarent, verum etiam ut perenne hoc sacrificium, novis sacerdotio auctis hominibus, redderent; ut fideles perpetuæ spiritali refectioni participarent et Deo perpetuæ gratiæ in Ecclesia per latriæ cultum agerentur, quem proprie hujusmodi sacrificio supremo Numini tribuimus.

10. Nos igitur vere pontifices sumus, ideo sejunctim corpus a sanguine Christi consecramus, quasi victimæ suum sanguinem, non cruento sed mystico modo, effundentis, nostroque reali ministerio renovantis, quod semel cruci affixus egit, cum a satellitibus, non ut ministris sed ut sacrificii instrumentis, sanguinem suum a sacratissimo corpore separari permisit. Nisi ita esset, nullum in Ecclesia sacrificium, nullum sacerdotium extaret, nullusque verus latriæ

(1) Luc. xxii, 19. (2) Sess. xxii, 1.

cultus, qui maxime in sacrificio consistit: non enim Christus per se ita visibilem seipsum præbet, nec adeo sensili modo se Patri offert, ut quod homines agunt stricto et vero sensu sacrificium dici queat.

11. Quapropter, his omnibus in unum collatis, nonne innumeris amoris sui vinculis nos ministros suos sibi Christus copulavit? Quid? non modo inutiles sed nequissimi servi eramus, filii iræ et massa perditionis; decem millium talentorum immensum debitum, quod Deo Patri solvere tenebamur, tanti erat, ut impares prorsus ad solvendum essemus; nec preces aut sacrificia nostra id extundere unquàm poterant, ut Numinis vindictam a nobis averterent, qua morti æternæ, ligatis manibus et pedibus, tenebrisque exterioribus damnabamur. Christus misertus est nostri, suum nostrum debitum fecit; purissimo sanguine ex Corde suo amantissimo effuso, suaque morte plenissime solvit; lavit a criminibus innumeris animas hominum, iramque divinam a nobis avertit.

12. Neque hoc satis suo amori fuit. Infinitus est Cordis Jesu amoris thesaurus, immensa nos ipse dilectione prosequitur. Itaque, quis crederet? nos Deo Patri reconciliatos non in humili servorum conditione, ut merebamur, reliquit, sed ad filiorum, amicorum, fratrumque suorum dignitatem

evexit, cumulavit adhuc aliis bonis quibus, naturæ proportione servata, nos sibi æquales constituit, ut veluti reges, judices, lux et pontifices in hoc mundo ageremus, sicut ipse a Patre suo ad homines missus fuerat. Hæc sunt aurea amoris vincula, hæc charitatis pretiosissima ligamina, quæ si fregerimus, ingratissimi et crudelissimi animi signa non indubia dabimus.

13. Verum quoniam extremam hanc relationem, quæ nobis Dei sacerdotibus specialissima est, vix delibare potuimus, sequenti capitulo fusiori sermone considerabimus. Interea præ oculis habeamus, quæ Cor Patris, Fratris et Amici nostri amantissimum nobis nequissimis servis suis contulit ut, dignitate nostra perspecta, majori studio in Christum feramur, atque sanctimoniæ amore hoc tanto munere digniores efficiamur, nec non arctius Deo et Christo suo conjungamur, cui laus et sempiterna gloria sit et concinatur in cœlis.

Caput II.

De missione ecclesiasticis et religiosis viris a Corde Jesu tradita.

1. Missionem suam Christus Dominus uno verbo apud Lucam expressit, cum ait: «Ignem veni mittere in terram, et quid volo

guendas, silentium aureum et omnium efficax medium videtur? nonne verbum lene potius quam amarum iras conterit? « Verbum dulce multiplicat amicos et mitigat inimicos: et lingua eucharis in bono homine abundat (1). »

51. Quod si nos ipsi in errore fuimus, non occidat sol super iracundiam nostram, parati simus statim aliorum offensis ignoscere, et facile de nostris veniam petere; culpam nostram fateamur, hominis est enim errare, christiani autem viri errorem recognoscere et fateri. Potissimum suspiciones cavendæ, et ut temeraria vitemus judicia, potius fratrem nostrum adeamus, eumque interrogemus, ut concordi charitate omnia fiant, et si quid offenderit corrigatur. Denique Ecclesiastici consilium sequamur: « In multitudine presbyterorum prudentium sta: et sapientiæ illorum ex corde conjungere; ut omnem narrationem Dei possis audire, et proverbia laudis non effugiant a te. Et si videris sensatum, evigila ad eum, et gradus ostiorum illius exterat pes tuus (2). »

(1) Eccle. VI, 5. (2) Eccle. VI, 35, 36.

Caput II.

DE ORDINATA ET PERFECTA SACERDOTIS VITA PRO UNOQUOQUE TEMPORE.

1. Quæ hactenus de officiis præstandis breviter exposuimus, totum sacerdotalis vitæ et perfectionis genus respiciunt, ac ratione quadam generali dirigunt, ut de virtute in virtutem ascendamus et sancti simus, quia Deus sanctus est, nobisque potissimum hanc suam sanctitatem imposuit. Sed necesse imprimis est ut juxta singulas vitæ actiones vitam ipsam moderemur, et ordine quodam digeramus, ex his enim singulis actis perfecte exaratis, totius vitæ perfectio exsurgit.

2. « Spiritualis et religiosa vita nihil aliud est quam quædam bonorum operum series, catenaque virtutum, in qua, si ejus monitis acquiescimus et secundum ordinem nobis præscriptum vivimus, a mane usque ad vesperam, et a vespere usque ad mane, sanctis virtutum operibus occupamur, et non interruptis passibus in perfectionem et in cœlestem patriam tendimus. Nam vita hæc omnia quæ a ratione et Dei lege discordant, potenter ablegat, quæcumque bona, quæcumque sancta, quæcumque perfecta sunt, vocat: media vero, sive indifferentia, ita

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

condit et perficit, ut in bona et præmio digna convertat (1). »

3. Cum non pro vitæ spiritualis tyronibus hoc opus perfecerimus, sed pro hujus vitæ ducibus et magistris, ecclesiasticis virisque religiosis, contenti sane erimus singulis actionibus in vita sacerdotali complendis, brevia quædam monita addere, quæ uniuscujusque rei non sane absolutam, sed communem perfectionem decernunt; absoluta enim perfectio aliunde desumi debet, quam ex methodica quadam agendi ratione. Nam cum aliquem Deus ad absolutam agendi perfectionem vocat, ipse methodum et actus hujus perfectionis proprios suggerit, quos, Deo inspirante et gratiam largiente, anima sequitur in via illa, quæ superne demonstratur. Igitur primum de iis quæ quotidie facienda agemus, deinde de aliis quæ in diversis anni partibus perficiuntur.

I.

Pro quolibet die.

§ I.

De hora surgendi.

1. « Deus, Deus meus, ait S. David, ad te de lucevi gilo (2), » nempe prima hora, sum-

(1) Alvarez de Paz S. J. de Vita relig. instit. Proœmium.
(2) Psalm. LXII, 1.

mo mane, solis ortum præveniens surgebat, non a solis radiis coactus. Hunc agendi morem sacerdos, qui Deo vivit, sequi debet, ut pro tempore vel orientem solem vel etiam auroram præveniat: « grave est enim, si te otiosum in stratis radius solis orientis inverecundo pudore conveniat: et lux clara feriat oculos, somnolento adhuc torpore depressos (1). » Sex vel septem horæ satis superque sunt, ut vir jam ætate maturus a diei laboribus quiescat et corporis vires somno reficiat. Igitur si nonam vel decimam vespertinam horam ad cubitum eundum præscribimus, facile vel auroram vel ipsum solem præveniemus. At statim hora præscripta surgendum, ne matutinus dæmon occurrat, et inertia membra ac pigritia obruta ad malum provocet.

2. « Cum evigilas, statim omnes cogitationes tuas abjice de corde tuo, somnia potissimum quæ somniasti in nocte, quibus te diabolus vellet occupare. Primitias cogitationum tuarum offer Deo, et cogitationes vanas, quæ tunc maxime infestant mentem, a te abjicias: ex hoc eris ad omne tempus devotior et expeditior tota die (2). » Quod fit si, nomine Dei et Mariæ invocato, nos statim saluberrimo signo crucis signemus, oculos ad Deum et cor convertamus, eique jam

(1) S. Ambr. serm. 19 in Psalm. CXVIII.
(2) S. Bonav. de Instit. novit. p. 3, c. 4.

ex primo illo diei momento omnia nostra, cogitationes, desideria, verba, opera ex recta intentione, ad ejus gloriam offeramus, quo fiat ut deinceps jam Dei sint: « Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam (1). »

3. Juvat etiam, hoc ipso horæ momento, tentationes supervenientes præoccupare, Deo firmiter proponendo fore ut suæ gratiæ ope non modo lethales, sed etiam veniales deliberatas culpas vitemus: « Promitto me gratia tua adjutum, nunquam, nunquam te offensurum, semper, semper te amaturum. » Denique mente recolat sacerdos meditationis faciendæ jam a vespere paratum argumentum, et suaviter de eo spiritum occupet, dum vestibus modeste, Deo præsente et angelo suo duce, se induit.

§ II.

De precibus matutinis.

4. Nemo Christi fidelis, qui pie vivit, a precibus matutinis quotidie recitandis abstinet, ut diei primitias seque Deo consecret: mirum sane esset si presbyter id obire negligeret. Locus hic non est de orationis necessitate et fructu aliquid referre: alibi de orandi modo plurima dicta sunt. Multi extant libelli, etiam pro religiosis et ecclesiasticis viris, ex quibus preces summo mane recitandæ desumi possunt. Compendiose hic adnotare juvat quinque actibus maxime hujusmodi preces comprehendi, videlicet *adorationis, gratiarum actionis, oblationis, contritionis et petitionis.*

(1) Psalm. CXIII, 1.

5. *Adoratio* religionis actus est proprius et verus, quem uni Domino tribuere tenemur, ut summam ejus excellentiam profiteamur, nos ipsi subjiciendo ut supremo omnium Domino. Ut vero hic actus, ut par est, concipiatur, oportet: 1° mente perpendere atque Dei potentiam et magnitudinem æstimare, necnon sublimia ejus attributa, infinitamque sanctimoniam, eumque ut omnium principium, omniumque conservatorem et gubernatorem providentem habere; 2° animo despectum nostri concipere, nosque coram tanta majestate vilissime pendere, instituta comparatione inter nostram infirmitatem Deique absolutam omnipotentiam et virtutem; 3° vehementi voluntatis affectu, ex priore consideratione orto, nos ipsos in Deum ferre; 4° exteriori corporis vultusque demissione, hunc animi affectum palam facere.

6. *Gratiarum actio* necessaria est, ut gratos nostros animi sensus Deo ostendamus, pro tot tantisque, etiam præcedenti nocte, necnon ab initio vitæ nostræ beneficiis ab ipso receptis. Sane omni horæ mo-

mento, quin recogitemus, insignibus a Deo cumulamur donis: nonne igitur decet ut, juxta Pauli apostoli præceptum, gratias ipsi agamus, maxime diei exordio? Breviter mente recolamus, quæ Deus pro nobis egerit in creatione, in redemptione, in nostrarum animarum sanctificatione, in danda ad statum sacerdotalem vocatione; quæ agit nos conservando, nobiscum cooperando, cum providentia sua naturali, tum supernaturali. Hæc si animo beneficia volvimus, difficile voluntati non erit in gratiarum actionis actus magno affectu erumpere.

7. Præstat nunc ut omnium nostrum *oblatione* eadem Deo offeramus, quæ ipse benigne et generose largitus est; bona scilicet corporis et animæ, facultates spiritus, dona externa atque interna, actus quoque mentis, voluntatis et cordis, ut ipse de nobis prout vult disponat. Oblatio hæc duobus primis adorationis et gratiarum actionis actibus respondet, eorumque est externus actus seu expressio, verumque sacrificium, quod Deo debemus, et congrua ex gratitudine remuneratio. At sicut antiquæ victimæ coram Deo destruebantur, ita necesse est ut oblatio nostri non amplius repetatur; Domini enim sumus.

8. *Contritio* tamen hic necessario sequitur. Etenim cum sæpe hanc nostri oblationem fecerimus, deordinato eorum usu, quæ

Dei erant et cui sponte obtulimus, ob fragilitatem qua circumdati sumus, in multis sæpe deliquimus. Fiat ergo contritionis actus ex amore conceptus, nempe non ex pœnarum timore aut ex peccati turpitudine, sed quia Deus bonus est, pater est, magnus est et dignus amore, non odio atque offensa; cum veræ emendationis proposito, iisdem ex motivis concepto. Ad hanc obtinendam contritionem actus fidei, spei et charitatis emittantur, unde contritio facile sequetur.

9. Restat ut *petitio* fiat, quæ eliciatur, quia Deus bonus et misericors est, ac nos ad orandum generosa promissione cogit omnia concedendi, quæ in nomine Christi petamus; et quia miseri et indigentes sumus, quare ex Dei clementia et bonitate bona omnia et auxilia exspectamus. Oremus ergo pro Ecclesia, pro ejus Prælatis, pro civilibus Magistratibus, pro necessitatibus publicis et pro privatis familiæ nostræ, pro nobis, pro amicis et proximis quibuscumque; exposcamus imprimis spiritualia bona, deinde temporalia, si ita Deo placeat, ut iis saltem mediocriter fruamur.

10. His actis, ne obliviscamur intercessores et advocatos adhibere B. Virginem Mariam matrem nostram, S. Josephum, Angelum custodem, Patronos nostros et alios quoscumque, ut pro nobis efficaciter orent: quid enim oratio nostra prodesse

poterit, si ipsi pro nobis non orant? ipsi amici Dei sunt, eis Deus cœli terræque thesauros commisit, veluti suarum ædium cœlestium eleemosynarum dispensatoribus.

§ III.

De Meditatione, de Ss. Missæ sacrificio, de Officio divino.

11. Cum plura de his superius dixerimus, satis est si hic pauca addamus, quæ vulgo in Statutis diœcesanis commendantur. Si « desolatione desolata est omnis terra, quia nullus est qui recogitet corde » quanto magis desolabitur sanctuarium Dei, cum sacerdotes mentalis orationis neglexerint exercitium, quod ceteros docere tenentur, et quo ipsorum animi Spiritui sancto intime conjungendi sunt, ut ex fonte hoc hauriant lumina, vires et solatia, quibus ad bene implenda munia sua indesinenter opus habent. Ergo quisque clericus firmiter sibi proponat, primis diei momentis, saltem per tertiam partem horæ, orationi mentali seu meditationi vacare, et cum summo mane impeditus fuerit, quamprimum supplere (1).

12. Nemo offerat Missæ sacrificium sine prævia pia præparatione. Rubricæ Missalis romani, quæ in ipso celebrationis actu sine peccato omitti non possunt, diligenter ser-

(1) Stat. diœc. leod. Tit. 1, c. 2, art. 1.

ventur. Temporis spatium impendendum celebrationi Missæ privatæ (etiam pro defunctis) ex unanimi scriptorum opinione, saltem debet ad tertiam horæ partem pertingere, neque horæ dimidium excedere. Peracto missæ sacrificio, sacerdos in summa animi recollectione, aliquamdiu gratiarum actionem perficiat, sive in ipsa ecclesia, sive in sacristia. Tandem meminerint sacerdotes istius dicti S. Caroli Borromæi: « Missæ sacrificium quotidie offerre non prætermittant, nisi legitima causa impediantur (1). »

13. Recordetur qui breviarium seu divinum officium recitat se nomine Ecclesiæ et tamquam deputatum ab illa, pro justis, pro peccatoribus, pro publicis necessitatibus coram divina Majestate preces fundere. Congruum est mane, post orationem mentalem sive simul, sive divisim, *Horas parvas;* post meridiem, nisi aliter notetur, *Vesperas et Completorium;* sub vespere vero *Matutinum* cum *Laudibus* recitare (2).

§ IV.

De corporis refectione.

14. Post missæ celebrationem et divini officii recitationem, sacerdos studiis vel ministeriis sacris operam dare meminerit, de quibus abunde in hoc opere loquuti sumus,

(1) Stat. diœc. leod. tit. 1, c. 2, art. 1. (2) Ibidem.

et solitudinem amare, quæ ejus dignitati convenit, ne secularium hominum instar horas integras frustra terat, amicorum domos vel urbis vias perlustrando. Antequam corporis refectioni se tradat cogitet illud D. Pauli: « Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite (1), » et tantisper colligat se, ut suam intentionem recte dirigat, quia non ad gulam satisfaciendam, sed ad vires reficiendas cibum sumere necesse est. Unde S. Augustinus: « Si quod manducas et bibis, ait, ad refectionem corporis sumis, reparationemque membrorum, gratias agens ei, qui tibi præbuit mortali et fragili ista supplementorum solatia, et cibus tuus et potus tuus laudat Deum (2). »

15. Hæc proxima præparatio efficiet, ut attente ac devote preces ante cibum sumendum recitentur, ipsisque epulis benedicatur, quæ Dei benedictiones et dona sunt; necnon ut magna cum incessus gravitate, ut Dei ministros decet, mensæ assideant sacerdotes, intemperantiamque atque in omnibus effusionem effugiant. Quid enim magis scientiæ et pietati inimici sunt, quam crapula et ebrietas? « Ne igitur graventur corda nostra in crapula et ebrietate (3) » monet Dominus; sobrii in cibis sumendis simus,

(1) I. ad Cor. x, 30. (2) S. Aug. in Psalm. CXLVI.
(3) Luc. XXI, 34.

et juxta Apostoli præceptum, utamur *modico* vino propter stomachum (1), adeo ut non modo corpus et mentem non fatigemus, sed ut post refectionem facile etiam sit orare et cum Deo colloqui.

16. Quin imo religiosi et ecclesiastici viri est aliquantulum in unaquaque refectione corpus et gulam affligere et moderari. Quapropter nihil de iis quæ ad manducandum apponuntur elato ore despiciatur, sed grato animo quasi donum et eleemosyna a Deo oblata suscipiatur; ne indignemur siquidpiam male conditum sit, aut aliquid nobis desit; ne cibos singulares, suaviores et delicatiores affectemus; ne in cibo et voluptate ex gustu capta toti simus, sed interdum pauperes Christi præ mente habeamus et Christum ipsum, qui sæpe in vita et tandem moriens famem et sitim pro nobis tulit.

17. Compotationes in privatis ædibus sive laicorum, sive etiam quorumdam sacerdotum, sui status dignitatis et sanctitatis haud memorum, sine ullo humano respectu fugiant et deserant omnes viri ecclesiastici et religiosi. — Seposito etiam in vino intemperantiæ periculo, meminerint Sacerdotes varia concilia statuisse: « Clericos in quocumque gradu constitutos, laicorum convivia et nimiam eorum familiaritatem, unde clericorum vilescit auctoritas, declinare et

(1) I. ad Tim. v, 23.

fugere debere (1); » S. Hieronymum vero scripsisse: « Convivia tibi vitanda sunt secularium, facile contemnitur clericus, qui sæpe vocatus ad prandium, ire non recusat. Nunquam petentes, raro accipiamus rogati (2). » — « Unde omnes paterno affectu hortamur, ut in frequentandis hisce conviviis non tantum parci, sed maxime cauti sint (3). » Denique « sacerdotes amicis suis convivia non parent, nisi modesta ac moderata, tam quoad numerum convivarum, qualitatem ac numerum ciborum et vinorum, quam ipsam durationem (4). »

§ V.

De conversatione et corporis relaxatione.

18. Præstat ut interdiu corpori et animo laboribus defatigatis quies aliqua et relaxatio dentur, non ut otio et naturali pigritiæ satisfiat, sed potius ad naturalem fracti corporis somnolentiam excutiendam, ad animum nimia contentione jam obtusum divagandum, ad vires promptiores et ad laborem vegetiores comparandas. Christus ipse aliquando discipulos suos ad quiescendum per aliquod breve temporis intervallum invita-

(1) Conc. Ravenn. III, an. 1314. — Aquil. an. 1596.
(2) S. Hier. ad Nepot.
(3) Stat. diœc. leod., tit. 1, c. 3, art. 3.
(4) Decr. Card. Sterkx arch. mechl., an. 1852.

bat. Aptius quieti, conversationi et relaxationi tempus concedendum illud est, quod corporis refectionem sequitur, quia ad graves resumendas occupationes ineptissimum esse videtur. Cavendum tamen est ne dum corpus et animus tantisper relaxantur, spiritus ipse viribus attenuetur, animus in pietate defervescat, atque vulnerata anima ex immoderatis relaxationibus egrediamur.

19. Orent igitur imprimis religiosi et ecclesiastici viri cum S. Davide: « Pone, Domine, custodiam ori meo et ostium circumstantiæ labiis meis, non declines cor meum in verba malitiæ (1). » Hac prece roborati vitent *obloquia vana*, quia « de omni verbo otioso reddet unusquisque rationem (2); » fugiant ut pestem *mendacia*, quia « Abominatio est Domino labia mendacia (3); » caveant potissimum ne alterius famæ *detrahant*, gravissimumque sibi aliisque malum procurent; non sint *citati lingua*, neque *irrisoribus* se misceant, nec verbis unquam *contendant*. Hæc sane Dei sacerdotem dedecent, qui omnibus exemplo esse debet, cum gravitate sermonis, tum actuum prudentia et modo. Multa sunt, de quibus sermones suaviter et delectabiliter misceri possunt, quæ animum recreant et neminem lædunt. Profecto auctor non sum, ut relaxationis tempore

(1) Psalm. CXL, 3. (2) Matth. XII, 36.
(3) Prov. XII, 22.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

scientificæ vel severiores disputationes se rantur, quæ caput obtundunt quin animum levent: attamen infinita prope sunt colloquiorum argumenta, quibus sine contentione et fastidio animus jucunde quiescit.

§ VI.

De lectione pia.

20. Statuta omnia ecclesiastica clericis commendant ut, præter meditationis horam, aliquod temporis spatium ad piam lectionem quotidie peragendam impendant. Hoc ipsum exercitium laicis fidelibus nos commendamus, qui non minimum ex eo fructum desumunt: quid mirum si clericis præscribatur, quibus Paulus intonat: « Attende lectioni? » Pia vero intelligitur lectio, qua mysticos libros, sanctorum vitas, spirituales tractatus evolvimus, non quidem præcipue ut rerum ad spiritum pertinentium notitiam acquiramus, sed multo magis, ut earum gustum et affectum quæramus. Hic mos religiosis viris ex sui cujusque Instituti regula imponitur, ecclesiasticis autem, ut diximus a Statutis commendatur (1). » Hic mos absque dubio tum indoctis, tum doctis viris utilissimus esse videtur, cum de doctissimis Ecclesiæ viris, de S. Augustino, de S. Jo. Chrysostomo, de S. Basilio, de S. Bonaventura,

(1) Statut. diœc. leod. Tit. 1, c. 2, a. 1.

de S. Thoma et de aliis quamplurimis legamus id constanter egisse. Ceterum, hæc lectio alterius generis animæ relaxatio est, qua suaviter et sine contentione, quæ in gravioribus studiis habetur, et cognitiones non paucas adipiscimur et ad pietatis sensus inducimur.

21. Operæ tamen pretium ducimus aliquas hîc leges subjicere, quibus fructuosa ejusmodi lectio evadat.

1° Medium efficax ad hanc lectionem utilem reddendam est, ut desiderio ex ea proficiendi nosque corrigendi incipiamus: desiderium hoc efficit ut magno ardore atque attentione perficiamus.

2° Præparet se presbyter perbrevi oratione ex. gr. ad Spiritum sanctum: « Spiritus sancti gratia illuminet sensus et corda nostra. Amen; » ad beatam Virginem: *Ave Maria* etc., « Sedes sapientiæ, adjuva me. »

3° Libros seligat qui sint probati, solide et vere pie conscripti, non autem qui curiosa sectantur. Nec omittat quotidie saltem caput e libris Scripturæ sanctæ legere, et caput ex pretiosissimo, post Evangelium, *Imitationis Christi* libro.

4° Neque librum identidem sine causa vel quotidie mutet: fortuita namque lectio, ait alicubi S. Bonaventura, et quasi casu reperta non ædificat, sed reddit instabilem animum.

5° Non legat theoretico sed practico quo-

dam modo, atque ita ut verba quæ legit Dei esse putet, legemque divinam docere, quæ non modo cognosci sed impleri debeat.

6° Propterea lectionem hanc frequens interrumpat mentis elevatio in Deum et animi affectus, necnon reflexio aliqua practica, qua faciliores utilioresque fructus retrahamus.

7° Non immoderata sit lectio, ne animus fatigatus serius ad illam redire nolit: sed potius librum relinquamus cum desiderio illum iterum sumendi, ad animæ nostræ fervorem augendum.

§ VII.

De Corona beatæ Mariæ Virginis et aliis precibus.

22. Alibi de devotione erga B. Virginem Mariam, quæ sacerdotum propria est, loquuti sumus: hic duo eis commendanda erga tantam Matrem pietatis exercitia censemus, quæ vulgaria in Ecclesia sunt, fidelibus omnibus communia et innumeris indulgentiis aucta; videlicet B. Virginis Rosarium vel precum corona, et triplex in die salutatio, mane, meridie et vespere.

Antiquissimus est in Ecclesia precum rosarium in Virginis Mariæ honorem recitandi mos, ex quo B. Pater Dominicus miram contra Albigenses ac Valdenses opem implo-

ravit. Quod si fideles laici saltem quotidie harum precum tertiam partem vulgo recitant, mysteriaque redemptionis nostræ ac Virginis Mariæ recolunt, ut ejus auxilium implorent eamque collaudent; quanto inviolabilius, ferventius et devotius viri ecclesiastici et religiosi hoc exercitium peragent, qui sibi speciali ratione noverunt Dei matrem suam esse sanctissimam matrem? Quamvis ergo aliis precibus et quamplurimis distineantur laboribus, ne has prætermittant cum magno animi fervore preces quotidie recitare. S. Franciscus Salesius, ut tantis obrutus sollicitudinibus et occupationibus sibi quodammodo inviolabilem legem imponeret, votum emisit sub gravi quotidie saltem tertiam Rosarii partem recitandi. Non ejusmodi votum certe suademus, quod nec ipse S. Franciscus Salesius suadebat, sed cum illo sacerdotes omnes rogamus ne unquam hunc piissimum morem intermittant, fidelesque Christi omnes hortentur, ut in eo libenter constanterque permaneant.

23. Nec minimi facienda tripla diurna salutatio Virgini Matri, cujus auctorem S. Bonaventuram ferunt. Per eam summum incarnationis et annuntiationis mysterium recolimus, ut mediatrice Maria, sanctissimæ et individuæ Trinitati ter in die gratias agamus, simulque gratos nos filios erga Virginem Mariam exhibeamus, quæ Verbi æternin

carnem in ea sumentis Mater effici voluit, ut a peccatis redempti etiam Dei filii cœlique heredes fieremus. Per eam tempore paschali cum B. Virgine gaudiorum partem habemus, quibus, resurgente Domino, ipsa redundavit, atque obsecramus ut tantorum gaudiorum in cœlis potissimum participes fieri possimus. Teneant igitur fideliter presbyteri hanc piam trinam salutationem, atque in parœciis, ubi hic sanctus mos deferbuit, rursum renovent et fidelibus populis commendent.

§ VIII.

De invisendo Ss. Eucharistiæ Sacramento.

24. Gavisus sum hæc verba in Statutis leodiensis diœcesis perlegens: « Sanctissimum Sacramentum quotidie, quantum fieri potest, per semihoram vel saltem quadrantem, summa reverentia, assiduitate et pietate visitare nullus clericus omittat (1). » Presbyteris sane tamquam suo jure et munere functuris corpus Christi sacratissimum adorandum, custodiendum, deferendum, tradendum et defendendum commissum est: eorum igitur est ejus solitudinis socios fieri, illudque devotissime adprecari, pro se, pro Ecclesia, pro Christi fidelibus et pro hæreticis et infidelibus hominibus; ex eo amoris flammas et zeli gloriæ Dei et salutis animarum haurire; ejusque injurias, quibus quotidie ab impiis afficitur, reparare. Igitur non semel in die sed frequenter, ter ad minimum, ut alibi dictum est, si non per horæ quadrantem, saltem per aliquot non brevia horæ momenta, non omittant sacerdotes Dei, coram augustissimo Eucharistiæ sacramento, se præsentes sistere eumque adorare.

(1) Statut. diœc. leod. Tit. 1, c. 2, a. 1.

25. Libri non desunt, qui harum visitationum materiem aptissimam subministrant: at libris ne indigemus cum parentem, fratrem, amicum invisimus? Satis sit igitur pro libro cor ardens habere, ex quo affectus erga Christum et obsecrationes desumamus. Sanctus Franciscus Borgia septies in die Eucharistiæ sacramentum invisebat, in honorem scilicet septem effusionum sanguinis Domini Jesu, et pro unaquaque unum Spiritus sancti donum expostulabat. Septem sanguinis effusiones contemplabatur in circumcisione, in horto, in flagellatione, in spinea coronatione, in manibus cruci affixis, in pedibus item cruci affixis et in latere lancea vulnerato. Unusquisque pro suo devotionis modulo, nunc unum, nunc alium, Christum in Eucharistia visitandi methodum adhibeat: sed imprimis petamus ab eo humilitatem, mansuetudinem et amorem, ut ne

nos unquam in tentationem inducat, ut regnum ejus adveniat, et ne Ecclesia suorum hostium manibus tradatur.

§ IX.

De examine conscientiæ.

26. Bis in die communiter viri religiosi et boni ecclesiastici seculares conscientiam suam discutiunt, semel ante meridiem et semel ante cubitum, ut si quid deliquerint ex corde doleant, et nova de cetero non peccandi proposita effingant. Sed saltem semel in die ante cubitum in Statutis diœcesanis hæc animæ discussio ecclesiasticis viris commendatur. Quis non videat eam summopere necessariam esse, ut Deo, cui placere cupimus, invisi non simus? errare enim hominis est etiam justi, qui septies in die cadit; oportet igitur ut quæ per ignorantiam, per fragilitatem, vel etiam per malitiam patravimus, discussione conscientiæ detecta, dolore animi et fletu deleamus. Utilis est hæc discussio ad peccata minuenda, ad vitia resecanda, ad virtutes animo inserendas, ad animæ quietem comparandam, denique ad humilitatem exercendam et prudentiam experientiæ ope acquirendam; quia detectis culpis causisque culparum, cautiores in posterum fimus et media corrigendæ vitæ invenimus.

27. Quinque puncta vulgo contiræt conscientiæ examen:

1° *Gratiarum actionis*, Deo pro innumeris nobis collatis beneficiis, unde in fine argumentum doloris et tristitiæ desumere fas erit.

2° *Petitionis luminis*, ut clare facta nostra et infecta dignoscamus, « Pravum enim est cor hominis et inscrutabile, quis cognoscet illud (1)? » A Deo igitur Patre luminum, a Christo, qui illuminat omnem hominem, a Spiritu sancto, qui mentes hominum visitat, lumen petamus et gratiam.

3° *Discussionis animæ*, qua non modo pravas cogitationes, verba et opera inquiramus, quæ peccantes contra officia nostra erga Deum, erga nosmetipsos et erga proximos commisimus; sed etiam bona opera quæ vel prava intentione vel modo indigno depravata fuerunt. Neque hoc satis, verum et omissiones ex culpabili negligentia scrutari oportet, et culparum causas, ut media investigemus ad proficiendum in virtutibus, ad errores corrigendos.

4° *Contritionis*, quæ facile elicitur si præ oculis ponamus tum peccata ab ultimo conscientiæ examine patrata, tum præterita omnia et singula, eaque tamquam onus grave quo deprimimur, cum Dei majestate, benignitate, misericordia et bonitate, quæ sæpissime ignovit, conferamus.

(1) Jer. xvii, 9.

5° *Propositi*, quod leve esse non debet, neque tantum ad vitanda lethalia, sed etiam ad venialia saltem plene deliberata et ad ea minuenda, quantum fieri potest, quæ ex fragilitate et negligentia committimus.

Finis imponitur recitando semel *Pater* et *Ave*.

§ X.

De decubitu.

28. Discussione animæ facta, præparet se sacerdos ad conveniens somnum honeste capiendum: « In pace in idipsum dormiam et requiescam (1). » Cum cordis tranquillitas per animæ sinceram contritionem redierit, nihil impedit quominus secure et confidenter in Deo corpori requiem concedamus. Itaque recitatis nocturnis precibus, non omittat presbyter B. Mariam Virginem, Angelum custodem et patronos suos orare: petat sibi a Christo Jesu et a Maria matre sua benedici; frontem, pectus et os aqua lustrali et crucis signo muniat devote, et in lectulo ad quiescendum, Dei præsentia in mentem revocata, honeste se componat. Juvat per recitationem psalmi *Miserere* somnum carpere; juvat ante somnum mentem occupare eorum cogitatione, quæ legimus ad meditationis materiem matutinæ

(1) Psalm. IV, 9.

parandam. Quod si tentatio quædam vel ante somnum vel per noctem, nobis evigilantibus, adveniat, oratione vel Christi passionis memoria, statim repellatur.

II.

Pro qualibet hebdomada, mense et anno.

§ I.

De Confessione sacramentali.

1. Hoc salutis sacramento ecclesiastici et religiosi viri non minus ac laici Christi fideles indigent: datum est enim omnibus ad animæ morborum remedium, et veluti secunda post naufragium salutis tabula. Quis medico non indigeat, cum tam frequenter in morbos, ex naturali animæ fragilitate incidamus? Cum vero sacerdotes quotidie incruentum altaris sacrificium celebrent, nec raro ad alia sanctissima exercenda munia et ad sacramenta conferenda vocentur, potiori adhuc ratione hoc tam saluberrimo sacramento, ac frequentius quam laici uti debent. Decet sane ipsos integerrima animæ puritate vivere ac jugiter esse, quam nonnisi efficacitate et frequenti pœnitentiæ sacramenti usu paullatim adipisci fas erit. « Sunt tamen, qui nimis raro utuntur hoc salutari remedio et ideo cadunt; *dicunt et non fa-*

ciunt (1) ; » quid mirum si frigidam ducant vitam, si, quam incolunt, terra, spinas proferens et tribulos, *reproba sit et maledicto proxima* (2) ? »

2. Si ergo suæ saluti student, si grati Deo esse volunt, si tot indulgentiarum thesauris privari nolunt, ad quas lucrandas hebdomadaria ad minimum requiritur confessio ; singulis saltem hebdomadis ad sanctum tribunal sacerdotes accedant, eoque lavacro refrigerentur. Dicimus singulis hebdomadis, nisi alia ex ratione pœnitentiæ sacramentum ad Missæ sacrificium conficiendum, sit de necessitate alioqui præceptum. Attamen ut cum fructu sacramentum hujusmodi percipiatur, operæ pretium ducimus in presbyterorum mentem utilissimas aliquas regulas revocare, ex quarum oblivione fit, ut nihil fere ex eo fructus in animam effluat.

3. 1° *De confessarii electione.* — Habeant sacerdotes, quod aliis suadent, stabilem aliquem et specialem suæ animæ ducem, qui dirigat, consulat, hortetur, erigat ; eique omnes cordis sui latebras magna cum fiducia aperiant ; nec, sicut puerorum vel aliquorum etiam adultorum mos est, huc illuc divertant ad incertum et instabilem sacerdotem, quasi vereantur ne ab eo qui sint dignoscantur. Medicus est confessarius, qui omnes

(1) Matth. xxiii, 3.
(2) Ad Hebr. vi, 8. — Stat. diœc. leod. Tit. I, c. 2, a. 1.

animæ infirmitates cognoscere debet, ut cuique opportuna valeat applicare remedia.

4. 2° *De confessarii qualitatibus.* — Confessarius talis non sit qui animæ dux esse non possit. Quapropter morigerus imprimis, bonæ notæ et virtutis ac sanctitatis amator sit, vir doctus æque ac pius, zelo non modo animarum in genere, sed animarum sacerdotum fretus ; ille sit potissimum qui magna libertate, absque timore aliquo et sine ullo humano respectu sacerdotem monere sciat, eum instruere, eique munia sua atque officia libere revocare. Quod si talis sit qui contentus revelationem peccatorum audire, pœnitentia sacramenti imposita, remissionem culparum impertiatur ; sciat presbyter vel ei animum addere, ut aliter agat, vel, si opus est, relinquere, ut meliorem ducem animæ eligat.

5. 3° *De animæ dispositione.* — Magna et diligentissima cum præparatione ad pœnitentiæ tribunal presbyteri accedant, non ex usu atque habitu, ne confessio nulla sit, sin minus sacrilega. Ideoque animæ contritionem per diversa supernaturalia motiva ciere satagant, postquam accurato examine conscientiæ noxas suas mente ordinate perviderint. « Pœnitentiam certam, inquit alicubi Augustinus, non facit nisi odium peccati et amor Dei... Salvatur peccator quia dolet : liberatur quia pœnitet. »

6. 4° *De peccatorum confessione.* — Nec ducant in animum sacerdotes satis esse, si tres quatuorve vulgares noxias, fere semper easdem aperiant. Profecto sacramenti necessitas non aliud expetit, aliud vero sanctitatis sacerdotis necessitas exquirit, aliud ad hanc sanctitatem acquirendam directionis necessitas. Videant igitur quæ contra sui status officia deliquerint et aperiant; ne taceant si tempus illis concessum lucro apponere neglexerint, si studiis et solitudini exacte non vacaverint, si infirmorum et pauperum debitam curam non gesserint, si male vel negligenter sacramenta administraverint, si templi et eorum quæ ad cultum pertinent decorem et munditiem non custodierint, si quid circa Missarum sacrificia contra justitiam peccaverint, si inutilibus visitationibus vel itineribus sæpius, ac par est, a suis ministeriis abfuerint, si convivia, ludos et compotationes amaverint, si ex lucro, ex vanitate ex proprio amore egerint, si prodigi fuerint vel avari, si nimis familiares se præbuerint etc. Nec noxiarum causas aperire negligant, quas si confessarius nesciat, apta non poterit indicare remedia, unde fit, ut in iisdem culpis perpetuo contabescamus.

7. 5° *De confessionis qualitatibus.* — Ad fructum capiendum, confessio sit *humilis*, ut illa David coram Nathan, Magdalenæ ad Christi pedes provolutæ et Publicani in templo; sit *simplex* quin noxas nostras excusemus, Adæ more et Evæ parentum nostrorum, qui hac de causa damnati fuerunt: non ergo fragilitati nostræ culpas tribuamus sed malitiæ et ignaviæ; sit *brevis*, ut nempe non inutiles seramus sermones, qui ad rem non faciunt, vel culparum gravitatem injuste minuunt; sit *clara* sine ambagibus et æquivocis verbis, quæ confessarium decipiunt et pœnitentis animam vulnerant; sit *integra* prout Concilium Tridentinum præcipit, nec attendamus ut a confessario interrogemur; sit *verecunda*, quia erubescentia ipsa, inquit Augustinus, partem habet remissionis; sit denique *fidelis*, ita certa ut certa, dubia ut dubia enunciemus.

8. 6° *De satisfactione.* — Confessionem peccatorum pœnitentia sequatur, non illa quidem tantum, quæ nunc temporis in sacro tribunali a Dei ministris imponitur, quamque norunt sacerdotes ad integrum expiationis debitum diluendum et extinguendum satis non esse, sed alia eaque gravior, quam sponte suscipiamus. Ideo sæpe corpus et animam affligere et conterere opus est, vel per pia opera, maxime per eleemosynam, per indulgentiarum lucrum, per sacramentorum frequentem perceptionem hoc debitum solvere, ne nimium quid restet in alia vita infeliciter et ægre luendum.

9. 7° *De confessionis fructu.* — Unde fit,

ut post tot pœnitentiæ sacramenta recepta, nullum vel fere nullum fructum capiamus, iidem semper simus, nullos eliciamus conatus ut meliores fiamus, ut vitia quædam eradicemus, ut virtutum quosdam actus exerceamus? Inde profecto est quod supradictas regulas non adamussim sequamur, quod ducis et medici nostri consiliis et monitis non obtemperamus, nec totis viribus firmaque voluntate ad defectuum animæ et peccatorum emendationem intendimus. Efficiamus igitur imprimis ut voluntas nostra absolute et firmiter Dei gratiæ cooperare velit; deinde expetamus a duce animæ nostræ efficacia media, quibus in occasione relabendi positi non corruamus; precibus denique Dei bonitatem flectamus, ut nostræ infirmitati propitius abundantiores gratias largiatur.

§ II.

De mortificatione aliqua vel pio opere exercendo.

10. Quamvis nulla dies sine linea prætereat debet, et quotidie bona opera agere necesse est atque in mortificationis virtute exerceri, semper enim mortificationem Jesu in corpore nostro circumferre debemus; præstat tamen ut unus vel alter specialis dies in hebdomada constituatur, quo designatum aliquod pium opus, vel determinatus pœnitentiæ actus fiat. Jam a primis Ecclesiæ exordiis atque ab apostolico tempore in more fuit, ut die veneris in honorem Jesu Christi redemptoris nostri in cruce passi, et die sabbati in honorem B. Mariæ Virginis matris Dei jejunium servaretur, atque ab esu carnium abstineretur. His potissimum diebus, qui Deum fervide colunt cordi habuerunt per eleemosynas, vel alia pia opera pauperibus vel religioni inservire. Hi mores temporum injuria paulisper deferbuerunt: jam vix in pluribus Europæ regionibus et alibi, abstinentia a carnibus feriæ sextæ servatur, et Pastoribus Ecclesiæ necesse fuit, quamplurimum ad vitanda peccata, dispensatione populos a gravi obligatione levare. At nostrum est primitivas Ecclesiæ regulas, primosque mores, quantum fieri potest, servare, aliisque virtutis et abstinentiæ exemplo esse. Sacerdotes igitur hortamur ut, pro viribus, hos tam sanctos dies eligant ad pia exercenda opera, ad abstinentias vel alias corporis afflictationes sibi præ ceteris imponendas, ut divinæ justitiæ satisfaciant, eamque erga tepidos Christi fideles placatam habeant.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

§ III.

De Patrono mensis eligendo et colendo.

11. Est unicuique nostrum, ut credimus, tutelaris angelus, quem Deus concessit, cuique animæ nostræ salutem commisit: ipse vias nostras custodit, atque in manibus nos portat, ne forte ad lapidem pedem nostrum offendamus (1); hoc tamen non vetat quominus et alios eligamus patronos, sicut in multis religiosis familiis, in seminariis ecclesiasticis, in B. Mariæ Virginis sodalitatibus usus invaluit, ut mensis initio sanctum vel angelum patronum seligant, cujus festivum diem eo mense Ecclesia concelebrat. Hujus consuetudinis ratio sine dubio est, ut « multiplicatis adjutoribus et intercessoribus, facilius quæ optamus impetremus et cœlestia regna adipiscamur. »

12. Hunc sanctum morem ac pium ne sacerdotes Dei negligant, qui potiori ratione auxiliis indigent, ut in via salutis dirigantur aliosque uberrime ducant.

Itaque: 1° die ultima mensis a Deo precibus impetremus, ut initio sequentis mensis sorte electum specialem nobis patronum præbeat, qui potenti sua intercessione apud ipsum, quæ saluti nostræ necessaria videntur, certissime obtineat.

(1) Psalm. xc, 12

2° Initio mensis hunc patronum devote et reverenter suscipiamus, tamquam a Deo concessum, eique, cum primum per tempus licuerit, nos nostraque commendemus, ut omnia prospera per eum et in animæ bonum occurrant.

3° Ne semel vel bis in die eum invocare omittamus, ferventiorique modo ubi adversitates, pericula, tentationes quieti et animæ saluti adversentur. Vespere autem ante cubitum, sicut Jacob ab angelo, ab eo benedici petamus.

4° Diem ejus festum specialibus devotis operibus præveniamus et deinde summo honore celebremus. Sed eo die potissimum ne eum rogare cessemus, ut majorem in dies animi fervorem pro nobis expostulet, Deoque preces et desideria nostra quotidie offerat. Nec diffidamus quominus ipse nobis in omnibus propitius futurus sit, si studiose ad eum confugiamus.

§ IV.

De menstrua spiritus recollectione.

13. Qui suæ salutis æternæ et perfectionis curam habent, diem unum in mense seligunt, quo ab omnibus aliis temporis occupationibus et divagationibus, quantum fieri potest, expediti, suæ animæ negotiis liberius et tranquillius vacent. Hic mos menstrua

spiritus recollectio dicitur, quæ vel publice vel privatim fieri consuevit. Quam utilis hæc vacationis dies ad animæ profectum sit, nemo est qui non videat, quo enim frequentius ad nos ipsos considerandos revertimur, atque ad intimiorem cum Deo unionem fovendam redimus, eo melius ac facilius Deum nosque cognoscimus, atque media colendæ virtutis invenimus, denique ad extirpanda vitia, ad defectus corrigendos, ad augendum in nobis charitatis ardorem aptiores invenimur.

14. Harum recollectionum tres igitur fines invenio: 1° quæ bona a Dei misericordia et bonitate accepimus, nostraque erga eum officia recolendi; 2° spiritum nostrum sacerdotalem renovandi; 3° animas nostras diligentius ad mortem parandi ac disponendi. De unoquoque horum finium pauca hîc sunt adnotanda.

1° *De memoria beneficiorum Dei nostrorumque officiorum.* — Quamvis omnibus vitæ momentis Dei beneficia et nostra erga eum officia præ mente habere debemus, valde tamen juvat quiete et tranquille singulis semel mensibus de iis cogitare, ut ea melius cognoscamus et intimius cordi insculpamus; sterilis enim et theoretica, ut ita dicam, cognitio satis non est, nisi et videamus quomodo ex his vita nostra dirigi et perfici debeat: « Convertere anima mea in requiem

tuam, quia Dominus benefecit tibi (1). » Profecto magnis Deus beneficiis ac donis nos cumulavit, ad bene agendum impulit, et adjuvit; his ergo consideratis, convertamus nos ad nosmetipsos, ingrediamur intima cordis nostri, videamus quid egerimus et quid restet agendum, atque ex hac consideratione robur in nobis erit ad perseverandum in bonis operibus, et requiem a laboribus ac tranquillitatem inveniemus.

15. 2° *De spiritus renovatione.* — Spiritus ecclesiasticus in his recollectionibus est renovandus: « Renovamini spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis (2). » En ecclesiastici et religiosi viri spiritum, spiritum inquam Christi, cujus sectetur opera, quæ justitiæ et sanctitatis opera sunt. Ex fragilitate vel ex negligentia fortasse per mensem non semper hæc opera perfecimus, in multis erravimus, cor nostrum in vanitates diffluit et insanias falsas; quidquid mali patravimus pœnitentiæ operibus diluamus, atque propositorum renovatione et confirmatione corrigamus. Cogitationes omnes, desideria, verba et actus nostros in examen vocemus, ut capiti nostro et duci Christo ea conformemus: « Si quis enim spiritum Christi non

(1) Psalm. XIV, 7. (2) Ad Eph. IV, 23.

habet, hic non est ejus (1). » Hortemur nosmetipsos atque ex Dei et cum Dei gratia animum ad melius agendum sumamus, ut ex hac recollectione spiritus meliores et fervidiores effecti, populus in nobis ministros Dei fideles miretur.

16. 3° *De præparatione ad mortem.* — « Estote parati, inquit Christus, quia qua hora non putatis Filius hominis veniet (2). » Necesse est ergo, ut omni horæ momento mori parati simus, et ad nostrorum operum Deo rationem reddendam. Hoc sane fiet si sæpe repetamus: « Quotidie morior. » Attamen die recollectionis menstruæ, tranquillo et quieto animo in solitudine constitutis facillimum erit mortis cogitatum menti imprimere, ut ex ea actiones nostræ dirigantur et conscientia purior reddatur. Qui attento et constanti animo singulis mensibus morti se disponit, ut sine timore eam expectet, id sane eo mense faciet quo eum, non certe imparatum, mors aggredietur; quare ex his non erit quibus mors ut fur advenit: « Beati servi illi, quos cum venerit Dominus invenerit vigilantes (3). »

17. 4° *De recollectionis praxi.* — En brevibus hujus recollectionis methodum, sive privatim, sive publice fiat.

a) Præter horam consuetæ matutinæ me-

(1) Ad Rom. VIII, 9. (2) Matth. XXIV, 44.
(3) Luc. XII, 37.

ditationi assignatam, alia hora meditationi detur, cujus argumentum de Christi virtutibus aut mysteriis, vel aliud Ecclesiæ solemnitatibus consonum erit.

b) Alia hora conferentiæ de officiis et virtutibus ecclesiasticis audiendæ vel lectioni piæ concedatur, necnon considerationi cujus subjectum sit mors, vel ea quæ ad bene nos morti parandos conferunt.

c) Convenit ut hac die aliquid ex Statutis diœcesanis, ex libro *Imitationis Christi*, atque ex Evangeliis speciali modo prælegatur.

d) Fiat diligentior conscientiæ discussio ab ultima recollectione menstrua, ut cum more solito ad pœnitentiæ tribunal accedemus, exactior et ferventior fiat confessio.

e) In libello papyraceo sive lumina a Deo recepta, sive proposita de novo concepta notentur, ut unum mensem cum alio conferamus, et videamus utrum in spiritu profecimus.

In genere toto die preces ad Deum multiplicemus, ut quæ nostro statui congrua sunt abunde largiatur.

§ V.

De Conferentiis ecclesiasticis.

18. Ad conservandam augendamque pietatem et scientiam ecclesiasticam, optimus

invaluit in diœcesibus usus, ut singulis mensibus, saltem in civitatibus, et binis quoque mensibus ruri, ecclesiasticæ conferentiæ inter sacerdotes instituerentur, quæ designatas quasdam quæstiones agitent de Scriptura sacra, de dogmatibus theologicis, sed maxime de theologia morali et de ministerii sacri praxi. Harum conferentiarum finis est, ut sacerdotes sese invicem ad sanctimoniam et scientiæ theologicæ adeptionem excitent, statuta diœcesana et mandata episcopalia adamussim adimplere curent, sicque ministerii sacri praxis uniformior fiat, atque in clero pretiosa illa animorum unio vigeat, quam Christus Dominus discipulis suis tantopere commendavit (1).

19. Quantum in ecclesiasticum emolumentum hujusmodi conferentiæ cedant, ubi recte, rite et diligenter fiant, cuicumque evidentissime patet. Ideo quoniam ad eas cum fructu peragendas optimæ et accuratissimæ regulæ in Statutis diœcesanis passim traduntur, non est cur eas persequamur, sed contenti erimus sacerdotes hortari, tum ut ab iis frequentandis nullo sese sub prætextu eximant, tum ut rite et diligentissime omnia ac serio exequantur, quæ in cujusque diœceseos statutis commendantur et præcipiuntur. Scientia et pietas conservandæ et exercitio roborandæ sunt, necnon

(1) Statut. dioec. leod. Tit. 1, c. 2, a. 2.

per tot sacerdotum communionem, exemplum, et mutua lumina augendæ, ut revera simus civitas illa super montem posita, ut Christus docuit, et lucerna super candelabrum, quæ luceat omnibus qui in domo sunt.

§ VI.

De Anniversaria die Sacerdotii recepti.

20. Inter homines etiam paganos antiquissima viguit consuetudo diem uniuscujusque natalem solemniter celebrandi, quo mundo et hujus vitæ miseriis ac morti nati sunt. At alius est in Ecclesia christiana mos diem scilicet natalem duplicem peragendi; vel quo Deo per baptisma renascimur, vel quo mundo et huic terræ demortui, Deo vivere incipimus et cœlorum beatis connumeramur. Medius inter hos duos natales dies, alter est specialis pro iis qui religiosis familiis nomen dederunt, alter pro Dei sacerdotibus. Religiosarum familiarum adepti diem anniversarium solemnem habent, quo, nuntio dato Ægypto et hujus mundi bonis, religiosa vota emiserunt, quibus perfectius cum Deo vivere cœperunt. Sacerdotes vero summo cum gaudio diem prosequuntur, quo in sortem Domini vocati, sacros sacerdotii ordines susceperunt, ut soli Christo ejusque divinæ missioni viverent, pro eoque ad mortem usque laborarent.

21. Convenit ergo, ut hæc anniversaria dies solemnis sacerdotibus sit; hæc enim potissimum memoriæ revocat insigne Dei vocationis ad statum ecclesiasticum beneficium, præcellens dignitatis sacerdotalis munus nobis collatum, sublimia jura et officia nostra, denique promissa quæ hac die sponte pronuntiavimus. Frequenter hæc meminisse juvabit: die autem sacerdotii recepti anniversaria, melius menti occurrent.

Propterea en quæ facile ad hanc diem recolendam ab omnibus peragi possunt:

1° Pervigilio præcedenti particularis aliqua corporis afflictatio ex. gr. jejunium sponte fiat, tum ad noxias expiandas, quas contra Deum ex infidelitate vocationi nostræ patravimus, tum ad Dei bonitatem erga nos benigniorem reddendam. Fiat etiam diligentior noxarum exomologesis, ut puriores die sequenti coram Deo sistamus.

2° Mane anniversarii diei statim e somno expergefacti magno cum affectu talarem quam induimus vestem deosculemur, et recitatione hymni ambrosiani *Te Deum*, gratias Deo quamplurimas habeamus.

3° Meditationis matutinæ argumentum sit vocationis et status nostri dignitas, in eaque grati animi affectus, gaudii, doloris et voluntatis proposita melius in posterum agendi eliciamus.

4° Sacrificium Missæ majori cum devotione et solemnius, si id fieri possit, concelebretur, ad gratias Deo agendas, sanctosque angelos et patronos nostros invocandos, ut Deo nobiscum gratias referant.

5° Post Missæ sacrificium, coram Christo quem in sinu gestamus, vota clericalia singillatim renovemus, quæ coram Episcopo consecratore olim emisimus. Hæc votorum promissorumque renovatio gratissima Deo est, quia per eam bonam nostri perseverandi voluntatem hilares ostendimus, atque probamus nulla nos ratione de statu nostro tædere, quin imo potissimum cordi habere ac velle iterum atque iterum in illum ingredi, si hactenus non fecissemus.

6° Denique per diem animi lætitiam de magno hoc dono ostendamus, atque a prandio saltem per horæ quadrantem Christum Jesum in eucharistiæ sacramento absconditum invisamus, ut iterum ei agamus gratias, quod tot bonis, tantisque thesauris ditaverit, atque in fine rursum hymnum *Te Deum* recitemus.

§ VII.

De Exercitiis Spiritualibus annuis.

22. Præter uniuscujusque mensis perbreves animi recollectiones, ad ecclesiastici et religiosi ordinis dignitatem et sanctimo-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

niam servandas maxime conducunt annua exercitia spiritualia, nempe longior, quinque ad minimum dierum recollectio. Ex quo Deo optimo maximo placuit S. Ignatio Soc. Jesu Fundatori et Patri methodum et ordinem, necnon aptas regulas, ad hæc spiritualia exercitia tradenda et facienda supernaturali ratione suggerere, compertum sane est quale quantumque emolumentum cujuscumque conditionis et status christianis fidelibus in toto terrarum orbe diffusis, mirabiliter attulerint. Neminem latet quanti Romani Pontifices et Episcopi illustresque viri hæc exercitia fecerint, quotque cumulaverint privilegiis, et quanto studio adlaboraverint, ut in dies eorum usus frequentior esset.

23. Statuta diœcesana passim sacerdotibus secularibus ea commendant, et volunt ut si non semel in anno, saltem secundo et ad summum tertio quoque anno ab omnibus indiscriminatim fiant, ne hoc tanto priventur emolumento, eorumque spiritus reparetur, animus a vitiis et defectibus abstergatur, rectaque vivendi forma, juxta normam a Christo traditam, confirmetur. Religiosarum familiarum viris fere vulgo mos est quotannis his exercitiis vacandi: huic consuetudini religiosus fervor tribuitur, religiosæ disciplinæ observatio et ordo; proindeque cessat hos religiosos ordines

reformandi necessitas, quæ sæpe antiquitus extabat, cum religiosa observantia paullatim dilabebatur. Itaque juxta supremorum Pastorum vota agere arbitramur, si presbyteris enixe commendemus, ut quotannis, quantum fieri possit, hoc divino ipsis parato convivio roborentur, huic igni sese admoveant, ut calefiant.

24. Non est hic cur methodum vel hæc exercitia tradendi vel faciendi commemoremus, cum innumeri prostent qui hæc docent libri, quorum primus, et fortasse unicus manibus terendus, est ipse S. Ignatii liber. At operæ pretium est perbreves aliquas hic colligere regulas vel monita, ut cum fructu spiritualia exercitia peragantur.

1° Incœpturus, sive privatim, sive publice, hæc exercitia sacerdos præpropere a quibuscumque exterioribus occupationibus se expediat.

2° Nec internis angustiis et sollicitudinibus angi se sinat, quæ requiem nullam serio meditanti relinquunt, atque obstant quominus Deum loquentem audiat.

3° Exercitia peragat vero et sincero se corrigendi desiderio, in virtutibus proficiendi, nec non adamussim Dei voluntatem exequendi, quam suis conatibus et precibus inquirat.

4° Præscriptam methodum ad varia exercitia ordine perficienda exacte sequatur,

quia inde uberior quamplurimum fructus pendet.

5° Nulla ex ratione, nulloque sub prætextu silentium frangat, solitudinem amet, et si fieri possit recreationibus omnino abstineat; si fieri non possit, tempus honestis recreationibus et colloquiis assignatum, sancte transigat, non de inutilibus colloquendo, et potissimum verba vitando, quæ utcumque charitatem lædunt.

6° Quæ proponuntur veritates serio meditari conetur, atque ex iis solidum eliciat fructum ac proposita, quæ in libro papyraceo inscribat, ut ex his deinde sacerdotalis vitæ sibi propriam methodum conficiat.

7° Habeat certum spiritus Directorem, quem interdiu consulat, cui generalem ab ultima suarum culparum confessionem faciat. Attamen sine ulla animi perturbatione ad hanc se præparet, nec vanis se angi scrupulis sinat, postquam legitimam suorum erratorum remissionem obtinuerit, neve putet tamen bonam aliquam confessionem unicum exercitiorum esse fructum.

8° Ideo juxta proposita argumenta, examina quotidie vitæ suæ instituat, causas noxarum inquirat, remedia provideat, sive ut se emendet, sive ut sacerdotii virtutes enixius exerceat.

9° Tempus liberum utiliter impendat, sive

ad confessionem parandam, sive ad propositas veritates recolendas, sive ad Ss. Eucharistiæ sacramentum invisendum.

10° Reliqua si quis singillatim dignoscere cupiat, parvum opusculum consulat, cui titulus: « Manuel du Prêtre en retraite » du P. Valuy S. J.

Caput III.

DE INTERIORI ET PERFECTIORI VITA A SACERDOTE IN CHRISTO AGENDA.

1. Hactenus de communi sacerdotali vita egimus, de ea quam omnes necessario persequi debent, ut Christi ministri sint et ad ejus missionem perficiendam summopere studeant. At hæc satis ne sunt? potest ne sacerdos hæc ipsa opere complere, nisi vita interiori atque perfectiori in Christo et cum Christo vivat? quem etiam fructum ex his omnibus vel virtutibus vel laboribus retrahat, nisi in Christo et cum eo interiori animo vivere conetur? Apostoli per totam noctem laborantes, nihil cœperant: cur? nonne quia Christus aberat? eo autem adveniente, in nomine ejus rete laxaverunt, et magna piscium copia capta fuit. Ceterum Christus ipse id nobis docuit: « Ego sum,

quia inde uberior quamplurimum fructus pendet.

5° Nulla ex ratione, nulloque sub prætextu silentium frangat, solitudinem amet, et si fieri possit recreationibus omnino abstineat; si fieri non possit, tempus honestis recreationibus et colloquiis assignatum, sancte transigat, non de inutilibus colloquendo, et potissimum verba vitando, quæ utcumque charitatem lædunt.

6° Quæ proponuntur veritates serio meditari conetur, atque ex iis solidum eliciat fructum ac proposita, quæ in libro papyraceo inscribat, ut ex his deinde sacerdotalis vitæ sibi propriam methodum conficiat.

7° Habeat certum spiritus Directorem, quem interdiu consulat, cui generalem ab ultima suarum culparum confessionem faciat. Attamen sine ulla animi perturbatione ad hanc se præparet, nec vanis se angi scrupulis sinat, postquam legitimam suorum erratorum remissionem obtinuerit, neve putet tamen bonam aliquam confessionem unicum exercitiorum esse fructum.

8° Ideo juxta proposita argumenta, examina quotidie vitæ suæ instituat, causas noxarum inquirat, remedia provideat, sive ut se emendet, sive ut sacerdotii virtutes enixius exerceat.

9° Tempus liberum utiliter impendat, sive

ad confessionem parandam, sive ad propositas veritates recolendas, sive ad Ss. Eucharistiæ sacramentum invisendum.

10° Reliqua si quis singillatim dignoscere cupiat, parvum opusculum consulat, cui titulus: « Manuel du Prêtre en retraite » du P. Valuy S. J.

Caput III.

DE INTERIORI ET PERFECTIORI VITA A SACERDOTE IN CHRISTO AGENDA.

1. Hactenus de communi sacerdotali vita egimus, de ea quam omnes necessario persequi debent, ut Christi ministri sint et ad ejus missionem perficiendam summopere studeant. At hæc satis ne sunt? potest ne sacerdos hæc ipsa opere complere, nisi vita interiori atque perfectiori in Christo et cum Christo vivat? quem etiam fructum ex his omnibus vel virtutibus vel laboribus retrahat, nisi in Christo et cum eo interiori animo vivere conetur? Apostoli per totam noctem laborantes, nihil cœperant: cur? nonne quia Christus aberat? eo autem adveniente, in nomine ejus rete laxaverunt, et magna piscium copia capta fuit. Ceterum Christus ipse id nobis docuit: « Ego sum,

inquit, vitis, vos palmites: qui manet in me et ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere (1). » Unde postea gloriabantur Apostoli in nullo nisi in Christo se vitam habere: « Mihi vivere Christus est et mori lucrum — Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus (2) » ajebat apostolus Paulus, omnesque Christi fideles hortabatur, ut jam consepulti in baptismate cum Christo, iterumque cum eo et per eum ad vitam educti, nonnisi cum Christo et in Deo viverent: « Mortui enim estis et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo (3). »

2. Et ut sciremus hanc esse Dei voluntatem, ut nonnisi per Christum et in eo vitam habeamus, hunc, docet Joannes, fuisse Dei Patris finem, cum Filium suum in mundum misit: « In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam Filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum (4). » Alia non est Christi fidelibus via, ut perficiantur et salventur, aliud non est sanctitatis medium. Vulgare enim est atque omnibus notum, nullam haberi posse sanctimoniam, nullum supernaturale meritum, nullamque exerceri virtutem, nisi supernaturali, tum habituali, tum actuali opitulante gratia. Jam quis gratiæ aut dispensa-

(1) Joan. xv, 5. (2) Ad Gal. II, 20.
(3) Ad Coloss. III, 3. (4) I. Joan. IV, 9.

tor est aut esse unquam potest nisi Christus ipse, a quo omnia, in quo omnia sunt et ex quo omnia, post eius in cruce oblatum Patri cruentum sacrificium?

3. Quis vero neget ad sublimem sacerdotii dignitatem hominem evectum atque præ omnibus excellenti missione donatum, ad magnam itidem vocari sanctitatem, qua et bene quæ ipsi a Christo commissa sunt administret, et virtutum splendore omnibus luceat qui in domo seu in Ecclesia sunt, ut et ipsi glorificent Patrem nostrum qui in cœlis est? Videant igitur sacerdotes, utrum sine vita interiori in Christo ad hunc sanctitatis apicem ascendere facile possint, utrum suis fungi muneribus, et illo maxime quo omnibus virtutum exemplo præesse tenentur. Itaque inquiramus quid sit hæc vita interior cum Christo atque in Christo agenda, quibus mediis ad eam adipiscendam disponi, quibusque perfici necesse sit.

I.

De natura vitæ interioris a Sacerdote in Christo agendæ.

1. *Quæ ante originis peccatum.* — Innocentiæ justitiæque originalis dono ab Auctore naturæ conditi, atque cum sanctificante gratia Dei filiationem adepti, vitæ

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ipsi divinæ homines adjuncti fuerunt, ut nonnisi cum Deo, ex Deo atque in Deo jugiter viverent; adeoque recta voluntas corporis concupiscentiis dominabatur, Deumque ejusque lumen et gratiam quasi ducem sectabatur, ut quod rectum et justum est dumtaxat cogitaret, desideraret, vellet et ageret, hacque vita Dei attributa in se virtutesque manifestaret; quod quidem Dei supremus finis in rerum universitatis creatione fuit, cum nonnisi in hoc extrinseca Dei gloria constitui possit. Hac vita exerciti homines unice bonum sequebantur, eosque ad perfectiorem beatioremque cum ipso unionem Deus vocabat, ad immortalem perpetuamque illam felicitatem, qua eodem prorsus gaudio fruerentur, quo ipse in unitate perfecta trium sanctissimarum Personarum Patris et Filii et Spiritus sancti æternum et immanenter fruitur.

2. *Quomodo amissa.* — Hæc omnium hominum vita interior in Deo esse debuit, nisi ex inobedientiæ culpa justitiæ originis dono expoliati fuissent. At, justitia hac amissa, omnes Adæ filii « peccati servi effecti, sub potestate diaboli ac mortis constituti, tametsi in eis liberum arbitrium minime extinctum esset, viribus licet attenuatum et inclinatum, secundum corpus et animam in deterius commutati fuerunt (1). » Hinc

(1) Conc. Trid. Sess. v et vi.

non jam Deo sed sibi ipsi vixerunt; non jam rectum et bonum voluntas sectata est, sed quod pravum erat et malum, quamvis ratio bonum videret et probaret; nec jam divina attributa in se suisque actibus homo expressit, sed concupiscentiarum, amoris proprii et superbiæ præsertim, carnisque depravatos, inordinatosque motus, quippe quod « homo comparatus est jumentis insipientibus et similis factus est illis. » Hinc rationem etiam ipsam errorum tenebræ obnubilaverunt, et homo in præceps actus, similitudine Dei cum gratia sanctificante amissa, imaginem sane ipsam deformaverat, quamvis destructa nullo modo fuit.

3. *Quomodo Christus restituit.* — Cum nullum esset homini medium, ut per sese suisque viribus ad primitivam illam innocentis Adæ vitam rediret, Christus Dominus sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, excelsior cœlis factus apparuit, qui solus inter homines peccati, mortis et dæmonis servos constitutus, eos ad pristinam revocare vitam aggressus est; quam imprimis suo exemplo agens, præceptis adjumentisque præstitis, omnes docuit eisque præbuit; adeo ut sicut ex veteri Ada homines in mortem, quæ carnalis et exterior est vita, nascuntur; ita ex novo Ada nempe ex Christo ad vitam, quæ spiritualis est et interior, renascantur; et sicut

ex principio peccati veteris hominis carnaliter homines agebant; ita ex principio sanctitatis Christi, nempe ex ejus Spiritu, vitam spiritualem in ipso et per ipsum agerent.

4. *Quæ tamen post lapsum difficilior.* — At non ita facilis hæc nunc temporis est vita atque ab initio fuit: quamvis enim Christus pro nobis reconciliationis pretium solverit, ex quo facili ratione per baptismatis sacramentum hujus vitæ germen essentiale adipiscimur, quod est gratia sanctificans et justificatio per Spiritus sancti inhabitationem in nobis; non tamen alios omnes peccati originis effectus abstulit, sed ad agonem reliquit. Est ergo adhuc in nobis vetus homo qui concupiscentiis naturæque humanæ infirmitatibus stipatus, teterrimum bellum novo homini ex Christi justitia sanctificato indicit, ut non juxta Dei legem, quam renovata a Christo ratio commonstrat, sed juxta corporis concupiscentias earumque legem agat, proindeque malum quod non vult, potius quam bonum quod vult sequatur.

5. *Quid Christus exemplo agendum docuit.* — Christus exemplo suo suisque actibus, quomodo de hoc hoste triumphum ageremus edocuit: quamvis enim nullam in se luctam ferret, neque usquam a veteri homine dominaretur: ita tamen egit ac si luctam sustinere atque in se teterrimum hunc

hostem destruere deberet; quod et plenissime perfecit, carnis et mundi concupiscentiis omnibus conculcatis, crucique suæ affixis. Præterea suo cœlesti agendi modo, divinisque actibus et virtutibus toto vitæ suæ curriculo perfectis, quæ interior et spiritualis hominum vita esse debeat, demonstravit. Restat igitur, ut sicut hujus vitæ principium et exemplar Christus est, ita et effectus sit, modo nos ei cooperemus, in eo simus, ex eo vitæ hujus beneficum succum hauriamus; propterea aperte ait: « Ego sum vitis vos palmites, » ut sicut palmes non potest vivere nec ferre fructum a semetipso nisi in vite maneat, ita et nos nisi in Christo maneamus.

6. *Quæ nunc vita interior est.* — Hæc est ergo vita interior in Christo agenda, ut nobis, nostro proprio amori, carnis illecebris et mundo demortui, quæ Christi sunt consideremus, quæque ipse cogitavit, optavit, voluit, egit, et nos cogitemus, optemus, velimus, agamus, nosterque oris spiritus, ut Jeremias loquitur, Christus sit; Christus in mente, Christus in ore, Christus in corde, Christus in animo, Christus in corpore; nihil aliud nisi Christi actus referamus, quo ejus perfectam imaginem in nobismetipsis exprimamus. Hanc sæpe doctrinam D. Paulus apertis declaravit verbis: « Si quis, in genere inquit, spiritum Christi non habet,

hic non est ejus (1); » et alibi: « Pro omnibus mortuus est Christus, ut et qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est et resurrexit (2). » Quid autem est spiritum Christi habere et ei vivere, nisi spiritu duci quo Christus ducebatur, atque vitam agere quam ipse agebat?

7. *Hæc vita diversa est ac prior.* — At non incongrue notandum hîc plane est, quod ex dictis cuique patet, vitam interiorem in Christo non eamdem prorsus esse, ac vita interior in Deo hominibus fuisset, si primævam receptam innocentiam servassent. Quis enim non videat luctam nobis sustinendam esse, quæ nulla innocentibus hominibus fuisset, et carnem crucifigendam cum vitiis et concupiscentiis suis (3), ut Christi simus? Atque ita agendum tum ad extinguendum quod de veteri igne post baptisma remansit, tum ad crimina expianda, tum denique ut ipsius Christi imaginem referamus, cujus vita crux fuit et martyrium, mors vero cruenta et innumeris cruciatibus debita. Quare Salvator noster homines ad se sequendum adhortans: « Qui vult post me venire, inquit, abneget semetipsum, tollat crucem suam et sequatur me (4). » Oportet ergo nos ipsos abnegare, scilicet contra tres, de quibus Joannes loquitur, concupi-

(1) Ad Rom. VIII, 9
(2) II. Cor. V. 15.
(3) Ad Gal. V, 24.
(4) Matth. XVI, 24.

scentias luctam acerrimam ferre, ac præterea crucem sumere ac de nobis holocaustum Patri offerre, illi simile quod Christus cruci affixus obtulit.

8. Homo innocens creatis omnibus rebus frui honeste in paradiso voluptatis poterat, ut Dei beatitudinem, etiam in hoc mundo, et dominium quod super omnia habet imitaretur: quod ex integritate, qua præditus erat, originali, fieri non poterat ut his bonis abuteretur; quin imo finis illi propositus fuerat ex conditis entibus ad omnium Conditorem erigi, eumque, dum viveret, laudare atque efficere, ut ab omnibus Deus laudaretur, quoadusque ad perfectiorem beatitatem vocatus Deo perpetuo adjiceretur. Sed nunc temporis ex veteri, quod in nobis mansit, voluptatis fermento, non eamdem sequi viam possumus, secus Christus non certe quæ voluptati vulneratæ naturæ sunt opposita sequutus fuisset. Quapropter ut Christo qui his omnibus est mortuus, nosque secum his ipsis in baptismate consepelivit, vere vivamus, necesse omnino est altiora quærere: « Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite... quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram (1). »

9. *Facilior a Christo ac prior reddita.* — Verum quamquam in se non tam facile sit nobis interius cum Christo, ac innocenti

(1) Ad Coloss. III. 1-2.

homini fuisset interius cum Deo vivere; facillima tamen per Christum hæc vita redditur, qui ait: « Jugum meum suave est et onus meum leve... Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. — Discite a me quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris (1). » Itaque in novi hominis Christi interiori vita, suavitas, pax, gaudium et requies inveniuntur, dum in veteris hominis exteriori vita labor et onus hominem premunt. Nam ne putemus, cum in Christo vivimus, nos solos esse vel sine adjutorio et potenti virtute: Christus hanc vitam jugum appellat, ipse nobiscum est, ut onus portet, ipse nobiscum vivit, in nobis habitat, cum in eo vivere et manere velimus: « Qui manet in me et ego in eo. »

10. *De Christi vita in hominibus.* — Profecto duplici modo Christus in eis vivit qui in eo vivunt; est enim in illis ut Verbum Patris quod Deus est, simulque ut Deus homo factus.

Est quidem in iis ut Verbum Patris, non certe tantum communi illa ratione, qua Deus in omnibus creatis rebus residet, ut conservet ac naturali providentia in ipsis operetur; sed supernaturali etiam quadam ratione, ut in iis justitiam adeptis hanc supernam justitiæ vitam servet, augeat, suaque præsen-

(1) Matth. XI, 28, 29.

tia ac vi dirigat, eosque ad æternum promissum præmium faciat pervenire. Etenim ait: « Qui diligit me diligetur a Patre meo, et veniemus, et mansionem apud eum faciemus (1). » Necesse est ergo, ut in animo nostro justitiæ restituto Verbum hoc Patris contemplemur, audiamus, sequamur; ibi enim docet nos per spiritum suum orare, ibi loquitur ad cor nostrum et quæ meliora sunt ostendit, ut magis in dies magisque ipsi uniamur.

11. Præterea dubitandum non est ex Evangelii documentis, quin Christus Deus homo factus in justorum animabus inhabitet et vivat. Quoties enim ait: « Qui manet in me et ego in eo, » et hortatur ut per dilectionem et præceptorum observationem in eo maneamus, quo et ipse in nobis maneat et vivat! quin imo: « In illo die, inquit (scilicet postquam resurrexero, et Spiritum sanctum in vos mittam), vos cognoscetis, quia ego sum in Patre meo, et vos in me et ego in vobis (2). » Hæc tamen non ita sunt intelligenda, quasi jugiter Christus humanitate sua in nobis immaneat, ea ratione qua re immanet cum Eucharistiæ mysterio communicamus; sed eadem prorsus ratione ac nos in eo manemus. Scilicet sicut nos in eo sumus tamquam membra capiti copulata, tamquam palmites viti affixi; ita

(1) Joan. XIV, 23. (2) Joan. XIV, 20.

ipse in nobis est tamquam caput, quod virtute sua in membris est, ac vitis in palmitibus. Etenim sicut caput in unumquodque membrum et vitis in unumquemque palmitem vi ac vitali succo influit; ita Christus in unoquoque nostrum sua luce, gratia et inspirationibus suis, suo amore et auxilio præsens jugiter adest, similis in hoc soli, qui radiis suis totam naturam pervadit terrestrem, suoque lumine et calore vivificat et succrescere ac perfici omnia facit quæ ab hoc ejus influxu non divertunt. Quapropter sicut Pater in Christo manens Christi opera facit(1); ita in nobis Christus manens nostra opera operatur, ipse in nobis et pro nobis revera agit per activam cooperationem, ut principium, causa prima et effector; ipse perficit quæ ad nostram salutem bonumque nostrum amantissime incipit.

12. *Consectaria duo.* — Hinc dignoscere possumus: 1° cur facillima nobis vita interior et facilior etiam fiat, quam innocentibus hominibus fuisset; Redemptoris enim bonitate aliquid novum Auctoris naturæ gratiæ additum fuit, et hic Salvatoris Dei perennis influxus non parum roboris ad obstacula superanda adjecit; 2° cur Christus inquiat: « Sine me nihil potestis facere, » nihil quod ad æternam vitam pertineat, nihil meriti supernaturalis ad vitam, nihil

(1) Joan. xiv, 10

sancti quod præmio dignum sit. Christus enim unus est ex quo salvi et in quo sancti esse possumus; ipse est gratiæ et vitæ origo: nobis solis, naturalibus viribus tantum relictis et libero arbitrio, liberum non est nisi peccare, veterisque Adam vitam agere (1).

Vivamus ergo hac vita interiori in Christo, ita in eo vivamus ut cor nostrum ejus cordi adhæreat, ita ut omnia nostra nihil nisi Christi vitam spirent. Quæ vita sane omnibus Christi fidelibus imposita, nobis maxime ejus ministris commendatur, quia tantam adepti sumus dignitatem, tantamque ab eo potestatem recepimus, ut et Deus et Christus Salvator, et Ecclesia et populus subjectus et animæ nostræ salus hoc ac nobis ardentissime et severissime expetant et expectent. Progrediamur ergo et hujus vitæ rationes, modos et media proponamus.

II.

De via purgativa, quæ vitæ interiori in Christo agendæ disponit.

1. *Apostoli doctrina de hominis exspoliatione.* — « Nunc autem deponite et vos

(1) « Liberum arbitrium non valet nisi ad peccandum. » S. Aug. quatenus scilicet ad actus salutares eliciendos ineptum per se sit, quamvis per se aptum ad peccandum: unde illud Conc. Arausicani: « Homo non habet *ex se* nisi peccatum et mendacium. »

omnia... exspoliantes vos veterem hominem cum actibus suis (1).» Hæc bene intelligenda est Apostoli doctrina, quæ valde necessaria videtur, ut animam ad vitam interiorem cum Christo et in Christo agendam disponamus Duplicem in nobis esse hominem, docet hic Apostolus, quorum unus est vetus homo, homo vitiatus, quatenus scilicet Adæ concupiscentiis est infectus omnibusque vitiis et defectibus, quæ ex natura peccato originis depravata retinemus; alter est novus homo, idem scilicet homo, quatenus spiritu et gratia Christi per baptisma renovatus est atque ad novam vitam productus. Juxta ipsius apostoli doctrinam, baptisma mortem in nobis veteri homini attulit, si per eum originis peccatum intelligamus ex natura contractum; non tamen si per eum hujus peccati effectus sumantur, videlicet concupiscentiæ et vitia; quibus humana natura fuit depravata. Itaque Apostolus sequitur: « Mortificate ergo membra vestra, quæ sunt super terram (2); » deinde addit: « Exspoliantes vos veterem hominem.» *Mortificatio* et *exspoliatio* conditiones sane sunt vel dispositiones necessariæ ad hoc ut novum hominem induamus, nempe non ut Christi simus, quod jam per baptisma effectum est, sed ut de ejus vita et in eo vivamus, nihil terrestria et humana sectantes,

(1) Ad Coloss. III, 8-9. (2) Ibid. 5.

sed dumtaxat cœlestia quærentes et sapientes, ut initio hujus capitis Apostolus ipse innuerat.

2. *Exspoliationis progressio.*—Sane non unius vel alterius diei hujusmodi exspoliatio opus est, sed adeo necessaria et ejus naturæ, ut in proportione quadam geometrica, si ita loqui fas est, sint exspoliatio veteris hominis et augmentum vitæ novi hominis, ac tantum hæc succrescat et perficiatur, quantum veteris hominis vita decrescat, ejusque domini fiamus. Sed ne arbitremur veteris hominis exspoliationem in eo esse, ut a lethalibus culpis paullatim vitam emendemus et corrigamus Etenim qui cum Christo consepulti sunt ad mortem, ut Apostolus loquitur, justitiæ vivunt atque mortis hujus pestifera labe non inficiuntur. Verum exspoliatio hæc in eo versatur, ut in dies magis ac magis a lethali peccato, nempe a morte, longe fiamus, quod paullatim omnibus peccati adminiculis et propensionibus morimur, quæ sunt puta iræ, gulæ, amoris proprii, vanitatis et voluptatum vitia, quæque, invitis etiam nobis, in malum nos pertrahunt.

3. *Bellum veniali peccato indicendum.*—Imprimis ergo bellum cujusque generis peccato veniali indicendum, ut tandem eodem odio in illud ac in lethale feramur. Duplicis generis est veniale peccatum, unum quod

volentibus ac scientibus nobis committitur, aliud quod ex naturæ fragilitate procedit, atque etiam bona opera deturpat. Si vitam in Christo agere volumus, quis non videat luctam acerrimam sustinendam, ut prorsus primi generis peccatum ex animo et actibus nostris eradicemus? Putamus ne parvi momenti rem esse veniale peccatum deliberatum, eo quod venia dignum sit? At non cogitamus: 1° quam gravissime Dei bonitatem et majestatem offendat; 2° quos calamitosos effectus in anima gignat. Certe qui ita peccat gloriam Dei lædit, quod ei tantillam creaturam, parvamque satisfactionem et voluptatem præfert: unde Deus infinite bonus ac misericors, gravissime tamen, in hac vel in altera vita, harum culparum causa, amicos suos et justos punit, pro quibus tot tulit ignominias, privationes ac dolores, ut sospites faceret. Ceterum non minimi habendum est, quod paullatim animi vires enervat, gratiam et charitatem minuit, somnolentos in Dei servitio reddit, atque efficit ut sensim sine sensu etiam in lethalia incurramus peccata, nempe in animæ mortem. Putatis ne hoc animæ tepore ad vitam interiorem in Christo agendam quempiam tendere posse, cum Spiritus sancti fervorem et unctionem a se abigat, dignusque sit quem Deus incipiat evomere ex ore suo?

4. *Minuenda venialia ex fragilitate*

acta. — Cura etiam non minima adhibenda est, ut venialia minuamus, quæ ex naturæ fragilitate obveniunt. Profecto non vacat nobis, nisi speciale Dei privilegium accedat, ea omnino excutere, atque ab eis nos ad mortem usque servare: attamen majori diligentia majoribusque conatibus, gratia Dei opitulante, facile erit quædam expellere, naturam vincere, roborare voluntatem, ut promptiores in Dei servitio simus eique placeamus. Hi conatus Deum benigniorem nobis reddent, qui majores, numerosioresque suæ divinæ bonitatis opes præbebit, nobisque præsentior suo amore fiet.

5. *Examen particulare.* — Ad ejusmodi spirituales dirigendos conatus, fructuosioresque reddendos, S. Ignatius utilissimum proponit *examinis particularis* remedium, cujus praxim hic breviter exponere liceat:

Sumatur unum præ ceteris tantum veniale, ex naturæ fragilitate frequentius commissum et expellendum peccatum.

1° Mane fiat propositum firmum illud diligentissime vitandi.

2° Si per diem deficimus, manu pectori admota, venia petatur a Deo et propositum renovetur.

3° Ante prandium de numero lapsuum examen instituatur et distinctis punctis notetur.

4° Idem fiat examen ante cubitum et nu-

merus primæ partis diei cum illo secundæ partis comparetur.

5° Eadem comparatio inter hebdomadam et hebdomadam, inter mensem et mensem fiat.

Hæ comparationes fieri debent, ut gratias Deo agamus si profecimus, veniam si defecimus. Hujusmodi attentio et diligentia paullatim volitum defectum delebit, quo deleto, de alio idem examen institui potest, vel de exercitio oppositæ virtutis, cujus actus, ut planum est, multiplicandi in dies non minuendi.

6. *Necesse est ut Christi unice simus.* — Hi conatus et industriæ plurimum conferunt ad veterem hominem cum vitiis et actibus suis exuendum. Qui vero et firmo voluntatis proposito vitam interiorem consequi volunt multum adlaborant, ut omnes, si fieri potest depravatæ naturæ affectiones expellant, omnesque concupiscentias penitus comprimant. Nam præ mente habeamus et meminerimus Christum Deum zelotypum esse, ac prorsus nolle ut amorem nostrum inter se et res quascumque dividamus, integros enim et totos nos possidere cupit: «Nemo potest, inquit, duobus dominis servire: aut enim unum odio habebit et alterum diliget: aut unum sustinebit, et alterum contemnet (1).» De quo notandum sane est non dici a Chri-

(1) Matth. VI, 24.

sto. «Nemo potest duobus dominis *famulari*, sed *servire*,» famulatus namque usum significat rerum temporalium, quas licet possidere; servitus autem est penitus addici, atque ex corde et affectu domino uniri; quod maxime fieri non potest, ubi duo domini oppositi sint, adversi atque in contraria tendant. Jam Christus dominus est qui cœlestia amat et despicit terrestria; dum vetus homo, sive mundus et caro, vitiis et concupiscentiis terrestribus enutritur, ac cœlestia, quæ non videntur, despicit: oportet ergo aut omnia quæ vetus homo amat despicere et odio habere, ut quæ Christi sunt amemus et ei uniamur; aut his contraria agere; nequit enim homo, juxta Christi doctrinam, cœlestia simul et terrestria diligere.

7. *Bellum concupiscentiis indicendum.* — Hinc sequitur inordinatum affectum voluntarium erga res et carnis mundique concupiscentias penitus extinguendum; non autem carnis luctam adversus spiritum, cum in manu nostra non sit, amputandam; sed ita paullatim comprimendam ac refrenandam, ut pene non sentiamus vel facile in ea vincamus, aut saltem concupiscentias ita cogamus, ut ad externos actus etiam involuntarios, nobis invitis, non impellant. Expurgandum est vetus fermentum, ut simus azymi in Christo; nihil carni, mundo, con-

cupiscentiis concedendum, non modo quod illicitum est, sed quod, quamvis liceat, non tamen iis deceat, qui spiritualia et cœlestia sectantur, nisi prorsus necessarium sit.

8. Et ut exemplum aliquod ex divitiis sumamus atque ex corporis commodis, videre est quomodo de his S. Paulus loquitur: « Tempus breve est, inquit, reliquum est... ut et qui flent tamquam non flentes (sint), et qui gaudent tamquam non gaudentes: et qui emunt tamquam non possidentes: et qui utuntur hoc mundo tamquam non utantur: præterit enim figura hujus mundi (1). » Et alibi: « Nihil intulimus in hunc mundum: haud dubium quod nec auferre quid possumus. Habentes autem alimenta et quibus tegamur, his contenti simus. Nam qui volunt divites fieri incidunt in tentationem et in laqueum diaboli... Radix enim omnium malorum cupiditas est (2). » Geramus ergo nos circa mundi et corporis bona quasi nihil habeamus: hinc fiet ut tristitia non deprimamur si ea amittamus, neque cupiditate ardeamus ut adipiscamur. Aurea est hæc indifferentia, quæ in Exercitiis spiritualibus suadetur.

9. *Pugnandum contra amorem proprium.* — Sed præcipue plurimis vulnerandus est ictibus nostrimetipsius amor, qui ex natura procedens et ceterum rationi le-

(1) I. Cor. VII 29, 31. (2) I. ad Tim. VI. 7-10.

gique Dei consentaneus, ita tamen nos afficit et decipit, ut ad inordinata frequentissime impellat. Hic superbe de nobis sentire et alios despicere docet, nostra commoda quærere, etiam cum aliorum incommodo, nihil ferre quod pungat, et quod alios conterit adamare; hic ex mille undique quæsitis rationibus efficit, ut a communibus regulis dispensationem quæramus, quo libertate nostra et commoditate melius fruamur, hic tristes nos reddit, invidos, impatientes, morosos, molestos, sine affectu et gratitudine erga alios, aut etiam lætitia et hilaritate parum decenti et ordinata nos elevat. Pugna est continua, inter naturam et gratiam, vitam terrestrem et cœlestem ferenda, quam in rerum adjunctis bene dignoscere oportet, ut non secundum naturam judicemus, velimus, loquamur, agamus, sed secundum gratiæ inspirationes et lumina (1).

10. *Tres naturæ et amoris proprii tendentiæ.* — Tres præsertim naturæ et amoris proprii tendentiæ vincendæ: commoditatum amor, æstimationis et honoris proprii atque independentiæ. Hæc sunt quæ mundus semper prosequutus est et adamavit; hæc tamen cor sauciant et obstacula sunt ad Dei amorem concipiendum; hæc lentos et negligentes in Dei servitio homines reddunt, quia ad exteriora rapiunt et mentem et animum,

(1) V. Imit. Chr. t. 3, c. 54.

molles nos efficiunt et nostræ vanitatis plenos, quamquam veri boni Deique vacuos. Ut vero efficax sit lucta necesse prorsus est:

1° Ut sit *prompta* juxta illud: « Principiis obsta, sero medicina paratur — Cum mala per longas invaluere moras. »

2° *Generosa et strenua*, ne parvis vel magnis difficultatibus obruamur, ne statim animo dejiciamur, si victoriam brevi tempore referre nequimus, si aliquid ferendum, si ferventi affectioni renunciandum sit.

3° *Perseverans*, perseveranti enim in finem usque præmium promittitur: ne ergo putemus nihil egisse, ubi post longam luctam adhuc fervidas ejusmodi propensiones sentiamus, dummodo externos inordinatos vitaverimus actus, atque internos motus comprimere noverimus. Aliquando enim fit, ut nunquam perfecte, permittente Deo, de iis triumphum agamus; vult enim Deus nos humiles esse, ideo constanter luctam retinet, quæ deprimit et superbiam conterit. At non omnes simul pravas propensiones aggrediamur: « Divide et impera, » ait proverbium: virgarum fasciculus singillatim frangitur. Constanter volenti vires Christus addit, ut denique integram victoriam referat.

III.

De via illuminativa quæ interiori vitæ in Christo agendæ addicit.

1. Per viam purgativam disponimur, via vero illuminativa in Christi vitam interiorem ingredimur, ipsi conjungimur, eumque in omnibus sequimur, juxta spiritum ejus agimus, ejusque imitamur virtutes, scilicet in nobis nostrisque actibus vitam ejus expromimus, qua paullatim induimur. Etenim viæ illuminativæ scopus est Christo cognitione, imitatione et amore accedere: Cognitio primas tenet, ut magni ejus personam, vitam, actiones, virtutesque faciamus quo voluntas ad eum sequendum inflammetur, nihilque sit quod eam impediat, cum omnibus creatis rebus Christum præfert, quæ nec pacem nec solatium ullum afferre possunt. Qui Christum imitantur proprie in eo interius vivunt quia ejus vitam suam faciunt, et quod ipse egit eodemque modo accurate agunt; quia cogitant, optant et volunt, quod ipse cogitavit, optavit et voluit eodemque plane modo, prout infirmæ nostræ naturæ nobilissimum hunc finem attingere liceat. Ex quibus amor sequitur, similes enim se amant et amor operum similitudine et vitæ conjunctione succrescit. Utinam nos sa-

cerdotes Christi perfectissime hac vita interiori frui possimus, ut de nobis dici possit: en quomodo Christus agebat dum nobiscum viveret?

§ I.

De Christi cognitione.

2. Imprimis intendamus animum, ut Christum Scripturarum sacrarum studio, attentione et meditatione cognoscamus; scrutemur ejus personam, vitam, doctrinam et præcepta; præ oculis diligenter ejus exempla habeamus: perspiciamus quæ ejus fuerint cogitata et judicia, quæ cordis desideria qui animi motus, quæ verba, quæ opera; nihil omittamus quæ juvare nos possunt, ut plenam tanti ducis, tantique exemplaris notitiam habeamus. Investigemus primo Chirsti Jesu incarnationem, quæ ejus origo sit « Qui non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo... qui in forma Dei erat... qui in principio erat Verbum... Deus de Deo, lumen de lumine, Deus verus de Deo vero, genitus non factus, consubstantialis Patri, per quem omnia facta sunt. Deinde cogitemus qua ratione Verbum hoc caro factum est... exinanivit semetipsum formam servi accipiens, in similitudinem hominum factum et habitu inventum ut homo. Intelligamus, si fieri potest, hanc tantam Verbi humilitatem, cui, juxta S. Gregorium, nullum est comparandum prodigium; majus enim omni comparatione prodigium est Verbum hoc infinitum ac æternum humanitati, quæ nihil est, se conjunxisse, quam e nihilo rerum universitatem omnem ad existentiam vocasse. Porro perspiciamus ex obedientia erga Patrem id egisse et ex nostri amore, quem nullo modo merebamur. Perscrutemur adhuc ad quantam nobilitatem dignitatemque humanam naturam ex hac incarnatione evexerit, quot quantisque nos cumulaverit bonis etc.

3. Eodem studio ac de incarnatione dictum est, oculos in ejus nativitatem sanctissimam convertamus, quæ mysteria multa et exempla continet virtutum omnium, quorum exercitium nobis potius quam ipsi necessarium omnino est. Simili ratione de aliis ejus vitæ mysteriis et exemplis dicendum est, quæ in singulis actibus suæ vitæ vel privatæ vel publicæ præbuit. Studeamus præsertim, ut bene intelligamus, Eucharistiæ et Redemptionis mysteriis — quomodo hæc paraverit executioni mandaverit, perfecerit — cujus gratia hæc egerit — qui fuerint vel sint eorum effectus, sive in unoquoque nostrum, sive in universa hominum multitudine. Videamus quid boni et magni in nostrum emolumentum factum fuerit per sacramentorum et Ecclesiæ institutionem;

quid adhuc Christus agat providentia sua, qua omnia gubernat et nobis adest omnibus diebus etc. Evolvamus et singillatim sublimem ejus doctrinam et legem consideremus, maxime quam in capite quinto sui evangelii S. Matthæus exposuit. Christus lex charitatis, lex et doctrina omnibus quibuscumque philosophorum dogmatibus in immensum superior; verba Christi divina sunt et vitæ æternæ thesauros continent: « Domine, quo ibimus? verba vitæ æternæ habes (1). » Quid autem de exemplis dicam, quibus infirmitati humanæ, quæ postea docuit monstravit, quæque a nobis agenda sunt ut salvemur et sancti fiamus? Quæ Christus egit, etiam quæ a morum doctrina nimis remota videntur, si bene intelligamus, morum doctrinam, præcepta et exempla continent.

§ II.

De Christi imitatione.

4. Verum Christi cognitio sterilis esse et theoretica non debet, finem enim unionem cum eo in vita interiori habet, quod ex iis quæ Christus egit deducere oportet quid nos agamus, et conari ut similes ei simus. Igitur Christi imitatio supremus est cognitionis hujus scopus, ideo 33 annis Christus

(1) Joan. VI, 69.

egit et docuit, ut se nobis præberet exemplum; hoc palam audientibus se repetitis sermonibus proposuit et in mentem revocavit; hoc ejus Apostoli bene intelligentes sæpissime in suis scriptis inculcant nobis et suadent; hæc est christiana vita, Christum sequi et in omnibus imitari. Etenim cum Christus Patris sui voluntati obtemperans, ut infinitam ei gloriam tribueret, sese ad hæc infima humiliaverit et fere in nihilum se redegerit; voluit Pater ut eadem ei redderetur gloria, idemque ab omnibus honor; voluit ut Christus omnium principium et finis esset, in eo omnia conficerentur, quæ ad hominum prædestinationem et salutem spectant; ut ipse Alpha esset et Omega, principium et finis, sicut omnium prædestinatorum caput est, ita omnium eorum quæ ad æternam vitam conferunt, exemplar esset et norma.

5. Quapropter omnia Christus egit, ut suo divino exemplo sanctas nostras omnes actiones redderet: ipse omnis humanæ ætatis inde a pueritia exemplar se præbuit; ipse vitam privatam et publicam egit, humilis fuit operarius et magnus apostolus, infirmus puer et potens in opere et sermone, opprobrium hominum et abjectio plebis atque universorum rex, loquens et agens tamquam potestatem habens, cui omnia subjiciebantur; ipse manducavit, bibit, laboravit, ora-

vit, pœnitentiam egit, tentationem a dæmone subiit, cum omnibus conversatus est, nuptiis etiam adfuit, nec dedignatus est conviviis præsens esse: in templo, in synagogis, in publicis plateis sermones populo habuit, omnia tulit « per omnia fratribus similatus ut misericors fieret (1). » Hæc certe Dominus tam multiplicia et tam diversa egit, ut nos suo edoceret exemplo, ut in vitæ nostræ difficultatibus et adversitatibus animum adderet, ut omnia nostra officia, conditiones et status, necnon multiplices variasque actiones suis copularet, suo spiritu sanctificaret, Patri offerret, nobiliores-que redderet. Adlaboremus ergo, ut in his omnibus, quidquid præseferant, Christum quæramus, juxta ejus intentionem et suo ducti spiritu agamus, ut gloria Redemptori, Capiti et Duci nostro jugiter habeatur. Hæc Christi voluntas est: vult enim per nos membra ejus Patri suo gloriam reddere; vult idem ipse in nobis et in omnibus nostris actibus honorem recipere; vult denique ut quidquid agamus ad salutem nostram conferat: quidquid enim in Christo et per Christum agimus sanctum est, quia sanctitati ac ejus divinitati conjungitur, ex quibus vitam et vim suam recipit.

6. Hanc doctrinam Apostolus brevibus insinuare conatur cum ait: « Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis: omnia in gloriam Dei facite (1). » Quæ ulla Deo gloria esse potest, quæ Jesu Christi gloria non sit? quæ vero gloria Christi nisi sanctitas nostra? unde denique hæc nisi ex vita Christi, ex ejus spiritu, ex operibus quæ ipse egit, quæque nos in ipso et per ipsum agamus? Ita « per ipsum et cum ipso, et in ipso est Deo Patri omnipotenti, in unitate Spiritus sancti omnis honor et gloria (2). » Quapropter summo mane, statim ac e somno excutitur, ponat presbyter præ oculis actiones suas omnes, cogitationes, verba et quæ ipsi ferenda advenient, eaque Christo Jesu offerat, oret ut suo spiritu vivificet, atque juxta suas intentiones dirigat, suoque agendi modo perficiat. Interdiu vero cor suum et mentem ad Redemptorem hominum elevet, postulet auxilium, et ut juxta suum spiritum agere eum sinat, denique ad naturæ infirmitatem vincendam, ad naturalem pigritiem reprimendam, ad carnis ac dæmonis aggressus superandos gratiæ robur petat, ut Christi semper sit et ejus vita sine interruptione vivat.

7. Præstat tamen aliqua enumerare, quorum specialia, nobis maxime presbyteris, Christus reliquit exempla, et quorum exercitium vitæ interiori in Christo agendæ necessarium arbitramur. Hæc sunt imprimis

(1) Ad Hebr. II, 17.

(1) I. Cor. x, 31.

(2) In can. Missæ.

humilitas et mansuetudo; amor paupertatis cum sincera saltem affectus renuntiatione omnibus quæ possidentur vel possideri unquam possunt; amor perfectissimæ mentis, cordis et corporis, puritatis; obedientia absoluta iis qui præsunt, gloriæ Dei et salutis animarum ardentissimus zelus. De his singillatim alibi theoretice egimus: sed si quis revera in Christo vivere velit, in actibus ejus et vita dignoscat, ut videat qua peculiari ratione omnes ejusmodi exercuerit virtutes, et eas facto imitetur. Ne pudeat Cor sanctissimum Jesu appetere, in illud mente et animo ingredi, atque ex eo thesauros haurire sanctitatis: ibi est sacerdotum speculum, si perfici velint, ibi refugium, ibi robur et virtus, qua apti ad sua ministeria exercenda et sancti omnimoda perfectione fiant.

§ III.

De Christi amore.

8. Cognitionis finis proximus imitatio, ultimus autem amor est: cum enim intelligentia aliquid novit verum, pulcrum, bonum, voluntas non potest quin amet. Quid Christo verius, qui veritas ipsa est? quid pulcrius, qui pulcritudo est tam antiqua quam nova? quid melius, qui bonitas est et bona omnia confert? Imitatio et amor Christi adeo sunt inter se relativa, ut una alterum gignat et

ab altero perficiatur; cognoscendo et imitando Christum amamus, amando in imitatione perficimur: amor nempe hoc habet, ut amantem in objectum amatum transformet, atque magis ei similem efficiat ac ardore succrescit.

9. Christus Jesus amore dignissimus est, sive in se sive relate ad nos consideremus. In ipso est divinitas et humanitas, utraque ardentissimo amore digna, cum præter ea nihil pretio æstimabile haberi usquam queat. Audiatur D. Paulus, qui Christi excellentiam magnifice describit:

« Novissime Deus, inquit, locutus est nobis in Filio, quem constituit heredem universorum, per quem fecit et secula. Qui cum sit splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus, portansque omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram majestatis in excelsis; tanto melior angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hereditavit. Cui enim dixit aliquando angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te? Et rursum: Ego ero illi in patrem, et ipse erit mihi in filium? Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes angeli Dei... Ad Filium autem dicit: Thronus tuus, Deus, in seculum seculi: virga æquitatis, virga regni tui. Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem: propterea unxit te Deus, Deus

tuus oleo exultationis præ participibus tuis. Et: Tu in principio, Domine, terram fundasti: et opera manuum tuarum sunt cœli. Ipsi peribunt, tu autem permanebis, et omnes ut vestimentum veterascent: et velut amictum mutabis eos, et mutabuntur: tu autem idem ipse es et anni tui non deficient. Ad quem autem Angelorum dixit aliquando: Sede a dextris meis, quoadusque ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum (1)? »

10. En Christum, quem Pater ipse Deus honorat et honorari ab omnibus etiam angelis mandat. Ejus autem humanitas nihil sublimius aut excellentius post Deum inter creatas res habet, aut unquam fortasse habere potest. Nam hypostatice divinitati unitur, cujus « omnis plenitudo in ipsa inhabitat corporaliter (2); » in ea « sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi (3), » necnon et thesaurus gratiæ, vitæ et virtutis. Christus homo « speciosus forma est præ filiis hominum — dilectus, candidus et rubicundus — comæ capitis ejus sicut purpura regis vincta canalibus (4); » — « Diffusa est gratia in labiis ejus, propterea ei Deus benedixit in æternum (5). » — « Ipse princeps est pa is, præ omnibus amabilis et man-

(1) Ad Hebr. I.
(2) Ad Coloss. II, 9.
(3) Ad Coloss. II, 3.
(4) Cant. V, 10; VII, 5.
(5) Psalm. XLIV, 3.

suetus, non clamat, nec accipit personam, nec auditur vox ejus foris. Calamum quassatum non conterit, et linum fumigans non extinguit. Non est tristis neque turbulentus (1) » — « pertransit benefaciendo et sanando omnes (2); » quia miseretur malis omnium nostrum: ideo sequuntur eum turbæ multæ, et triduo in deserto, quin cibum sumant, pendent de ore ejus.

11. Quod si Christum Jesum relate ad nos consideremus, nihil est quod ad amorem erga eum nos non impellat. Jam de hac re multa alibi diximus. Satis sit hîc in mentem revocare Christum patrem nostrum esse, fratrem et amicum; ab ipso naturam humanam deificam redditam, nosque omnium suorum bonorum heredes factos. Quis noverit quo amore nos diligat, quoniam ex dilectione tradidit semetipsum pro nobis; Patrem suum æternum nobis in patrem dedit; Spiritum suum sanctum in bonum nostrum misit, ut nobiscum maneret ac doceret omnia; corpus suum et sanguinem in cibum et potum fidelibus suis amicis reliquit; nec Matrem suam sanctissimam sibi retinuit, quin nobis in matrem dulcissimam daret; denique in cœlum ascendit, ut regnum suum nobis ipsis pararet atque pro nobis jugiter apud Patrem suum oraret. Quid porro? Christus est nobis via, veritas et

(1) Isa. XLII, 2-4.
(2) Act. Apost. X, 38.

UNIVERSIDAD DE LEÓN

vita, nemo nisi per eum ad Deum Patrem accedit ; ipse est gratiarum vitæque nostræ sanctæ principium et auctor, quia nobiscum perpetuo vivit, nobisque in omnibus adest. « Nos ergo diligamus eum, quia ipse prior dilexit nos : at non diligamus verbo neque lingua sed opere et veritate (1) ; » ita enim dilexit nos et diligit. Si ergo eum vere diligimus, mandata ejus servemus ; in eo maneamus, ut ipse nobiscum manet ; opera ejus faciamus, hoc enim ipse optat a nobis, ut vere filii Dei simus et vita Dei vivamus.

IV.

Sequitur de via illuminativa relate ad sacrificium.

1. *De Jesu Christi sacrificio.* — Via illuminativa aliquid perfectius exhibet, de quo hactenus arte sermonem non fecimus, quod speciali ratione pertractandum arbitrati sumus. Si totam Christi vitam uno intuitu conspicimus, videre est a primo instanti ad extremum usque suspirium perfectum fuisse holocaustum, de quo moriens inquit : « Consummatum est : et inclinato capite emisit spiritum. » Ideo legimus : « Tota vita Christi crux fuit et martyrium. » Statim ac ejus anima sanctissimo corpori ac divinitati

(1) I. Joan. IV, 10 ; III, 18.

copulata fuit, hæc ipsi revelavit quidquid ignominiarum, paupertatis ac dolorum latura esset, ut Deum Patrem honore summo et condigno prosequeretur, hominesque criminibus oppressos liberos redderet. Hæc Christus vidit et consideravit ; libera ei data est optio hujus sacrificii acceptandi nec ne ; primaque hæc ex sancta sua voluntate vox erupit : « Hostiam et oblationem noluisti : corpus autem aptasti mihi... Tunc dixi : ecce venio : in capite libri scriptum est de me : ut faciam, Deus, voluntatem tuam (1). » Quæ autem sit hæc Dei voluntas, Apostolus paulo inferius explicat, cum inquit : « In qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Jesu Christi semel (2). »

2. *Quod constanter obtulit.* — Hanc voluntatem constanter adimplevit Christus, ut dicere potuerit : « Meus cibus est ut faciam voluntatem ejus qui misit me, ut perficiam opus ejus (3). » In tota Christi vita nullibi deest paupertas, ignominia vel dolor aut omnia hæc simul. Antequam nasceretur ignominiose rejicitur a suis : « In propria venit et sui eum non receperunt (4). » Quare cogitur nasci paupere, humili et abjecto loco, omnibus destitutus, frigori et intemperiei noctis expositus ; ejus Mater pauper est, pauper item nutritius. Vix natus erat

(1) Ad Hebr. X, 5-7. (2) Ibid. 10.
(3) Joan. IV, 34. (4) Joan. I. 11

cum post aliquot dies circumcisionis dolori subjicitur, deinde in exilium agitur, quia Herodes eum interfici innocentem jubet. Quid non tulit tot pueritiæ annis in exilio peractis, sive ex parentum paupertate, sive ex hominum malitia? Redux in patriam ad trigesimum usque annum humilem ducit vitam, obscuram, laboriosam, subditus Mariæ et Joseph, ut vilis operarius, ignobilis et despectus. Nihil de publica vita dicam, nihil de passione et de turpissima ac dolorosissima ejus morte. Etenim videbantur in dies paupertas, opprobria et dolores ad mortem usque succrescere, multiplicari et graviora fieri. « Vulpes, inquit, foveam habent, et volucres cœli nidos: Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet (1). » Ut nutriatur cum suis eleemosynas sponte oblatas recipit; sæpe famem, sitim, defatigationem sustinet; injuriis ubique et undique pessumdatur, quamvis « pertransiret benefaciendo et sanando omnes. » Hinc « saturatus opprobriis, factus vermis et non homo, opprobrium hominum et abjectio plebis (2), injustissima sententia, infami et dolentissimæ morti traditur, postquam omnium judicum voce innocens manifeste fuerat declaratus.

3. *Et ex libera sua voluntate.* — Nec putandum hæc, ipso invito, tulisse: quis enim

(1) Matth. VIII, 20. (2) Psalm. XXI, 7.

aliquid in eum posset? « Ego pono, inquit, animam meam. Nemo tollit eam a me (1). » Ipsi, si vellet, se a quacumque infirmitate et adversitate subtrahere licuit, ut sæpe egit ad mortem raptus, cum non adhuc venerat hora ejus. Etiam in horto cum esset, multa turba ac militibus circumdatus, jam jam passionis stadium ingressurus, in manu habuit ludibria et mortem, si voluisset, effugere: « An putas, inquit, quia non possum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones angelorum (2)? » Sed implendæ erant Scripturæ, voluntas Dei Patris implenda, quam ipse sponte ab initio faciendam censuit.

4. *Ut nobis indicaret quid sit agendum.* — In his autem sponte latis, unicus non fuit finis peccatorum expiatio, sed etiam nostrum exemplum, ut sciremus hoc ipsum a nobis hominum Redemptorem sacrificium expetere, id velle ut nos etiam victimæ simus atque constanter cruci affixi immolemur. Quid enim docuit nisi hoc in sublimi illo Beatitudinum sermone, in quo brevibus christianam et sanctam suorum fidelium vitam descripsit? Beatos vocat pauperes spiritu, eos qui lugent, quique persecutionem patiuntur propter justitiam (3). Quid voluit, cum homines ad se, ut sequerentur, invita-

(1) Joan. X, 17. (2) Matth. XXVI, 53.
(3) Matth. V.

vit, nisi hoc ipsum? « Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam et sequatur me (1). » Hæc sæpe discipulis suis commendavit, quibus clare quæ ferenda ipsis essent prædixit: « Amen amen dico vobis, quia plorabitis et flebitis vos, mundus autem gaudebit: vos autem contristabimini... In mundo pressuram habebitis... In patientia vestra possidebitis animas vestras (2). »

5. *Quod optime apostoli intellexerunt.* — Neque aliter discipuli Christi hanc ejus doctrinam intellexerunt, quia arbitrati sunt bonorum terrestrium sacrificium, honoris ac proprii corporis ab eis esse ferendum: quare nihil potius habuerunt, nihil gloriosius quam pro Christo adversa pati, injuriis et doloribus affici, expoliari omnibus bonis, in exilium agi. « Ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati (3). » Paulus vero tribulationibus concussus quasi triumphum agebat: « Mihi autem absit gloriari, inquit, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est et ego mundo (4). » Nihil aliud putabat ipsi esse prædicandum nisi Jesum Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam; ipsis autem

(1) Matth. xvi, 24. (2) Joan. xvi, Luc. xxi.
(3) Act. Apost. v, 41. (4) Ad Gal. vi, 14.

vocatis Judæis ac Græcis Christum Dei virtutem et Dei sapientiam (1). Hanc ipsam doctrinam repetitis sermonibus primis Christi fidelibus insinuabat, ut omnes scirent nullam futuram remunerationem in cœlo nisi iis qui crucem Domini ferunt: « Heredes enim, inquit, sumus Dei, coheredes autem Christi: si tamen compatimur ut et conglorificemur (2): » sors enim eorum qui pie volunt vivere in Christo Jesu hæc est, ut persecutionem et opprobria sustineant (3); quia si oportuit Christum pati, et ita intrare in gloriam suam (4), putandum ne est homines criminosos ab hac obligatione eximi, quasi per sese peccatorum debitum ullum solvere non debeant?

6. *Hujus sacrificii offerendi necessitas.* — Ceterum hæc intima apostolorum persuasio inde originem ducit, quod nos unum corpus in Christo esse arbitrarentur, qui omnium est mysticum caput. Jam Christus non modo sui physici corporis sacrificium Patri offerre debuit, sed et totius corporis mystici, ut omnia ad eum traheret communicationis gratia et participationis eorum quæ ipse passus est, quæque perficere corpus mysticum debent. Cum autem ipse in se atque in sua physica humanitate plenissime huic holocausto satisfecerit, restat ut in suis

(1) I. ad Cor. i, 23. (2) Ad Rom. viii, 17.
(3) II ad Tim. iii, 12. (4) Luc. xxiv, 26.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

mysticis membris compleatur. Ideo Apostolus ait: « Nunc gaudeo in passionibus pro vobis et adimpleo ea quæ desunt passionum Christi, in carne mea, *pro corpore ejus*, quod est Ecclesia (1). » Hæc sane nobis etiam dicta sunt et omnibus qui pie volunt vivere in Christo Jesu: si enim membra Christi sumus, ex ejus passione fructus, per nostras ipsas passiones colligere debemus, ut in omnibus similes Christo simus eique intime vivamus (2).

7. *Qua ratione practice offeratur.* — Quod ut recte fiat, atque, ut christianum decet, dolores, cruciatus, bonorum expoliationes, ignominias, cujuscumque generis angores feramus, hæc practice agenda:

1° Recta animi intentione hæc Christi passionibus uniamus, adeo ut nonnisi nostras ejus faciendo voluntates feramus, et ut similes ei simus qui prædestinatorum caput est, sicuti nos membra ejus.

2° Ideoque quidquid nobis ad patiendum immissum fuerit, sive id physicum sit vel malum morale, sive naturale, sive supernaturale, sive internum, sive externum, nonnisi Deum auctorem recognoscamus et Christum, qui vult ut talia patiamur.

3° Patienter et sine ulla obmurmuratione quidquid naturæ ingratum est sustineamus,

(1) Ad Coloss. I, 24.
(2) Aug. in Psalm. LXXXVI.

idque ad nostra totiusque mundi peccata expianda, ad augmentum et perfectionem corporis Christi, quod est Ecclesia, denique ut major obveniat Deo gloria ex humanæ naturæ subjectione, passionum ope et dolorum.

4° Strenue et lætitia etiam effusi mala omnia feramus; oculos nostros in Cor Jesu doloribus cruciatum conjicientes et in omnes ejus angores ab hominibus vel a dæmonibus latos; contemplantesque qui sit ipse qui talia tulit, quid et quam magna sustinuit, quomodo scilicet, qua patientia passus, cujus causa, nempe pro nobis et pro nostris multiplicibus erratis.

Hæc si perspecta habeamus, integrum et Deo gratum nostrum sacrificium erit, non quidem pro uno horæ momento, sed ad mortem usque, eo quod non licet homini Deo devoto ex temporis spatio mala perpendere ac animo frangi, cum Christus ejus dux et caput, in his ferendis, nonnisi Patris voluntatem præ oculis habuerit, ad quam exequendam non certe triginta tribus ferme annis, sed ad finem usque mundi, si opus fuisset, omnia mala tulisset.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN © DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

V.

De via unitiva
quæ vitam interiorem in Christo perficit.

1. *Præambulum.* — Ad vitam interiorem in Christo perficiendam restat, ut de via unitiva pauca dicamus: at sicut in ceteris ita et in hoc Christum ipsum ducem sequemur, quem Pater ipse magistrum et exemplar dedit, ut simus perfecti sicut et Pater cœlestis perfectus est. Quomodo Christus Jesus intime in vita sua atque interius Patri unitus vixit? Quamvis enim variis laboribus et occupationibus distineretur, sive humanis et naturalibus, sive apostolicis et divinis, nunquam tamen humanitate sua, suoque corde et animo conjunctus Deo vivere destitit. Nam virtutum exercitium et quæ in spirituali vita agere tenemur, hunc unicum unionis cum Deo scopum habent, in qua vera humana perfectio consistit, quæ præparatio quædam est ad omnibus numeris absolutam illam beatam perfectionem, qua Deus nos in cœlis donabit.

2. *De quatuor gradibus unionis Christi cum Patre.* — Dum Christus in terris nobiscum degeret, his quatuor ejus unio cum Patre contineri videtur: 1° *præsentia* et *contemplatione*, 2° *oratione* continua et *supplicatione*, 3° *sacrificio* de se oblato et

de suo mystico corpore, 4° absoluta suæ *voluntatis conformitate* cum Patris voluntate; ex quibus maxima et perfecta unio, quæ est in *charitate*, certissime effluit. Hæ unionis species veluti quidam gradus videntur, per quos ad perfectam amicitiæ et benevolentiæ charitatem ascendatur: quare necesse est ut attente et diligenter eas in Christi vita consideremus.

3. *De unione præsentiæ et contemplationis.* — Specialis et perfectissima fuit hæc cum Patre suo unio in Christo Jesu: cum enim humanitas hypostatice divinitati uniretur, fieri non potuit ut ejus anima jugiter Deum et intuitive non contemplaretur, qui eam totam pervadebat, ut una esset persona cum Verbo divino et per ipsum Verbum. Quapropter quidquid Christus exterius vel interius ageret, quamvis non paucis humanis creatisque rebus occupari videretur, etiamque cum sopor humana membra teneret; nunquam ejus spiritus a Verbi divinitatis clara et distincta visione deflexit, nec unquam ejus constantem præsentiam amisit. In hoc superno intuitu superiores ejus facultates deliciis affluebant, quæ in sereno et tranquillo corporis vultu aliquantulum sese promebant; utut tristitia, pavor, tædium aliæque inferioris partis affectiones hanc divinam tranquillitatem obnubilare quandoque conarentur.

4. *De unione orationis et supplicationis.* — Ad hæc: oratio Christi et vehemens supplicatio assiduæ erant et continuæ, non quidem pro se ipso, qui aliquo non indigebat, nisi ut sua humanitas plene subjecta Patri rogaret, ut omnia in ejus supremam gloriam cederent. Ideo Christus hac assidua prece humanitatem suam divinitati inferiorem, adorationis cultu et laudis sacrificio, subjiciebat, recte recognoscens nihil eam a se esse, omnia a Patre suo habere in multiplicibus donis munifico et erga eam liberalissimo. Sed præcipue in hominum bonum hæc Christi oratio intendebat, atque omnium nostrarum orationum ac supplicationum defectibus supplebat, ut deinceps Deus Pater Filii sui gratia hominum preces exaudiret: quare Salvator noster magna fiducia et securitate ajebat: « Quidquid petieritis Patrem in nomine meo dabitur vobis. » Profecto hæc continua Christi oratio non semper vocalis fuit, quamvis legamus non raro eum in nostrum exemplum voce orasse: nec semper ita fiebat, ut ab hominum consortio ad orandum separaretur, quamvis et hoc iterum atque iterum, ut nos doceret, effecit; sed simplex fuit mentis et cordis ad Deum Patrem elevatio, qua uno affectus motu omnia petebat, quæ ad nostram salutem necessaria erant, quin tamen, ut sic oraret, alia exteriora vel interiora negligeret.

5. *De unione sacrificii oblati.* — Nec minus constans, assiduus ac vehemens fuit actus, quo Christus se ipsum victimam et sacrificium Patri suo offerebat, suumque corpus mysticum, quod essentialiter et præcipue e suis electis et justis conflatur. Nec tantum ea quæ ab ipso unoquoque vitæ suæ instanti ferebantur, Patri offerebat; sed et de omnibus quæ ad extremum usque suspirium ferenda erant, oblationem continuam et gratissimam faciebat, tum ut immensa Deo gloria esset, tum ut humanum genus ipsi reconciliaretur, tum denique ut omnes gratiæ, benedictiones et cœlestes favores in homines abundantissime effunderentur. Porro una cum suo speciali et principali holocausto, omnium justorum et Ecclesiæ suæ, ad finem usque mundi sacrificia, victimas et oblationes Christus offerebat; quidquid futurum erat ut homines pro suo nomine et propter justitiam, vel ad eorum probationem, sic permittente Deo, paterentur. Hæc omnia sui corporis mystici sacrificia suo Dominus Jesus adjiciebat, ut Deo grata essent atque in justorum bonum æque ac suum ipsum sacrificium acceptaret; nullum enim est vel esse potest Deo gratum holocaustum, quod sine Christi sacrificio ipsi offertur. Denique notandum hic est perenne Christi sacrificium universale fuisse, quatenus Patri suo unamquamque suam facultatem et vim

sive animæ sive corporis traderet, sponte acceptans et patientissime tolerans quidquid ignominiarum, paupertatis, dolorum vel angustiæ Pater libera sua voluntate in ipsas immitteret: « factus enim est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis » quasi non amplius sui compos esset, sed victima Patri devota, ejus gloriæ et hominum bono.

6. *De unione conformitatis voluntatis.* — Denique unionem Christi cum Patre voluntatis conformitas perficiebat adeo absoluta, ut nihil cogitaret, vellet, ageret nisi quod Pater de ipso disponeret: « Quæ placita sunt ei, inquit, facio semper, » non quæ naturæ vel libero arbitrio placerent; unde cum aliquando ad satisfaciendum infirmæ humanæ naturæ Patrem rogavit, non id absolute egit, sed expressa conditione adjecta: « si possibile est..... verumtamen non mea sed tua voluntas fiat. » Et tamen libera ei omnia relicta fuerant, ut quidquid vellet et suo lubitu ageret, quia Deus erat æqualis Patri. Ut vero plenam hanc et omnibus numeris absolutam voluntatis unionem cum Patre haberet, debuit sane Christus omnibus et sibi ipsi renuntiare, ut et terrestria despiceret et suam humanitatem integra dependentia Patri subjiceret. Inde illimitata fiducia quam erga Patrem suum animo fovebat, ut ei omnia sua traderet, quamvis sciret multa ignominiosissima et dolorosissima

futura quæ pateretur. Itaque hujusmodi dependentia non *affectiva* tantum sed *effectiva* fuit in omnibus suæ vitæ actibus, quos verbo illo complevit: « Consummatum est; » scilicet omnia feci quæ Pater de me facienda disposuit, nihil restat nisi ut moriar, sicut ipse decrevit, et hoc statim faciam; quibus dictis, « inclinato capite, tradidit spiritum » libera etiam dependentia et subjectione hunc extremum actum eliciens, quod, ut supra notavimus, nemo poterat, ipso invito, animam ejus a corpore sejungere.

7. *Quomodo nos primum unionis gradum attingemus?* Hæc fuit Christi vita unitiva cum Patre suo, ad cujus exemplar nostra effingi debet. Non sane fieri potest, ut nostra adamussim in omnibus cum ipsa componatur, infirmæ enim nostræ naturæ hoc vacuum non est, sed tamen, gratia Dei opitulante, licet nobis intra limites nostrarum virium eam persequi. Profecto, dum in hac terra versamur, intuitiva Dei visione frui datum non est: sed est nobis fidei intuitus, per quem licet Deum præsentem non modo in creatis rebus omnibus quæ circumstant, sed in nobis ipsis, maxime in corde nostro conspicere, quod in justorum animabus sedes Dei est. Commoratur enim Deus in nobis ut naturæ et gratiæ auctor, suoque spiritu in mentes et corda nostra agit, quæ sibi copulat, ut cum eo et per eum vi-

vamus. Cur aliunde Deum quærimus, dum nobiscum est? cur ad eum alibi mentem et cor erigimus, quasi longe sit ab unoquoque nostrum, dum introrsum in animo nostro cum eo colloqui licet? Hoc exercitio præsentiæ Dei, quod sanctorum proprium fuit, vita nostra interior et intimior erit cum Deo et in Christo, qui ita in se ipso Patrem suum adorabat et contemplabatur. Hic fuit S. Teresiæ et S. Catharinæ Senensis mos, quas Christus ipse id agendum docuit; hoc S. Franciscus Salesius suadebat, ut medium efficacissimum ad perfectionem et vitam unionis cum Deo acquirendam.

8. *Quomodo secundum gradum sectabimur?* — Nec tanta continuitate et assiduitate, ac Christus egit, mentem et cor ad Deum erigere possumus, ut oremus: sed nonne Christus ipse et Spiritus sanctus jugiter in nobis et pro nobis « orant gemitibus inenarrabilibus » atque pro totius mundi necessitatibus et ingruentibus malis? Preces nostras cum prece Christi et Spiritus sancti conjungamus, solo mentis et cordis intuitu, hanc interdiu intentionem renovemus. Porro meminerimus quidquid boni operis agimus, non modo rationem meriti et expiationis, sed etiam orationis ad impetrandum habere, unde proverbium illud « studere est orare. » Igitur nostras omnes actiones ita dirigamus et efficiamus, ut continuæ sint preces pre-

cibus Christi et Spiritus sancti conjunctæ. Nec tantum oremus ut solum necessitates nostras Deo expromamus, verum et totius Ecclesiæ, fidelium omnium et infidelium, hæreticorum, schismaticorum et peccatorum: hoc enim est orare cum Christo et in nomine ejus. Ita sane oratio nostra efficacior erit, nostraque cum Deo familiaritas in dies succrescet.

9. *Quomodo ad tertium gradum elevabimur?* — Christus singulos sui sacrificii actus, sive præsentes sive futuros, clare et distinctim noverat, eosque quasi victima Deo devota offerebat. Sed quamvis omnia, quæ ferenda sunt, nota nobis non sint, nonne cognoscimus quæ actu ferimus? et in genere nonne alia futura mala prævidemus? Noscimus autem hanc esse Dei voluntatem, ut crucem nostram tollamus et sequamur Christum; ex altera parte non ignoramus Deum patrem nostrum esse, nihilque nobis mali accidere posse, nisi ipse velit aut permittat et in bonum nostrum cedat. Quidni igitur liceat, habituali quodam actu, quem interdum renovemus, nos paratos Deo offerre quasi victimas ad omnia toleranda? Quidni liceat sincero et æquo animo ferre, quæ actu nos premunt, idque sicuti membra Christi capitis nostri, iisdemque voluntatibus atque animi æquitate et constantia? Semper paratos nos esse convenit ad om-

nia ferenda, quia « qui pie volunt vivere in Christo Jesu persecutionem patientur. » Offeramus constanter Deo naturæ nostræ infirmitates et defectus, corporis ægritudines, animi tristitiam et angores, externos internosque dolores, bonorum expoliationem, exilium, carceres, martyrium, mortem, si ita divinæ majestati placuerit his adversitatibus nos munerare. Interdum parvas offeramus adversitates, infelicem nostrorum incœptorum exitum, hominum ingratitudinem, morbos corporis, cœli et aeris inclementiam, naturæ repugnantiam in multis et infinita alia, quæ nos quotidie cruciant et quasi acu constanter perfodiunt, ut durissimum ex temporis longitudine martyrium feramus.

10. *Quomodo quarto gradu perficiemur?* — At nostræ voluntatis cum divina conformitas desideratam unionem in Christo cum Deo potissimum præstabit. Cum sæpe de hac virtute egerimus, necesse sane non est ut longiori sermone de ea loquamur. Nonne nobis potius quam Christo convenit, ut voluntatem nostram in omnibus Dei voluntati conformemus? Ceterum si vere in vita unionis cum Christo perfici volumus, sciamus nonnisi hac virtute fieri posse, ex qua charitas divina ardentissima oritur. Interrogemus ergo sæpe animum nostrum, ut videamus quid Deus, quid Christus a nobis

expetat, ut invita etiam natura, et contra ejus gemitus et obmurmurationes perfecte exequamur. At sicut Christus, ut plene voluntatem suam Patris voluntati conformaret duo media adhibuit, quorum unum recognoscendi nihilum naturæ suæ humanæ, omniumque conditarum rerum; alterum contemplandi infinitam Dei independentiam et majestatem, ejusque attributa divina; ita oportet ut imprimis quidquid amoris erga nos ipsos in nobis est penitus destruamus, idque consideratione nullitatis naturæ nostræ, quæ proinde nonnisi despectum meretur; maxime quod, quum impotens et misera esset, toties tamen rebellis contra suum existentiæ et vitæ Auctorem fuerit; deinde intima ac profunda majestatis divinæ cognitione, quæ efficit ut hæc terrestria præ Deo flocci faciamus, pedibusque conteramus, quia vere nihil sunt si Deo comparentur. Hac agendi ratione magnam nostri viriumque humanarum diffidentiam concipiemus, ut totam fiduciam nostram in Deo uno reponamus, a quo vera bona expectari tandem possunt, et a quo plena animi subjectione agendi et ferendi regulam recipiemus.

Hæc sunt vitæ interioris in Christo principia, quæ nobis suæ gratiæ cooperantibus, idem ipse evolvet, ut cœlesti lumine ducti quid faciendum sit intelligamus.

Caput IV.

DE PIIS EXERCITATIONIBUS, QUÆ AD VERAM ERGA COR JESU DEVOTIONEM VERUMQUE AMOREM FOVENDUM PLURIMUM CONFERUNT.

1. Descripsimus huc usque et paucis vitam adumbravimus, quam religiosi et ecclesiastici viri ducere tenentur, ut missioni a sanctissimo Corde Jesu receptæ aptiores fingantur, atque in se et in aliis juxta Jesu Christi Salvatoris nostri desideria perficiant. Quæ toto in hoc opusculo diximus ea sunt, quæ veram ac bene intellectam erga Cor sanctissimum Domini Jesu devotionem exprimunt et fovent. Quid enim est hæc devotio nisi, ut illustris nostræ ætatis Episcopi verbis utar, « compendium quoddam completum christianæ religionis? » quid est, nisi ad omnes virtutes atque ad sublimem perfectionem incitamentum? Ejus enim *formale objectum* est *charitas*, qua « Christus dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis (1), » *finis* autem est charitas, quam ciere in hominum cordibus debet. Nam sanctæ Gertrudi quærenti cur Christus immensum sui Cordis amorem, dum ipsa viveret hominibus non revelaret, S. Joannes in visu respondit: « hoc Dei decretum esse, amoris Cordis Jesu

(1) Ad Gal. II. 20.

divitias novissimis temporibus revelandas, summaque mundi senectute, cum charitas multorum refrigesceret, quæ hac devotione refovenda esset. »

2. Errant ergo qui putant fore ut satis huic devotioni fiat, per quædam exteriora pietatis opera, quæ nos obeamus et aliis insinuemus. Ii qui pie volunt vivere in Corde Jesu eique se devovere, maxime si sint sacerdotes, curent imprimis totam vitam suam reformare, corrigant culpas, abnegent semetipsos, defectus suarum actionum eradicent, virtutes exerceant, vita interiori in Christo vivant, atque in se suisque actibus Cordis hujus vitam manifestent, ut ejus charitate impleantur, quam deinde in hominum corda diffundant. Qui aliter agunt, eorum numerum augescent qui sæpe repetunt: « Domine, Domine, et non faciunt voluntatem Patris qui in cœlis est; » quibus tamen die mundi extremo dicetur: « Nunquam novi vos: discedite a me qui operamini iniquitatem (1). »

3. Attamen quædam erga Cor Jesu pietatis exercitia utilissima sunt, et nobis infirmis hominibus, qui ab exterioribus ad interiora, a visibilibus ad invisibilia trahimur, convenientissima, et digna quæ ubique a Cordis Christi amatoribus stabiliantur et undique propagentur.

(1) Matth. VII, 23.

Si zelus Cordis Jesu in animo sacerdotum est, quem esse arbitramur, hæc potissimum populis sibi commissis commendent, neque ex vitioso alio extremo negligant, quod putent satis esse si populum ad christianam vitam agendam hortentur, ad Dei præcepta servanda, ut Cordi Jesu grati sint et vera devotione erga illum se gerant. Hæc oportet facere, sed illa non omittere, quæ Christus ipse Jesus Ecclesiæ suæ commendavit, quam inter homines non autem inter spiritus constituit.

4. Itaque hoc postremo capite pias aliquas devotionis exercitationes erga Cor Jesu enumerabimus et paucis de more delineabimus, ut qui sacerdotes cordi hanc devotionem diffundendi habent, atque suo munere fungendi quod a Christo receperunt, facile inveniant quæ sancta consuetudine in Ecclesia fiunt et populo commendent: ex his enim verus ad Deum conversionum fructus colligitur, atque essentialis illa devotio fovetur, quæ amorem Dei in hominum cordibus excitat.

I.

Quædam generalia præmonentur.

1. Præter generalem et principalem, quem innuimus, finem, alii sunt speciales et secundi ordinis devotionis erga Cor Jesu, quos

una cum primo pia omnia exercitia, sive interna sive externa prosequi debent. Populum docere oportet in quacumque devotionis opere fines esse aliquos quos intendimus, et eos assequi debere quicumque illud amplectitur, piaque aliqua exercitia obit. Quare in numero piorum exercitiorum illa non habenda, quæ finibus non conveniunt, eosque nullo modo assequuntur: media enim sunt, quæ bona esse nequeunt, nisi ad fines ducant.

2. Speciales devotionis erga cor Jesu fines sunt: 1° Fideles Christi excitandi ad amandum et honore debito prosequendum dolores et passionem Domini nostri Jesu Christi;

2° Tenerum cultum promovendi erga sanctissimæ Eucharistiæ sacramentum;

3° Injurias reparandi, quibus ingrati homines, impii vel tepidi, amorem et dolores sacratissimi Cordis Jesu rependunt;

4° Magnam inspirandi peccatoribus fiduciam et confidentiam erga Cor Jesu.

Hos fines Christus his symbolis expressit, quibus circumdatum atque ornatum beatæ Margaritæ Mariæ Cor suum revelavit. Erat enim aperta plaga in latere, ex qua vividæ erumpebant flammæ, e summitate vero crux exurgebat, extrinsecus autem spinea corona cor ipsum cingebat, dum clavi subjecti quasi basim supponebant. Voluit igitur Christus suum amorem, suamque pro ingratis pec-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

catoribus latam passionem mentibus objicere, atque in iis Eucharistiæ sacramentum, quod amoris compendium est et in passionis ejus memoriam institutum; denique vulnerato et aperto corde, ex quo aqua mixta sanguine prosiluit, in mentem revocavit gratiarum omnium fontem, quas in peccantes omnes effundere cupit, quamvis injuriis prosequantur et vulnerent: adeoque fideles suos stimulavit, ad has reparandas injurias, ut vita et gratiæ in hominum salutem ex hoc Corde abundantius effluant.

3. Hæc quæ symbolis adumbrari videntur, apertius Christus verbis expressit: « En, inquit, Cor quod ardentissime homines dilexit! Nulli sane pepercit labori, nihilque omisit, viribus defecit seseque consumpsit, ut eis suum amorem patefaceret. Attamen quin eos gratos erga me habeam, plures in festis ictibus, ingrati animi signis me cruciant; sacramentum amoris mei irreverentiis, contemptu, animi tepiditate profligant, vel etiam me sacrilegis actibus impetunt. » Deinde petens, ut festum in honorem sui Ss. Cordis instituereturr, in quo injuriarum reparatio fieret, promisit fore ut abundantiores gratias eis largiretur, qui tali eum honore prosequerentur. Itaque necesse est, ut omnes piæ in sanctissimi Cordis honorem exercitationes, ad amorem erga Jesum homines impellant, eosque ad eum imitandum

moveant, necnon ad compatiendum ejus passioni et doloribus, atque denique ad Cor hoc sacratissimum in Eucharistiæ sacramento adorandum et colendum. Sed nec reparatio injuriarum est omittenda quam Christus ipse postulavit, et peccantium corda ad fiduciam concipiendam pia hæc exercitia aperiant oportet, ut ad Christum animo sincero homines convertantur et vivant.

II.

De die festivo Ss. Cordis Jesu.

1. Christus ipse a B. Margarita Maria repetitis vicibus postulavit, ut festum in honorem sui sanctissimi Cordis, feria VI post octavarium festi Corporis sui institueretur. Hoc festum paulisper institutum fuit in Ecclesia postquam Clemens X P. M., bulla promulgata die 4 oct. 1674, cultum ipsum et devotionem approbavit: quam bullam Pius VI, constitutione *Auctorem fidei* contra Jansenistas pistorienses data, confirmavit. Hujus festi finis, sicut Salvator noster B. Margaritæ manifestavit, est omnium injuriarum reparatio, quibus ipse impetitur, et maxime illarum quæ amoris sui sacramentum, tempore octavarii Corporis sui, violant.

2. Ut hoc festum condigne celebretur et Cordis Jesu desideriis satisfiat, duo necessa-

rio requiruntur: 1° participatio eucharisticæ communionis, 2° actus reparationis (qui gallice dicitur *amende honorable*) in honorem Ss. Cordis Jesu. Hæc duo ipse Jesus a beata Margarita petiit, ut abundantius in omnes sui amoris ignes diffunderet.

Pius VII, rescripto dato die 7 julii 1815, pie hoc die communicantibus, et ecclesiam vel oratorium publicum, ubi festum Ss. Cordis celebratur, visitantibus, ubique juxta Rom. Pontificis intentionem orantibus, indulgentiam plenariam concessit. Ex hoc ipso decreto festum Ss. Cordis in alium anni diem transferre licet et de *licentia Ordinarii* Missam propriam Ss. Cordis eo die celebrare (1).

3. Planum est, ex fidelium christianorum consuetudine, præparationes aliquas huic festivo diei præmittendas esse, ut puriori et ferventiori animo, ad abundantiores gratias a Ss. Corde recipiendas celebretur. Præparatio proxima, de qua hic tantum loqui volumus, consistit in novenario dierum hoc festum præcedentium. Qui se ad sacratissimi Cordis festum ferventius celebrandum disponere volunt, singulis hujus novenarii diebus piis precibus, meditationibus et lectionibus se exerceant, nec non repetitis visitationibus ad altare, ubi Ss. Cordis imago exponitur, aliisque operibus quæ devotio suggerit. Qui

(1) *Recueil des prières, etc., publié par ordre de Pie IX*, p. 158.

in hunc finem libello utuntur a P. Borgo S. J. elucubrato vel alio quocumque, sequentes lucrantur indulgentias, quas Pius VII, rescripto dato die 13 januarii 1818, concessit: 1° indulgentiam quotidianam 300 dierum; 2° plenariam die sequenti novenarium, vel infra octavam, ordinariis conditionibus, nempe confessionis, communionis et orationis pro Pontifice et Ecclesiæ necessitatibus. Hoc novenarium etiam tempore quocumque infra annum institui potest (1).

4. Non possumus quin sacerdotibus præsertim, qui curam animarum habent, commendemus, ut majori qua possunt solemnitate festum hoc in suis ecclesiis, die proprio ad id designato, vel saltem, de Ordinarii licentia, sequenti die dominico concelebrent, suosque fideles de hujus festivi diei finibus admoneant, de conditionibus a Christo ipso expetitis, deque aliis quæ necessaria sunt, ut cum fructu a populo celebretur. Majori certe pompa sacrificium fiat, solemnior communio generalis habeatur, laudes festivæ a vesperis vel ipso die decantentur, nec omittatur publica injuriarum reparatio in Cor amantissimum Jesu. Ubi hoc festum publice, apto instructionum novenario, præparari possit, quæ saltem post evangelium principalis Missæ habeantur, id constanter fiat, atque quotidie a vespere laudes concinantur

(1) *Recueil de prières, etc.*, p. 157.

cum benedictione venerabilis Sacramenti, cui actus consecrationis Cordi Jesu adjici potest. Sed quammaxime ad suorum peccatorum confessionem populum sacerdotes hortentur, atque ad vitia corrigenda, nonnisi enim corde puro speramus fore, ut gratias Cordis Jesu recipiamus.

III.

De mense Junio.

1. Iis qui ferventiori studio erga Cor Jesu feruntur, placuit integrum mensem Junii ejus honori devovere, æque ac mensis Maji B. Mariæ Virgini sacer est, ne minori honore Filius haberetur, quem majori prosequi oportet. Sicut floribus decorus mensis virginum flori convenit Mariæ, ita solaribus radiis adustus mensis ignito amore Christi Cordi aptior visus est, ut sui amoris igne voluptatum nostrarum ignem extingueret. Nostris maxime diebus, quibus charitas Christi deferbuit, hujusmodi devotio magis ac magis in dies propagatur, ut quæ suis exordiis nonnisi familiarum quarumdam religiosarum propria fuit, vel personarum quarumdam devotarum; nunc etiam publice, in quibusdam templis et parochiis, ad instar mensis mariani celebretur.

2. Hac re commotus Pius Pp. IX, Decreto

S. C. Indulgentiarum, dato die 8 maji 1873, iis qui publice vel privatim, mense Junio, precibus et aliis piis exercitationibus sanctissimum Cor Jesu colerent, concessit: 1° *indulgentiam quotidianam 7 annorum;* 2° *plenariam*, die libere electo, quo quis, confessione peracta et sacra synaxi recepta, visitet ecclesiam vel oratorium publicum, ibique aliquantulum juxta intentiones Sanctitatis suæ oret (1).

3. Libri non desunt, ex quibus exercitia hujus mensis Cordi Jesu sacri desumi possunt.

1° *Lectio* quotidiana vel meditatio de virtutibus Cordis Jesu.

2° *Oratio* quotidiana *vocalis*, ex. gr. litaniæ in honorem Ss. Cordis, vel reparatio honorifica, aut actus consecrationis.

3° Assistentia quotidiana *Missæ sacrificio*, vel saltem *visitatio* Ss. Eucharistiæ Sacramento in aliqua ecclesia.

4° *Jejunium* vel *abstinentia* aliqua, vel etiam *eleemosyna* pauperibus erogata in pervigilio festi Ss. Cordis, vel die præcedenti sacram communionem ad plenariam indulgentiam lucrandam.

His autem pia aliqua opera interna addi debent et opera charitatis externa: curandum ut animæ defectus extirpentur, virtutes exerceantur, maxime charitatis, humilitatis, mansuetudinis, puritatis, pietatis et

(1) *Recueil de prières, etc.*, p. 157.

obedientiæ, quæ Ss. Cordi Jesu gratissimæ sunt.

Quod si publice hujus mensis exercitia habeantur, eodem fere modo ac supra de novenario dictum est, procedi posset.

IV.

De piis exercitationibus quæ ad Christi passionem referuntur.

1. Præstat ut una hîc simul ea exercitia ponamus quæ ad Christi passionem referuntur, quæque finibus respondent a Ss. Corde Jesu intentis, cum se ipsum fidelibus suis manifestavit. Vulneratum est Cor Jesu, qui dilexit nos et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo: decet igitur ut frequenter hæc vulnera in mentem revocemus, quæ et quanta Christus tulit attenta consideratione meditemur, ut a peccatis abstineamus et vulneratum hoc Cor amemus, redamemus et amplectamur, unde vita et salus æterna nobis profluerunt.

§ I.

De exercitio Viæ sanctæ Crucis.

2. Inter omnia pia exercitia quæ passionem et Christi mortem menti referunt, quasi efficacissimum medium ad culparum dolorem

excitandum, ad peccatores in meliorem frugem revocandos, atque ad justos ipsos perficiendos, magni habendum est illud quod nomen fert: « Pium exercitium Viæ sanctæ Crucis. » Hæc devotio, ut traditio habet, a discipulis ipsis Christi et fortasse a beatissima Virgine Maria inducta fuit, qui eo dum in urbe Jerusalem commorari potuerunt, sæpe loca illa invisebant, in quibus passionis Christi mysteria perfecta fuerant.

3. Prout nunc temporis ex Summorum Pontificum approbationibus consuevit, hoc exercitium consistit in successiva visitatione quatuordecim stationum, in quibus ea passionis mysteria recoluntur, quæ acta sunt a sententia Pilati, qui Christum Jesum cruci damnavit, usque ad ejus sepulturam. Ad innumeras lucrandas indulgentias, quibus Romani Pontifices hoc pium exercitium auxerunt, necesse prorsus est, ut stationes et cruces ligneæ unicuique appositæ benedictione sacratæ fuerint a sacerdote religioso vel seculari, qui ad id agendum facultatem a Sancta Sede recepit. Præterea duo hæc requiruntur: 1° ut pro cujusque capacitate considerentur mysteria passionis et mortis D. N. Jesu Christi; 2° ut pro loci dispositione et numero eorum qui hoc exercitium obeunt, ab una ad alteram stationem realis motus et physicus fiat. Quod si præ multitudine fidelium, qui una simul huic exerci-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tio adsunt, motus hic vel transitus fieri nequeat, satis est ut, fidelibus omnibus suo loco stantibus, presbyter unus cum duobus clericis stationes omnes adeat, ad unamquamque stet et preces recitet, quibus fideles respondeant (1).

4. Nullæ speciales præscribuntur recitandæ preces, quamvis omnes in variis libellis approbatæ utilissimæ sint; nec Sacra Congregatio Indulgentiis præposita, nisi ut piam et laudabilem consuetudinem commendavit, recitationem unicuique stationum precum ℣. Adoramus te, Christe, etc. unius Pater et Ave et ℣. Miserere nostri, Domine, etc. Denique licet infirmis, iter facientibus in mari, vel in carceribus detentis, aut in regionibus infidelibus, hujus exercitii pii indulgentias lucrari, si præ manibus habentes crucifixi Domini signum ex ære vel alia solida materie confectum, atque a sacerdote religioso vel seculari habente ad hoc facultatem, benedictione consecratum, recitent devote ac saltem contrito corde 14 Pater, Ave et Gloria, deinde 5 Pater, Ave et Gloria; denique semel Pater, Ave et Gloria pro Summo Pontifice.

5. Commendent sacerdotes hoc populis saluberrimum exercitium, saltem sexta feria uniuscujusque hebdomadæ peragendum: si

(1) Ex decr. Congr. Indulg. 23 jul. 1757. V. Maurel *Le Chrétien éclairé, etc.*, Suppl. n. 17.

enim aliqua est dies in hebdomada, quæ majori in honore habenda sit, et in qua Jesu Christi Cor amantissimum solari debeamus, illa est qua ipse « Vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, cujus livore sanati sumus (1). » Hoc exercitio lucrari fideles possunt indulgentias omnes, quarum numerus soli Deo est cognitus, quas Pontifices visitantibus loca sancta Jerusalem pluries concesserunt (2).

§ II.

De aliis quibusdam exercitiis in honorem Passionis Christi.

6. *De quinque Pater et Ave, hora tertia feriæ sextæ recitandis.* — Hîc in mentem revocare possumus pium aliud exercitium feria sexta, in honorem passionis Christi peragendum, quod quibusdam in regionibus in desuetudinem abiit, quodque tamen Benedictus XIV, Brevi *Ad Passionis* die 13 dec. 1740, valde commendavit, sub *præcepto obedientiæ* omnibus ecclesiarum superioribus mandans, ut hora tertia feriæ sextæ vespertina, signo campanæ fideles admonerent, quo omnes genibus flexis et devote quinquies *Pater* et *Ave* recitarent in honorem

(1) Isa. LIII, 5.
(2) *Recueil de prières, etc.*, p. 95 seq.

passionis D. N. Jesu Christi et orarent juxta Ecclesiæ intentiones. Quod ut fructuosius fieret 100 dies indulgentiarum Pontifex concessit (1).

7. *De septem feriis sextis Quadragesimæ.* — Pius VII, Rescripto dato die 6 apr. 1816, plures largitus est indulgentias iis qui speciali quadam ratione, in libello Romæ impresso descripta, septem ferias sextas quadragesimæ passionem Christi honorifice recolerent. Sed cum hic libellus non amplius typis mandatus fuerit, Gregorius XVI, Rescripto dato die 4 aug. 1837, easdem confirmavit indulgentias, easque concessit iis qui confessione et communione, una tantum feria sexta quadragesimæ peracta, septem omnibus feriis sextis visitent ecclesiam vel publicum oratorium, ibique orent juxta intentiones Romani Pontificis et septies *Pater*, *Ave* et *Gloria* devote recitent coram imagine Christi Jesu crucifixi, ad ea recolenda quæ Christus ab horto Olivarum ad mortem usque pertulit.

8. En indulgentias a Pio VII concessas et a Gregorio XVI confirmatas:

1° 300 dies indulgentiæ pro unaquaque feria sexta quadragesimæ.

2° Indulgentia plenaria illa feria sexta qua fiat confessio et communio.

3° 300 dies indulgentiæ, alia quacumque

(1) *Recueil de prières, etc.*, p. 104 seq.

feria sexta infra annum, qua pium illud exercitium a Gregorio XVI descriptum fiat.

4° Indulgentia plenaria iis qui septem feriis sextis infra annum, idem faciant ac tempore quadragesimæ requiritur (1).

9. *De Rosario quinque plagarum.* — Denique aliquid dicendum de Rosario quinque plagarum Christi Jesu, quod consistit in recitatione quinquies repetita quinque *Gloria Patri* et *Ave* in honorem quinque vulnerum Domini et dolorum B. Mariæ Virginis.

Leo XII, Decreto diei 20 dec. 1823 concessit:

1° Indulgentiam unius anni semel in die hoc Rosarium recitantibus;

2° Indulgentiam plenariam semel in mense iis qui saltem decies unoquoque mense recitaverint; porro una feria sexta mensis martii ad libitum, die festivo Inventionis et Exaltationis sanctæ Crucis, vel infra octavas. Ad has lucrandas plenarias indulgentias requiruntur confessio, communio et brevis oratio pro Pontifice;

3° Indulgentia plenaria hoc Rosarium recitantibus a die dominico Passionis usque ad sabbatum hebdomadæ sanctæ inclusive, dummodo, confessione peracta, communionem paschalem recipiant;

4° Unoquoque vero horum prædictorum

(1) *Recueil de prières, etc.*, p. 105 seq.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

dierum Pontifex largitus est indulgentiam 7 annorum et 7 quadragesimarum;

5° Pius IX, Decreto diei 11 aug. 1851, has confirmavit indulgentias atque addidit indulgentiam plenariam lucrandam ab iis qui saltem decies unoquoque mense Rosarium hoc devote recitaverint, singulis diebus festivis Nativitatis Domini, Circumcisionis, Epiphaniæ, Ss. Nominis Jesu, Paschatis, Ascensionis, Corporis Domini, Transfigurationis, vel infra octavas horum dierum festivorum. Ad hanc indulgentiam plenariam toties quoties lucrandam debet adici confessio, communio et visitatio ecclesiæ vel oratorii publici, ut breviter oretur pro Romano Pontifice.

Denique oportet, ut Rosaria hæc a R. P. Generali Congregationis Clericorum discalceatorum Passionis D. N. J. C. (vulgo Passionisti) benedictionem recipiant, vel ab alio sacerdote, qui ab ipso delegationem habuerit (1).

V.

De piis exercitationibus quæ ad Eucharistiam referuntur.

1. « Nihil mihi magis cordi est, ajebat Christus B. Margaritæ Mariæ, quam ut ab hominibus in Eucharistiæ sacramento honore

(1) *Recueil de prières, etc.*, p. 112 seq.

afficiar. At heu! nemo est qui meo ardenti desiderio satisfaciat, et suum erga me gratum animum exhibeat. » Ut huic sanctissimo Christi desiderio satisfaciamus sequentia subjicimus pia exercitia, quæ populo summopere commendanda videntur.

§ 1.

De Communione frequenti.

2. Ad augendam et fovendam devotionem et amorem erga Cor Jesu, nihil utilius, nihil efficacius sane est, quam ut Christi fideles eucharisticæ mensæ frequenter accedant; ibi enim Cor Jesu animabus intime unitur, ibi amoris sui flammis corda earum exurit, ibi veniam concedit, abundantes largitur gratias, ac pignus æternæ vitæ tribuit.

Constitutione data die 10 apr. 1580, Gregorius XIII indulgentiam 5 annorum iis benigne concessit, qui singulis diebus festivis confessione expiati sacro pane reficiuntur et pro Pontifice Romano orant.

Item decem annorum indulgentiam tribuit, singulis vicibus, iis qui frequenter, saltem semel in mense, et diebus festivis solemnioribus Domini nostri Jesu Christi, beatæ Mariæ Virginis, SS. Apostolorum et Nativitatis S. Joannis Baptistæ communionem recipiunt.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

dierum Pontifex largitus est indulgentiam 7 annorum et 7 quadragesimarum;

5° Pius IX, Decreto diei 11 aug. 1851, has confirmavit indulgentias atque addidit indulgentiam plenariam lucrandam ab iis qui saltem decies unoquoque mense Rosarium hoc devote recitaverint, singulis diebus festivis Nativitatis Domini, Circumcisionis, Epiphaniæ, Ss. Nominis Jesu, Paschatis, Ascensionis, Corporis Domini, Transfigurationis, vel infra octavas horum dierum festivorum. Ad hanc indulgentiam plenariam toties quoties lucrandam debet adici confessio, communio et visitatio ecclesiæ vel oratorii publici, ut breviter oretur pro Romano Pontifice.

Denique oportet, ut Rosaria hæc a R. P. Generali Congregationis Clericorum discalceatorum Passionis D. N. J. C. (vulgo Passionisti) benedictionem recipiant, vel ab alio sacerdote, qui ab ipso delegationem habuerit (1).

V.

De piis exercitationibus quæ ad Eucharistiam referuntur.

1. « Nihil mihi magis cordi est, ajebat Christus B. Margaritæ Mariæ, quam ut ab hominibus in Eucharistiæ sacramento honore

(1) *Recueil de prières, etc.*, p. 112 seq.

afficiar. At heu! nemo est qui meo ardenti desiderio satisfaciat, et suum erga me gratum animum exhibeat. » Ut huic sanctissimo Christi desiderio satisfaciamus sequentia subjicimus pia exercitia, quæ populo summopere commendanda videntur.

§ 1.

De Communione frequenti.

2. Ad augendam et fovendam devotionem et amorem erga Cor Jesu, nihil utilius, nihil efficacius sane est, quam ut Christi fideles eucharisticæ mensæ frequenter accedant; ibi enim Cor Jesu animabus intime unitur, ibi amoris sui flammis corda earum exurit, ibi veniam concedit, abundantes largitur gratias, ac pignus æternæ vitæ tribuit.

Constitutione data die 10 apr. 1580, Gregorius XIII indulgentiam 5 annorum iis benigne concessit, qui singulis diebus festivis confessione expiati sacro pane reficiuntur et pro Pontifice Romano orant.

Item decem annorum indulgentiam tribuit, singulis vicibus, iis qui frequenter, saltem semel in mense, et diebus festivis solemnioribus Domini nostri Jesu Christi, beatæ Mariæ Virginis, SS. Apostolorum et Nativitatis S. Joannis Baptistæ communionem recipiunt.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Denique plenariam indulgentiam semel in anno, iisdem supradictis conditionibus, iis qui die festivo patroni principalis urbis vel vici Eucharistiæ participant (1).

§ II.

De Communione primæ feriæ sextæ mensis.

3. At Christus ipse Dominus petiit a beata Margarita Maria, ut præter alios dies, prima sexta feria cujusque mensis sanctum Eucharistiæ Sacramentum sumeret. Exinde mos in Ecclesiam invaluit hunc diem sanctum habendi, invitandique fideles, maxime in parœciis et aliis templis, ubi associatio Cultus perpetui Cordis Jesu, vel Apostolatus orationis (de quibus inferius loquemur) instituta fuerit, ad illum diem majori devotione peragendum, eucharistici præsertim cibi refectione. Ubi id commode fieri potest, die dominico præcedenti, e suggestu fideles moneantur, ut velint feria quinta sequenti pœnitentiæ Sacramento peccata diluere, et die sextæ feriæ frequentes ad communionem accedere.

4. Die ipso statuto, summo mane, exposito signo aliquo vel tabula depicta Ss. Cordis Jesu, luminibus et floribus circumornata, sacrum Sacrificium solemnius celebratur et eucharisticus panis fidelibus distribuitur.

(1) *Recueil de prières, etc.*, p. 71.

Denique vespere laudes solemniores decantantur, inter quas nullo modo omitti debet actus reparationis honorificæ publice recitandus. Iis qui uni ex duabus prædictis associationibus nomen dederunt, hoc die, si Eucharistiam recipiant, indulgentia plenaria a Pontificibus concessa fuit (1).

§ III.

De Novenario Communionum primæ feriæ sextæ mensis.

5. Ut vero immensum sui Cordis amorem erga fideles suos Christus ostenderet, magnificum sane privilegium contulit iis qui per novem continuos menses, prima sexta feria, Eucharistia reficerentur. En verba, quibus B. Margarita Maria hoc privilegium in suis scriptis refert:

« Alia vice, inquit, videtur mihi, post re-« ceptam sacram synaxim, hæc audivisse: « In excessu misericordiæ Cordis mei, pro-« mitto tibi fore, ut omnipotens ejus amor « *gratiam pœnitentiæ finalis* omnibus lar-« giatur, qui per novem continuos menses, « prima sexta feria, sacram communionem « recipiant; et ut hi *in statu peccati lethalis « non moriantur, et suis muniantur sacra-« mentis*; meum enim Cor, in illa extrema « hora, eorum tutum refugium fiet. »

(1) Manrel, *Le chrétien éclairé, etc., 13.e édit.*, n. 76.

Quis non videat quam liberalis, summique momenti, ad hominum æternam procurandam salutem, hæc Christi promissio sit? Hortamur igitur sacerdotes, qui animarum zelum persentiunt, ut eam populis explicent, eisque suadeant ut saltem semel in vita hoc piissimum exercitium obeant, non leviter sane sed pie ac devote, quo misericordiam, dum e vivis excedunt, a Domino consequantur.

§ IV.

De Ss. Missæ sacrificio. — De Communione spirituali. — De Visitationibus.

6. Christus Cor suum amantissimum hominibus tradidit, ut ferventiores inter eos injurias reparent, quibus ab impiis et tepidis fidelibus afficitur; hoc igitur præcipue præ oculis habendum est ab iis qui ardenti devotione erga Cor Jesu sanctissimum feruntur. Quæ exercitia huc usque enumeravimus, etiam finem hunc attingere possunt: sed alia tria non minus apta suademus ad Christi honorem opprobriis saturatum reparandum, et maxime in sui amoris sacramento injuriis læsum. Hæc sunt: quotidiana *præsentia* vel saltem frequens *Ss. Missæ sacrificio;* numerosæ *visitationes* in ecclesiis vel oratoriis ubi divinissimum Sacramentum asservatur; et *spiritualis communio.* Operæ

pretium non est rationem hîc aliquam exponere hujusmodi exercitia peragendi, cum plurimi de hac re libelli omnium manibus terantur. Neque necesse quidem est ut in horum exercitiorum efficacia et nobilitate insistamus, quæ christiano sensui sese ipsa commendant.

7. Optamus tamen ut sacerdotes de his persæpe populo sermonem habeant, eorumque amorem ejus animis instillent, suadeantque frequentiam in fines illos devotionis erga Cor Jesu, quos initio exposuimus. Dicant in Ss. Missæ sacrificio renovari sacrificium illud, quod Christus cruci affixus obtulit, idque fieri ad omnium dolorum memoriam revocandam ignominiarumque, quæ Christus in Corde suo præsertim pertulit, ut humanam progeniem Patri reconciliaret. Loquantur de quatuor hujus sacrificii finibus, quæ finibus a Christo Jesu propositis respondent, in devotione erga Cor ejus provocanda. Repetant Cor Jesu amantissimum fere derelictum in templis commorari, et tamen diu noctuque manus suas gratiarum thesauris onustas gestare, quos frustra hominibus offert. Nostrum igitur esse, repetitis, numerosisque visitationibus, atque assidua præsentia ejus perenni sacrificio, Cor hoc sanctissimum solari, veniam ab eo de nostris et aliorum delictis et negligentiis expostulare, amoris et gratitudinis erga

eum signa præbere. Denique instruant sacerdotes populum nihil gratius esse Cordi Jesu, quam ut ei intime conjungamur: cum ergo realiter Christi carne refici non possumus, gratissimum saltem ei esse si id optemus, et spiritu carnem hanc sanctam recipiamus. Cum quodam die B. Margarita Maria Eucharistiæ desiderio teneretur, petiit a Domino Jesu, ut ipsam edoceret quid dicere oporteret. Tum Jesus: Nihil nisi hæc verba: « O mi Deus, meum unicum et totum bonum: tu es totus mihi, et ego sum tota tibi. »

8. Nullæ sunt authenticæ indulgentiæ iis concessæ, qui Missæ sacrificio assistunt; omnes enim gratiarum thesauros Missæ sacrificium in se continet, ait Pius VII quibusdam petentibus, ut indulgentias concederet, quas noluit. At quamplurimas Pontifices Romani Ss. Eucharistiæ sacramentum visitantibus tribuerunt:

1° Indulg. 300 dierum visitantibus Ss. Sacramentum tabernaculis asservatum, et quinquies *Pater*, *Ave* et *Gloria* recitantibus, juxta Ecclesiæ intentiones. — Pius IX, 15 sept. 1876.

2° Indulgentia plenaria visitantibus et orantibus, aliquantulo temporis spatio, coram venerabili Sacramento publice exposito, exercitio quadraginta horarum, dummodo fiat confessio, communio et oratio pro Ecclesia. — Paulus V, 10 maji 1606.

3° Indulgentia 10 annorum et 10 quadragesimarum, toties quoties, simpliciter visitantibus Ss. Sacramentum expositum ut supra; dummodo doleant corde de suis peccatis, et firmum habeant confessionis propositum. Idem Pontifex et Pius IX, 26 novembris 1876.

4° Omnia altaria ecclesiæ, ubi infra hoc exercitium 40 horarum Missæ celebrantur, pro expositionis tempore, gaudent privilegio. Pius VII, 10 maji 1807.

5° Indulgentia plenaria, iisdem conditionibus ac supra, visitantibus Ss. Sacramentum publice expositum, Quinquagesimæ tribus diebus, vel Septuagesimæ aut Sexagesimæ, vel denique feria V post dominicam Sexagesimæ. Benedictus XIV, 14 junii 1749; Clem. XIII, 23 jul. 1765.

6° Eædem indulgentiæ, plenaria et partialis ut supra et iisdem conditionibus, visitantibus venerabile Sacramentum in sepulcro, feria V et VI hebdomadæ sanctæ. Communio implet conditionem, si recipiatur feria V vel die dominica Paschatis. Pius VII, 7 mart. 1815; Pius IX, 26 nov. 1876 (1).

(1) *Recueil de prières, etc.*, pp. 72-77.

VI.

De Novem Officiis — Hora sancta et Custodia honorifica.

§ I.

De Novem Officiis.

1. Cum quodam die B. Margarita Maria manibus laborans, corde tamen intimius Cordi Jesu in Ss. Eucharistiæ sacramento uniretur, revelatum ei fuit Cor hoc flammis undique amoris sui purissimi circumdatum, atque circum circum seraphicis choris stipatum, qui amoris canticum concinebant. Tum beati spiritus B. Margaritam hortati sunt, ut sese ipsis adjungeret, atque tam amabile Cor laudaret. Quod cum ipsa facere præ timore renueret, Seraphim certam fecerunt se venisse, ut eam sibi sociam adjicerent quo Cordi Jesu continuum amoris, adorationis et laudis obsequium redderent; atque fore ut jugiter ejus loco se coram Eucharistiæ sacramento tenerent, quo ipsa assidue, se mediantibus, Christum diligeret; contra vero fore ut ipsi in partem ejus amoris patientis venirent, dum ipsa eorum gaudiis frueretur (1).

2. Hinc fortasse atque ex aliis, quæ in Vita B. Margaritæ Mariæ leguntur, anti-

(1) *Vie et Œuvres de la B. Marguerite-Marie*, t. 1. p. 76.

quissimum devotionis exercitium *Novem Officiorum* ortum habuit, cujus finis est fidelium christianorum cum Corde Jesu unio, ad illud honore debito prosequendum, per officiorum imitationem, quibus Jesus ipse in hac terra functus est, ut Salvatoris munus et missionem impleret. Ut vero meliori, qua id possit, ratione his implendis officiis satisfiat, Angelorum chori in auxilium advocantur, qui cum fidelibus concurrant et major honor Cordi Jesu cedat. Cum novem sint angelici chori, novem pariter officia Cordis Jesu selecta fuerunt, unicuique quorum unus Angelorum chorus addictus fuit.

Officia sunt: 1° *Servi fidelis* cum Angelis, 2° *Supplicantis* cum Archangelis, 3° *Zelatoris* cum Virtutibus, 4° *Reparatoris* cum Dominationibus, 5° *Victimæ* cum Principatibus, 6° *Adoratoris* cum Potestatibus, 7° *Promotoris* cum Thronis, 8° *Discipuli* cum Cherubim, 9° *Amantis* cum Seraphim.

3. Officia hæc, unoquoque mense, sorte inter novem personas distribuuntur, et singulis mensibus renovantur. Unumquodque officium virtutem sibi adjunctam exercendam per mensem habet, aliaque pietatis exercitia, quæ ad bene suo officio fungendum dirigi debent. Nemo non videt hujusmodi novem personarum associationem multiplicari posse, adeo ut plures idem officium obeant. Alia quæ de hoc exercitio dici pos-

§ III.

De Custodia Honorifica Ss. Cordis Jesu.

7. Hujus piæ exercitationis associatio canonice erecta fuit in templo Monialium a Visitatione B. V. Mariæ Burgi Bressiani, et a Pio Pp. IX indulgentiis large ditata. Ejus finis est speciali cultu vulnus prosequi, quod Christus lancea percussus in Corde accepit, ex quo exivit sanguis et aqua; idque ad solatium Cordi Jesu, proprio sacrificio et amore, afferendum, ob amaritudinem quam ex hominum oblivione et ingratitudine persentit. Qui huic associationi nomen dare volunt, horam certam eligunt in die, per quam, quin alia opera vel studia intermittant, mente et corde Deo sanguinem et aquam offerunt, quæ ex Christi Corde scaturierunt, idque ad ejus mitigandam iram, ad gratias et favores multiplices pro Ecclesia impetrandos, et ad honorem ipsi Cordi Jesu reddendum; offerunt etiam suas cogitationes, verba, actiones et adversitates quas ferunt, ut Cordi Jesu solatio sint.

8. Huic associationi Pius IX omnes concessit indulgentias proprias Arciconfraternitatis Cordis Jesu Romæ erectæ; præterea: 1° Indulgentiam 7 annorum et 7 quadragesimarum quotidie ab iis lucrandam, qui

certam horam piis supradictis eliciendis intentionibus transigunt;

2° Indulgentiam 100 dierum pro aliis horis diei, quibus eadem ratione Socii Cor Jesu colerent;

3° Indulgentiam plenariam, ordinariis conditionibus, semel in mense ad libitum, pro iis qui fideliter horam Custodiæ quotidie obierint. Brevi 7 apr. 1865.

Ut quis harum indulgentiarum particeps fiat necesse est, ut nomen det vel Monasterio Burgensi, vel uni ex zelatoribus aut zelatricibus; ut in quadrante sacratissimi Cordis inscribatur; ut fideliter horæ statutæ exercitium quotidie obeat, vel si oblitus fuerit, statim incipiat ac recordabitur (1).

VII.

De Imaginibus, Scapulari, Numismatibus etc. Cordis Jesu.

§ I.

De Imaginibus Ss. Cordis Jesu.

1. Qui zelo ardent erga Ss. Cor Jesu nihil sane intentatum relinquunt, nec expensis parcunt, ut ubique et profuse ejus imagines diffundant, ac satagant ut publice exponan-

(1) Vide: *Billet de la Pieuse Association de la Garde d'honneur.* Bourg.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

tur, easque in honore fideles habeant. Id sane nimium amat atque optat Cor Jesu, et satis desiderium hoc nobis sacerdotibus esse debet, ut omnibus viribus ei satisfacere conemur. Sed generosissimum atque ditissimum Cor Jesu non solum desiderium suum expressit, verum etiam abundantes illis benedictiones promisit, qui suam imaginem colunt. En quomodo hæc narrat B. Margarita Maria :

« Christus Jesus me certam fecit gratissimum ipsi fore honorem, quem ei homines sub specie sui Cordis carnei præstarent, cujus optat imaginem publice omnium oculis subjici, ut insensibile cor hominum hoc objecto percellatur. Deinde promisit fore ut copiose dona, quibus Cor suum abundat, in eorum corda effunderet, qui eum honore prosequerentur ; ut benedictiones in fideles homines adduceret, ubicumque imago Cordis sui publice exponeretur et debito coleretur honore ; ut hujus imaginis interventu familiæ inter se dissentientes conciliarentur, et speciali modo illæ protegerentur, quæ adversitate aliqua anguntur ; denique ut societates in quibus hæc imago cultum haberet, suavi suæ charitatis ardentis unctione reficerentur, atque ab eis ipse justæ iræ Dei ictus arceret, eis gratiam suam redderet, a qua peccatorum causa defecissent (1). »

(1) *Vie et Œuvres*, ut supra, t. 2, pp. 64 et 265.

2. Sacerdotum igitur est vel per sese, vel per fideles sacro Cordi devotos efficere, ut imago hæc et publice in templis honore debito colatur, atque in privatis familiis, tum in urbibus, tum ruri, apud divites æque ac pauperes, loco patenti ponatur, ut ex ea fideles ad christianam agendam vitam moveantur, ac largas Ss. Cordis benedictiones nanciscantur. Quo magis ejusmodi imagines ubicumque diffunduntur et coluntur, eo magis cognitio et amor erga Cor Jesu in hominum cordibus effundentur, et facilius erit societatum nostrarum restaurationem illam obtinere, quam frustra jamdiu expectamus.

3. Ad hanc erga Cor Jesu devotionem augendam, Pius VI, Rescripto dato 2 jan. 1799, indulgentiam 7 annorum et 7 quadragesimarum fidelibus concessit qui, corde contrito et devoto, aliquo temporis spatio, coram imagine Ss. Cordis Jesu, publice in ecclesia vel oratorio, vel super altari quodam exposita orarent, dummodo una simul preces Deo pro Pontifice romano effundant. Notandum tamen hic est, juxta recens sacræ Congregationis indulgentiarum responsum, imagines vel signa hujusmodi, ita confecta esse debere, ut palam Cor ipsum Jesu aperto pectore conspiciatur : ita enim Jesus B. Margaritæ Mariæ se revelavit (1).

(1) *Recueil de prières, etc.*, p. 147.

§ II.

De Scapulari, Numismatibus etc. Ss. Cordis Jesu.

4. Antiquissima est scapularis Cordis Jesu devotio, quod ut insigne ejus fideles pectori admotum et cordi ferunt. Jam Christus Jesus B. Margaritæ manifestaverat, gratum ei fore, si imaginem sui Cordis filii sui devoti cordibus admotam ferrent. Quare jam tum B. Margarita, parvas hujusmodi imagines conficiendas curavit, quæ facile super pectus deferri possent. Inde a. 1720 pestis massiliensis tempore, scapulare hoc ubique propagatum fuit, verbis adjectis: « Sta: Cor Jesu mecum est. » Anno 1748 hoc scapulare Benedictus XIV ad Poloniæ Reginam misit; serius Vandeani super vestem pectori insutum ferebant, magnæ revolutionis gallicæ tempestate. Denique his nostris calamitosis temporibus, magno auxilio hoc scapulare fuit, sive cum morbus asiaticus Europam infecit, sive cum bellum Gallos inter et Germanos exarsit, quod floridissimas Galliæ provincias vastavit. Demum placuit supremo *Apostolatus orationis* Directori illud assumere, ut omnium fidelium christianorum insigne, qui huic consociationi nomen dant, atque a Pontifice Pio IX speciales indulgentias impetravit.

5. Profecto proprie hoc insigne *scapularis* nomine donari non potest, quamvis vulgo eo nomine sentiat. Nam nihil aliud est nisi simplex Cordis Jesu imago super telam vel cujuscumque coloris et materiei pannum depicta vel texta, quam circum verba adjiciuntur: « Sta: Cor Jesu mecum est. » Quod si Apostolatus orationis socii indulgentias a Pio IX concessas lucrari velint, insigne hoc alia verba, vel his adjecta referre debet, scilicet: « Adveniat regnum tuum. »

6. Ex Pii IX Rescripto dato die 14 junii 1877 Apostolatus orationis socii, qui insigne hoc sub vestibus ac super pectus ferunt, 100 dierum indulgentiam lucrantur toties quoties ore vel corde invocationem recitent: « Adveniat regnum tuum. » Quod si palam super vestes hoc insigne ferant in sacris publicis supplicationibus, vel inter adorandum per demihoram venerabile Sacramentum adorationi publicæ expositum, tribuit Pontifex septem annos et septem indulgentiæ quadragesimas. Rescr. 14 jun. 1877 (1).

Ad has lucrandas indulgentias nulla vel Ecclesiæ benedictio vel impositio requiritur, sed licet unicuique sibi hoc scapulare imponere et aptare.

(1) Vide *Messager du Sacré Cœur*, n. 32, an. 1877, p. 66 seq. 676 seq., vel *Petit Messager du saint Cœur de Marie*, pp. 158, 159, an. 1877.

7. Quæ de imaginum et scapularium diffusione dicta sunt, facile de numismatibus, signis etc. Sacri Cordis intelligi debent, quibus ecclesiastica benedictione innumeræ etiam indulgentiæ addi possunt(1). Hæc omnia Cordis Jesu desiderio respondent, de quo supra egimus, aptaque sunt ad venerationem et amorem erga Cor sanctissimum Redemptoris nostri augenda.

VIII.

De Pia Unione Ss. Cordis Jesu et de Cultu perpetuo.

§ I.

De Pia Unione Ss. Cordis Jesu.

1. Ad piam aliquam devotionem propagandam confirmandamque nihil melius conferunt quam piæ fidelium consociationes, quæ fines ab ipsa devotione propositos præscribant, atque sacris exercitationibus hanc foveant, et in fidelium animabus radices agere curent. Hoc sane factum est ut in dies magis devotio erga Cor Jesu augeretur. Jam ab anno 1693 prima adorationis Ss. Cordis consociatio instituta est in monasterio Reli-

(1) *Recueil de prières, etc.*, p. 420 seq.

giosarum a Visitatione, in urbe Paray-le-Monial. Anno 1733 P. Gallifet S. J. 360 hujsmodi consociationes a pluribus Episcopis et a Summo Pontifice approbatas enumerabat. Verum anno 1801, mense februario, agente P. Aloysio Felici S. J. *Pia Unio Cordis Jesu* Romæ erecta est in templo S. Mariæ ad Pineam, congregationis Presbyterorum S. Pauli, quæ tamen post biennium in templum S. Mariæ Pacis translata, titulum Arciconfraternitatis obtinuit, et a Pio VII numerosis indulgentiis ditata fuit, cum jure sibi alias confraternitates aggregandi eisque easdem indulgentias et privilegia conferendi, quæ primariæ a Summis Pontificibus concessa fuerunt. Exinde consociationes omnes Cordis Jesu primæ romanæ nomen dederunt, atque innumeræ sub titulo Piæ Unionis Cordis Jesu erectæ sunt(1).

2. Pia Unio fines illos sibi proponit, quos Christus ipse in stabilienda devotione erga Cor suum sacratissimum habuit. Ut fideles ejus privilegiis fruantur, debent uni ex Confraternitatibus romanæ adscriptis nomen dare, atque semel in die recitare *Pater*, *Ave*, *Credo* cum invocatione: « O dulce

(1) Die 3 junii 1853, ex concessione Pii IX P. M. in templo Ss. Cordis Jesu, Molinis in Gallia erecto, statuta fuit Arciconfraternitas Piæ Unionis pro tota Gallia, quæ iisdem fruitur privilegiis ac Romana; insuper indulgentia plenaria menstrua a Sociis lucranda ditata est, die ad libitum electo atque ordinariis conditionibus.

7. Quæ de imaginum et scapularium diffusione dicta sunt, facile de numismatibus, signis etc. Sacri Cordis intelligi debent, quibus ecclesiastica benedictione innumeræ etiam indulgentiæ addi possunt(1). Hæc omnia Cordis Jesu desiderio respondent, de quo supra egimus, aptaque sunt ad venerationem et amorem erga Cor sanctissimum Redemptoris nostri augenda.

VIII.

De Pia Unione Ss. Cordis Jesu et de Cultu perpetuo.

§ I.

De Pia Unione Ss. Cordis Jesu.

1. Ad piam aliquam devotionem propagandam confirmandamque nihil melius conferunt quam piæ fidelium consociationes, quæ fines ab ipsa devotione propositos præscribant, atque sacris exercitationibus hanc foveant, et in fidelium animabus radices agere curent. Hoc sane factum est ut in dies magis devotio erga Cor Jesu augeretur. Jam ab anno 1693 prima adorationis Ss. Cordis consociatio instituta est in monasterio Reli-

(1) *Recueil de prières, etc.*, p. 420 seq.

giosarum a Visitatione, in urbe Paray-le-Monial. Anno 1733 P. Gallifet S. J. 360 hujsmodi consociationes a pluribus Episcopis et a Summo Pontifice approbatas enumerabat. Verum anno 1801, mense februario, agente P. Aloysio Felici S. J. *Pia Unio Cordis Jesu* Romæ erecta est in templo S. Mariæ ad Pineam, congregationis Presbyterorum S. Pauli, quæ tamen post biennium in templum S. Mariæ Pacis translata, titulum Arciconfraternitatis obtinuit, et a Pio VII numerosis indulgentiis ditata fuit, cum jure sibi alias confraternitates aggregandi eisque easdem indulgentias et privilegia conferendi, quæ primariæ a Summis Pontificibus concessa fuerunt. Exinde consociationes omnes Cordis Jesu primæ romanæ nomen dederunt, atque innumeræ sub titulo Piæ Unionis Cordis Jesu erectæ sunt(1).

2. Pia Unio fines illos sibi proponit, quos Christus ipse in stabilienda devotione erga Cor suum sacratissimum habuit. Ut fideles ejus privilegiis fruantur, debent uni ex Confraternitatibus romanæ adscriptis nomen dare, atque semel in die recitare *Pater*, *Ave*, *Credo* cum invocatione: « O dulce

(1) Die 3 junii 1853, ex concessione Pii IX P. M. in templo Ss. Cordis Jesu, Molinis in Gallia erecto, statuta fuit Arciconfraternitas Piæ Unionis pro tota Gallia, quæ iisdem fruitur privilegiis ac Romana; insuper indulgentia plenaria menstrua a Sociis lucranda ditata est, die ad libitum electo atque ordinariis conditionibus.

Cor Jesu, fac ut te magis ac magis in dies diligam. » Multiplices has indulgentias et privilegia licet videre in opere P. Maurel S. J. (1). Hic tantum adnotamus indulgentiam plenariam, consuetis conditionibus, consocios lucrari posse prima sexta feria cujusque mensis et alio die mensis ad libitum electo; præterea sex diebus dominicis festum Ss. Cordis Jesu præcedentibus, dummodo præter ordinarias conditiones fiat visitatio templi vel oratorii publici, in quo festum Ss. Cordis peragetur. — Pius VI, 4 mart. 1806. Idem Pontifex indulgentiam 7 annorum et 7 quadragesimarum tribuit confratribus pro unoquoque die novenarii festum Ss. Cordis præcedentis, adjecta tamen visitatione, ut de dominicis diebus dictum est. Hanc eamdem indulgentiam, eademque conditione Leo XII, die 21 maji 1828, benigne largitus est iis qui non novenarium sed triduum ante festum concelebrent.

§ II.

De Cultu perpetuo Ss. Cordis Jesu.

3. Consocii Piæ Unionis unum pluresve ad libitum dies inter annum eligunt, quo vel quibus speciali honore ac particularibus exercitationibus Ss. Cor Jesu colere sibi proponunt. Hoc pium exercitium, cum a pluri-

(1) *Le Chrétien éclairé, etc., 13.e édit.*, n. 76.

bus perficiatur, singulis certe diebus peragetur; inde est appellatio *Cultus perpetui Cordis Jesu*. Hoc vel his diebus jam ab initio determinatis constanterque servatis, fidelis socius Cordis Jesu: 1° confessione peracta, sacra Eucharistia reficitur; 2° per horam continuam vel interruptam meditationi vel precibus vacat; 3° visitat ecclesiam vel oratorium publicum, ibique orat pro Pontifice Romano, pro Clero et pro omnibus Ecclesiæ Christi necessitatibus; 4° interdiu mentem et cor ad Christi sanctissimum Cor laudandum elevat; 5° renovat baptismatis vota vel alia quæ facere potuerit.

Leo XII, Decreto 18 febr. 1826, indulgentiam plenariam concessit, toties quoties hæc Cultus perpetui exercitia ab unoquoque peragantur (1).

IX.

De Apostolatu Orationis.

1. Ad Cordis Jesu divitias in omnes effundendas, nostris calamitosis temporibus reservatum fuit, ut consociatio quædam institueretur, quæ brevi tempore universum orbem pervaderet, atque suo ambitu omnes alias consociationes, confraternitates et fideles in unum omnes coadunaret, nec ullum,

(1) *Le Chrétien éclairé, etc.*, n. 76.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

quasi sibi non consentaneum, pium opus excluderet. Consociatio hujusmodi nomen habet *Apostolatus orationis*. Ejus initia, ut de magnis incœptis assolet, anno 1844 in Seminario quodam gallico (1), humilia fuere, sed jam ab anno 1861, cum plurimorum Episcoporum et Summi Pontificis Pii IX approbationem recepisset, in immensum excrevit ac propagatus fuit. Attamen nonnisi anno 1866 certa statuta a romanis congregationibus approbata et a pontificio Decreto confirmata et definita habuit.

2. Apostolatus orationis non est proprie confraternitas, sed consociatio et conspiratio quædam seu fœderatio omnium fidelium christianorum in intima unione cum spiritu et vita Christi, ut nihil aliud velint, quærant et ament, nisi quod Christus voluit, quæsivit, adamavit dum nobiscum viveret, et nunc temporis etiam in sanctis tabernaculis et in cœlo vult, quærit, amat, scilicet Patris sui gloriam et animarum salutem. Itaque socii Apostolatus orationis non contenti in seipsis vita Cordis Jesu vivere atque ejus deliciis et gratiis frui, suas preces cum precibus Cordium Jesu et Mariæ conjungunt, vel eas proprias sibi faciunt, atque easdem prosequuntur intentiones, desideria et vota quæ Cordium Jesu et Mariæ sunt propria. Quin imo ut efficaciores et soli-

(1) *A Votre-Dame du Puy.*

diores suas preces reddant, intentiones suas, opera et passiones cum intentionibus, operibus et passionibus Cordium Jesu et Mariæ conferunt, ut quæ ab eis fiunt vel feruntur nullum finem habeant, nisi illum missionis Christi in terris. En cur hujusmodi consociatio Apostolatus nomen nacta est, quia revera apostolicum opus est prece, quæ ex orationibus, intentionibus, operibus et tolerantiis exurgit, Deo cooperari ad ejus ampliandam gloriam, ad animarum salutem procurandam, atque ad Ecclesiæ totius augmentum et triumphum.

3. Quoniam igitur nonnisi de intentione emittenda per se agitur, qua quæ agimus, quæque ferimus precum locum teneant una cum precibus Christi et juxta ejus intentiones, ut sterilia non sint, sed ad apostolatus missionem in mundo prosequendam efficacia; nemo non videt hanc consociationem facile cuicumque statui et fidelium christianorum conditioni aptari, quod nullas novas obligationes addit, sed efficit revera ut omnes sicuti Christi membra agant et reapse in unione illa communionis Sanctorum, in qua, baptismate recepto, inveniuntur.

4. Attamen ad augendam vim et unionem membrorum Apostolatus, seu Consociationis Ss. Cordis Jesu, tria ipsis christiana exercitia proponuntur, seu gradus ipsius Apostolatus, quorum primus solus requi-

ritur, ut quis hujus Consociationis sit membrum et omnium privilegiorum particeps fiat, quæ ipsi tributa fuerunt: alii vero duo libere accepti efficiunt, ut socius aliis indulgentiarum et privilegiorum seriebus gaudeat.

Primus igitur gradus complectitur fideles qui Consociationi nomen dant et proponunt sibi *quotidianam oblationem* facere omnium suarum intentionum, actionum et tolerantiarum juxta intentionem Ss. Cordis Jesu.

Secundus gradus eorum est, qui cum in primo jam sint, pium exercitium *Rosarii viventis* acceptant, et quotidie unam hujus Rosarii decadem recitant, juxta unum ex quindecim decadum mysteriis, quod ipsis singulis mensibus ex distributione obvenit.

Tertius denique gradus eorum est, qui cum jam in duobus præcedentibus sint, volunt partem habere in *Communione reparatrici*, sive hebdomadaria, sive menstrua. In hoc ultimo præsertim gradu fideles omnes Cordi Jesu uniuntur, ut cum eo sint cor unum et anima una.

5. Non possumus hic omnia enarrare quæ de hac tam nobili tamque efficaci consociatione dici possent, nec quæ ad eam in parœciis etc. stabiliendam fieri debent. Commendamus tamen sacerdotibus, qui curam animarum habent, ut eam ardentissime adoptent; magnifici enim et incredibiles ani-

marum fructus ex ea huc usque profluerunt iis in locis, ubi jam statuta et confirmata fuit. Consulant igitur libros multiplices, qui de ea scripti sunt (1).

6. Nec facile omnes indulgentias et privilegia enumerare possemus, quæ tribus descriptis gradibus, sive a Pontificibus Romanis, sive ab aliis generose tributa fuerunt. Satis sit hîc adnotare:

1° Socios Apostolatus orationis omnibus frui privilegiis et indulgentiis Piæ Unionis Sacratissimi Cordis Jesu, de qua loquuti jam sumus, adeo ut necesse non sit huic nomen dare, cum inscriptio in libris Apostolatus facta est; sed necesse tamen est præscriptis omnibus ad indulgentias Piæ Unionis lucrandas conditionibus satisfacere.

2° Socios Apostolatus orationis participes fieri omnium orationum, bonorum operum et sacrificiorum Missæ omnium fere ordinum religiosorum et Congregationum apostolicarum, qui benigne hoc tam excellens privilegium Apostolatui orationis largiri voluerunt.

3° Præter prædictas, numerosas alias in-

(1) *L'Apostolat de la Prière. — L'Apostolat du Sacré-Cœur. — Pratique de l'Apostolat du Cœur de Jésus. — Petit Manuel de l'Apostolat de la Prière. — Le Messager du S. C. de Jésus. — Le Petit Messager du S. C. de Marie. — Le Zélateur de l'Apostolat de la Prière, etc.* Prostat hic ultimus Bruxellis apud Vromant, *rue de la Chapelle*, 3; alii vero in Gallia, *Toulouse, rue des Fleurs*, 22.

dulgentias a Pio IX membris Apostolatus orationis concessas fuisse, quarum catalogus in parvo Manuali Apostolatus orationis videri potest.

4° Præter fere omnes indulgentias plenarias et partiales recitationi Rosarii attributas, plures alias concedi iis, qui secundum Apostolatus gradum acceptant atque quotidie Rosarii decadem recitant.

5° Qui tertium gradum Apostolatus adoptant, et nomen dant Consociationi Communionis Reparatricis (cujus *centrum generale* est in urbe Paray-le-Monial), facto ipso, omnibus ejus privilegiis et indulgentiis fruuntur, dummodo ad id requisitas conditiones adimpleant.

6° Denique, quin inscribantur in libris monasterii a Visitatione, in urbe Paray-le-Monial, socii Apostolatus orationis indulgentiam Horæ sanctæ nuper descriptæ, modo perficiant, lucrari possunt.

X.

De Consociatione Adorationis perpetuæ et pro pauperibus Ecclesiis.

1. Nolumus ecclesiasticos et religiosos viros hanc Consociationem ignorare, quæ in honorem et gloriam Cordis Jesu in augustissimo Sacramento, cedit et maximæ utilitatis est, tum fidelium animabus qui hoc exercitio utuntur, tum aliorum qui ecclesias frequentant. Antiqua est confraternitatum in honorem Ss. Eucharistiæ institutio: jam ab initio seculi XVI Paulus III eam approbavit, quæ Romæ statuta est in S. Mariæ super Minervam, eique Arciconfraternitatis titulum attribuit cum facultate aliis sibi confraternitates aggregandi, easque omnium indulgentiarum et privilegiorum participes efficiendi. Deinde Paulus V, die 15 febr. 1608, declaravit hujusmodi confraternitates, auctoritate Sedis Apostolicæ vel Episcopi ordinarii erectas, statutisque confirmatas, eo ipso omnibus privilegiis et indulgentiis frui quæ a Summis Pontificibus primariæ romanæ concessa fuerunt (1).

2. Sed diversa est *Adorationis perpetuæ* de qua hîc loquimur, institutio. Hæc sibi statuit, ad instar Cultus perpetui, vel Custodiæ honorificæ Cordis Jesu, sed alia ratione, efficere ut nullum tempus sit, nulla hora, sive diei sive noctis, qua divinissimum Eucharistiæ Sacramentum obsequio et honore ab aliquo adoratore præstito careat. Ideo unusquisque socius unam horam libere eligit, singulis annis vel singulis mensibus, sive diurnam sive nocturnam, quam in adoratione divinissimi Sacramenti transigat meditando vel vocaliter orando.

(1) Vide Maurel, *Le Chrétien éclairé, etc.*, n. 75.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

3. Complures sunt et diversæ hujusmodi Consociationes, Ecclesiæ auctoritate approbatæ: sed una earum ortum cœpit sub annum 1848 in Belgio, et die 4 januarii 1850 Bruxellis canonice erecta, unde per totum Belgium diffusa. Necesse adhuc erat ut bruxellensis consociatio primariæ titulum et jura haberet: quod largitate Pii Pp. IX effectum fuit mense maji 1853.

Hujus Consociationis scopus est:

1° Amandi et adorandi Jesum Christum, et totis viribus efficiendi ut ubique ametur et adoretur in Ss. Eucharistiæ Sacramento;

2° Reparandi injurias, quibus ipse in hoc Sacramento ab impiis afficitur;

3° Magno honore Christum, et omnibus mediis, in hoc Sacramento prosequendi, atque potissimum pecuniariis subsidiis cooperando vel aliter, quo pauperes ecclesiæ, quæ ad divinum cultum sunt necessaria, possideant.

4. Unumquodque hujus Consociationis membrum, singulis mensibus, una hora in Eucharistiæ Sacramento Christum adorat, sive de die, sive noctu. Adoratio diurna, ab hora sexta matutina ad sextam serotinam, ubi id melius fieri potest, fit in templo, vel saltem domi; adoratio vero nocturna, a sexta hora serotina ad sextam matutinam, fit semper domi.

Quod vero ad cooperationem pecuniariam

spectat, ut ecclesiis pauperibus subsidium feratur, unusquisque socius unum argenteum nummum annuum solvit: non tamen hoc bono privantur qui nonnisi quartam argentei nummi partem solvere possunt. Porro subscriptio annua in eumdem finem fidelibus omnibus proponitur duorum nummorum argenteorum cum dimidio, ut qui hanc argenti oblationem vel majorem generose tribuere velint, omnium precum participes fiant, qui ad Deum in consociatione ipsa, et in pauperibus ecclesiis ad Deum diriguntur.

Multiplices indulgentiæ a Summis Pontificibus huic insigni operi concessæ fuerunt. Sed si quis singillatim de consociationis hujus constitutione et statutis cognoscere velit, consulat libellum R. P. Boone S. J. (1).

XI.

De Confraternitate Cordis Jesu agonizantis et B. Mariæ Virginis Compatientis.

1. Non est hæc ejusmodi exercitatio, quæ sibi dumtaxat proponit compassionis affectus erga Christi vel Mariæ dolores; sed est opus zeli in animarum extremo agone pe-

(1) *Manuel de l'Adoration perpétuelle et de l'œuvre des églises pauvres, Bruxelles, Librairie Cathol. de L. De Wageneer.*

riclitantium salutem. Quis enim nesciat 80,000 hominum saltem quotidie ex hac vita discedere, quorum plures parum fortasse vel nihil de hac ultima hora, dum viverent, cogitarunt, ut propriæ saluti providerent? Igitur anno 1848 R. P. Lyonnard gallus, hac hominum negligentia totque animarum æterna perditione commotus, deliberavit fidelium fœderationem instituere, qui in precum unione cum Corde Jesu agonizante et compatiente Mariæ matris ejus, his præsertim negligentibus hominibus bene moriendi gratiam impetrarent. Anno 1850 Pius Pp. IX devotum hoc exercitium approbavit atque non paucis indulgentiis ditavit. Sed opus erat centrum aliquod confraternitatis in urbe Jerusalem instituere, ubi Christus dolores, agonem et mortem oppetiit. Quod factum est anno 1864, annuente et hujus consociationis directionem assumente Patriarcha jerosolymitano, et approbante Pio Papa IX, Decreto edito die 14 aug. 1864. Tandem idem Pontifex die 23 aug. 1867 arciconfraternitatis titulum et jura jerosolymitanæ consociationi concessit.

2. Fines hujus confraternitatis sunt:

1° *Honorandi* speciali cultu dolores et potissimum agones Domini Jesu, atque angores compatientis matris ejus.

2° Impetrandi gratiam sancte moriendi iis omnibus qui in agone versantur.

3° *Offerendi* solatium iis qui adversitate premuntur, recordatione dolorum Domini Jesu et Virginis Mariæ.

Quæ quidem variis precibus, sacrificii Missæ oblatione, sacra recepta Eucharistia, aliisque piis operibus fiunt.

Qui hanc confraternitatem ingredi volunt, nomen dent uni ex illis confraternitatibus, quæ jerosolymitanæ aggregatæ, passim sive in Gallia, sive in Belgio reperiuntur, et receptionis signum accipiant.

Quæ ad munia obeunda vel ad privilegia et indulgentias spectant, videri possunt in libellis, qui de hoc pio opere typis impressi vulgo habentur (1).

3. Tantum hic adnotamus duas esse in hac confraternitate confratrum classes, quarum prima *aggregatorum*, altera *consociatorum* appellatur. *Aggregati* nomen confraternitati dant et recepto signo, indulgentias pii operis lucrantur, modo quotidie hanc orationem recitent:

«O clementissime Jesu, amator animarum, « obsecro te per agoniam Cordis tui sanctis- « simi et per dolores Matris tuæ immacula- « tæ, lava in sanguine tuo totius mundi pec-

(1) *Manuel de l'Archiconfr. du Cœur agonisant de Jésus, par le P. Boylesve S. J., chez Régis-Buffet, Paris-Bruxelles, place S. Gudule, 4. — Dévotion au Cœur agonisant de Jésus, par M. Seguin à Avignon. — Le Cœur agonisant, salut des moribonds, par l'A. Blot. — L'intercession perpétuelle du Cœur agonisant de Jésus, par le P. Lyonnard.*

« catores, nunc in agonia positos et hodie « morituros. Amen. »

« Cor Jesu in agonia factum, miserere morientium. Pater, Ave. »

100 dies indulgentiæ *toties, quoties* — indulgentia plenaria semel singulis mensibus, dummodo oratio prædicta ter in die diversis temporibus quotidie recitetur, fiat confessio, communio et visitatio ecclesiæ, in qua oretur pro Pontifice Romano. — Pius IX 2 februarii 1850 (1).

Consociati sunt pii operis activa membra, quæ omnia confraternitatis statuta servant et pluribus specialibus indulgentiis fruuntur. Hi receptionis die actum consecrationis Ss. Cordi Jesu agonizanti emittunt.

XII.

De piis exercitiis in honorem B. Virginis Mariæ.

1. Ut finem huic capiti imponamus atque omnibus piis exercitationibus, quæ finibus respondent quos Jesus, in revelanda devotione erga Cor suum sacratissimum, sibi proposuit, liceat paucis enumerare quædam pia exercitia ab Ecclesia approbata et indulgentiis ditata, quæ speciali cultu Matrem Christi honorant, quæque valde juvant ad ipsam

(1) Maurel, *Le Chrétien éclairé*, n. 52.

Cordis Jesu devotionem in nostro et in aliorum animis fovendam. Quis enim Jesu propior quam Mater sua? quid Cordi ejus intimius, quam immaculatæ Virginis Cor? Nemo venit ad Patrem nisi per Jesum, nec aliquis sperare potest fore ut a Jesu benigne recipiatur nisi per Mariam. Cor Matris in omnibus Cordi Filii simillimum est, puritate et sanctitate immaculata, desideriis et ardenti charitate, passione durissima tolerata, zelo gloriæ Dei et salutis animarum, omnium virtutum exercitio, quibus nobis traditum est veluti exemplar et typus. Rectissime ergo Ecclesia Mariam a Jesu nunquam separat, omnibus diebus festivis Christi Matrem ejus commendamus, atque omnibus solemnibus Mariæ diebus Filium ejus colimus et in mentem revocamus. Nec fere est devotio vel pium exercitium in Christi honorem, quod simile in honorem Mariæ non sit: hæc Ecclesiæ praxis palam facit nos Matre indigere ut ad Filium veniamus, et per Cor Matris necessario transeundum, ut in Cor Filii ingrediamur, atque in ejus habitaculo sub umbra illius moremur.

2. Igitur operæ pretium est aliqua recolere quæ Matrem Verbi honorant: sed quia tam vulgata sunt, ut magna expositione non indigeant, satis est ea enumerare ut in memoriam redigamus et magno amplectamur amore, nosque sub Mariæ prote-

« catores, nunc in agonia positos et hodie « morituros. Amen. »

« Cor Jesu in agonia factum, miserere morientium. Pater, Ave. »

100 dies indulgentiæ *toties, quoties* — indulgentia plenaria semel singulis mensibus, dummodo oratio prædicta ter in die diversis temporibus quotidie recitetur, fiat confessio, communio et visitatio ecclesiæ, in qua oretur pro Pontifice Romano. — Pius IX 2 februarii 1850 (1).

Consociati sunt pii operis activa membra, quæ omnia confraternitatis statuta servant et pluribus specialibus indulgentiis fruuntur. Hi receptionis die actum consecrationis Ss. Cordi Jesu agonizanti emittunt.

XII.

De piis exercitiis in honorem B. Virginis Mariæ.

1. Ut finem huic capiti imponamus atque omnibus piis exercitationibus, quæ finibus respondent quos Jesus, in revelanda devotione erga Cor suum sacratissimum, sibi proposuit, liceat paucis enumerare quædam pia exercitia ab Ecclesia approbata et indulgentiis ditata, quæ speciali cultu Matrem Christi honorant, quæque valde juvant ad ipsam

(1) Maurel, *Le Chrétien éclairé*, n. 52.

Cordis Jesu devotionem in nostro et in aliorum animis fovendam. Quis enim Jesu propior quam Mater sua? quid Cordi ejus intimius, quam immaculatæ Virginis Cor? Nemo venit ad Patrem nisi per Jesum, nec aliquis sperare potest fore ut a Jesu benigne recipiatur nisi per Mariam. Cor Matris in omnibus Cordi Filii simillimum est, puritate et sanctitate immaculata, desideriis et ardenti charitate, passione durissima tolerata, zelo gloriæ Dei et salutis animarum, omnium virtutum exercitio, quibus nobis traditum est veluti exemplar et typus. Rectissime ergo Ecclesia Mariam a Jesu nunquam separat, omnibus diebus festivis Christi Matrem ejus commendamus, atque omnibus solemnibus Mariæ diebus Filium ejus colimus et in mentem revocamus. Nec fere est devotio vel pium exercitium in Christi honorem, quod simile in honorem Mariæ non sit: hæc Ecclesiæ praxis palam facit nos Matre indigere ut ad Filium veniamus, et per Cor Matris necessario transeundum, ut in Cor Filii ingrediamur, atque in ejus habitaculo sub umbra illius moremur.

2. Igitur operæ pretium est aliqua recolere quæ Matrem Verbi honorant: sed quia tam vulgata sunt, ut magna expositione non indigeant, satis est ea enumerare ut in memoriam redigamus et magno amplectamur amore, nosque sub Mariæ prote-

ctione ponamus, aliisque fidelibus commendemus.

Præcipua hujusmodi exercitia sunt : 1° *festivitates* in honorem B. Virginis, 2° *Mensis Marianus*, 3° *Sodalitates* multiplices sub Mariæ titulo, 4° *Scapularia* et eorum confraternitates, 5° Speciatim *Confraternitas immaculati Cordis Mariæ* pro peccatorum conversione, 6° *Consociatio Nostræ Dominæ Sacri Cordis Jesu.* — De his pauca dicamus.

§ I.

De diebus festivis B. Mariæ Virginis.

3. Festivitates B. Virginis aliæ sunt in Ecclesia principales, aliæ secundariæ; principales sunt : Purificatio, Annuntiatio, Assumptio, Nativitas, Visitatio, Præsentatio et Immaculata Conceptio ; secundariæ sunt : Septem Dolorum, Nostræ Dominæ a Monte Carmelo, Nostræ Dominæ a Nive, Nostræ Dominæ a Mercede, Sacratissimi Rosarii, Nominis Mariæ, Desponsationis B. Mariæ et plures aliæ. Nemini dubium est primi ordinis festivos dies solemniori ratione a sacerdotibus in ecclesiis esse celebrandas : ii enim non modo in Mariæ Matris Dei honorem cedunt, verum etiam Christi, cujus in memoriam nostram sui amoris erga homines mysteria produnt. Hortentur ergo populos

sacerdotes ut se ad digne festivas hujusmodi solemnitates celebrandas pie disponant, per Sacramentorum frequentationem, per alia pia opera precesque, quæ Deum et B. Virginem propitios reddunt.

4. Plures ex his festivis diebus antiquitus ubique, nunc temporis alicubi, ex præcepto, cultu publico celebrantur : ac nemini sacerdotum ignotum est, ex Ecclesiæ præscripto, etiam ubi præceptum abolitum est, eodem antiquo ritu et solemnitate in templis esse habendos. Ut B. Mariæ cultus augeretur et fideles christiani ad devote hæc festa celebranda animum sumerent, Pius VII concessit 300 dies indulgentiæ iis qui novenario se præparant ad festivas solemnitates *Immaculatæ Conceptionis*, *Nativitatis*, *Annuntiationis*, *Purificationis* et *Assumptionis*, dummodo preces aliquas præscriptas quotidie recitent ; et indulgentiam plenariam die ipso festivo vel infra octavarium lucrandam ab iis qui eucharistico pane reficiuntur et B. Virginem pro Rom. Pontifice orant (1).

His quinque festivis diebus earumque novenariis easdem indulgentias, iisdemque conditionibus Pius IX benigne largitus est, quibus addidit festivas dies *Visitationis*, *Præsentationis*, *Septem Dolorum B. M. V.*, *Patrocinii*, *Cordis Mariæ* et *Sacratissimi*

(1) Vide *Recueil de Prières, etc.*, a pag. 255 ad p. 287.

Rosarii : hoc novo privilegio adjecto, posse scilicet hæc novenaria quocumque anni tempore institui, nec teneri fideles ad eas preces recitandas, quæ antiquitus receptæ fuerunt, sed licitum eis esse alio quocumque libro uti, aliasque usurpare preces, dummodo unicuique novenario festi celebrandi respondeant (1).

§ II.

De Mense Mariano.

5. Antiqua jam et satis nota devotio est mensem Majum pie transigendi in honorem B. Virginis Mariæ, atque hoc pium exercitium tam commune et usu vulgare est, ut necesse non videatur sacerdotes hortari ad illud magna cum solemnitate in suis ecclesiis celebrandum. Satagant igitur ut populos sibi subjectos variis piis operibus, singulis hujus sancti mensis diebus exerceant. Nemo nescit quem fructum animarum Ecclesia colligat, cum qui fidelibus præpositi sunt ferventi ratione et studio Mariæ Virgini honores hoc mense solvunt Sed maxime curent presbyteri, ut conversio animarum interior et virtutum exercitium in populo sibi subjecto exterioribus quibuscumque ornatibus prævaleant : quod sane nanciscentur si piis et sancta unctione conditis sermonibus

(1) *Recueil de Prières, etc.*, p. 285.

fideles christianos adhortentur, potius quam undique exquisitis et ornatis orationibus. Meminerint Mariæ præcipue cordi esse, ut filii sui Deum non offendant, eumque piis operibus et virtutibus colant.

Pius VII Rescripto dato 18 junii 1822, 300 dierum quotidianam indulgentiam concessit et plenariam semel in mense, die ad libitum electo, ordinariis conditionibus. Pius vero IX decr. 8 aug. 1859 permisit, ad plenariam lucrandam indulgentiam, communionem fieri posse die 1 junii (1).

§ III.

De Piis Sodalitatibus sub titulis B. Mariæ Virginis.

6. Nec arbitramur commendandum esse sacerdotibus, ut sodalitates B. Mariæ Virginis instituant, ad eas frequentandas fideles serio et constanter invitent, atque ut magna cum sollicitudine dirigant ad animarum fervorem probe custodiendum. « Incredibile est, inquit Benedictus XIV, quot emolumenta, quotque bona fluxerint cujuscumque conditionis hominibus ex hac tam pia et laudabili institutione (2). » S. Bernardinus beatæ Virginis sodalitiis verba attribuit, quæ sanctus Bernardus de religiosis monasteriis scri-

(1) *Recueil de Prières, etc.*, p. 240.
(2) In Bulla *Gloriosæ Dominæ*, 27 sept. 1748.

psit: « In his homo pure vivit — rarius in peccata labitur — si labitur, minora sunt quæ peccat — facilius a casu se attollit — majori diligentia ambulat — tranquillius quiescit — abundantia cœlestis gratiæ divinorumque favorum pluvia refrigeratur — facilius Deo satisfacit et Purgatorium vitat — majori fiducia et lætitia moritur — gloriosius in cœlis coronatur. »

7. Sodalitates B. Virginis, ut nunc frequentantur, ortum Romæ habuere in Collegio romano, anno 1563, cum juvenis leodiensis Joannes Leonius S. J. hanc in sua schola consuetudinem induxit ferventiores e suis discipulis semel vel iterum in hebdomada convocandi, ut eos piis lectionibus, instructionibus, precibus nec non Sacramentorum usu et virtutum exercitio ad Mariam Virginem colendam et ad vitam sincere christianam fingeret. Gregorius XIII, bulla *Omnipotentis Dei* 5 dec. 1584 hanc consuetudinem approbavit, primam illam sodalitatem in primariam congregationem erexit et indulgentiis ditavit, facultate facta admodum R. Patri Præposito Generali S. J. alias similes sodalitates in aliis collegiis S. J. erigendi, iisque easdem sodalitatis romanæ indulgentias attribuendi. Serius vero alii Pontifices innumera privilegia et indulgentias his sodalitatibus concessere, et tandem Leo XII Brevi 7 martii 1825 facultatem

fecit Præposito Generali S. J. sodalitates ejusmodi in toto terrarum orbe, virorum vel feminarum, et adolescentium utriusque sexus canonice instituendi, quamvis a Presbytero S. J. dirigi non debeant, eisque permittendi, ut omnibus privilegiis et indulgentiis Primariæ Sodalitatis romanæ fruerentur.

8. Ut igitur nova Sodalitas sub aliquo titulo B. Virginis instituatur, necesse est institutionis diploma ab adm. Rev. P. Præposito Generali Soc. Jesu postulare, vel saltem a Præposito Provinciali alicujus provinciæ S. J. qui ad ea concedenda a Præposito Generali facultatem habuerit.

Harum Sodalitatum statuta et indulgentiarum catalogi et privilegiorum ubique passim reperire est, ut opus non sit hîc per singula vel etiam summatim exponere (1).

§ IV.

De Rosario, de Scapularibus B. M. V., de Tripla Salutatione.

9. Rosarium, scapularia, numismata et alia pietatis emblemata magni habenda sunt a sacerdotibus, qui devotionem erga Virginem Mariam propagare cupiunt. *Rosarium* ex precibus essentialiter divinis et ec-

(1) Vide Maurel, *Le Chrétien éclairé*, n. 81. — *Manuel des Congrégations, Tournai, Casterman; Namur, Doux fils, etc.*

clesiasticis componitur, neque melior est ratio aut efficacius medium fidelibus ut orent occasionem præbendi, quam Rosarii B. Virginis recitatio. Nemo nescit innumera bona, quæ ex illa profluerunt. « Vade, inquit B. Virgo S. Dominico, Rosarii recitationem inter fideles institue: hoc erit omnibus malis remedium. » — « Rosarium, inquit Gregorius XVI, est mirabile instrumentum ad peccatum convellendum, ad gratiam recuperandam, ad Dei gloriam reparandam (1). » Innumeræ fere sunt indulgentiæ, quæ Rosarii totius vel saltem ejus tertiæ partis recitationi a summis Pontificibus concessæ fuerunt, de quibus videri potest Maurel, qui longe et fuse de iis loquitur (2), vel recentius opus, quod sæpe citavimus (3). Optimum sane esset consilium, si sacerdotes patres et matres familias hortarentur ad antiquam consuetudinem christianorum restaurandam in communi familia quotidie coronam recitandi; vel si sæpe, occasione ex festivis B. Virginis diebus sumpta, hanc coronæ recitationem publicam in ecclesiis inducerent; si denique Rosarii viventis excellens exercitium commendarent.

10. Nec minimi facienda sunt *scapularia* vel B. Virginis *numismata*, quibus Ecclesiæ

(1) Brevi ad Episc. Symac.
(2) *Le Chrétien éclairé*, nn. 80, 88, 90, 91.
(3) *Recueil de Prières, etc.*, pp. 161, 163, etc.

benedictio accedat. Duo hîc maxime scapularia commendamus; unum B. Mariæ Virginis a Carmelo, alterum Immaculatæ Conceptionis beatæ Mariæ Virginis; et unum præsertim numisma, illud inquam Cordis immaculati B. Mariæ Virginis pro peccatorum conversione. Supervacaneum sane est de his longiorem instituere sermonem, cum presbyteri noverint vel privilegia his insignibus marianis, vel non paucas indulgentias, quas Pontifices iis qui apud se ferunt, large concesserunt. Promissio a Dei Matre B. Simoni Stock facta eum salvandi ab æterna morte, qui suo scapulari montis Carmeli indutus moritur, ut certa in Ecclesia habetur, cum tot Pontifices romani, inter quos Benedictus XIV, hanc revelationem ut certam habuerint et populo tuto annunciari posse permiserint, totque prodigia in promptu sint, ut nemo convenienter de ea dubitare possit. Pius autem IX innumeris, ut ita dicam, indulgentiis Immaculatæ Conceptionis scapulare ditare voluit, quod diceret velle per hoc Matris Dei privilegium mundum hominesque ab æternis cruciatibus sospites reddere; nec, quamvis non spoponderit, dubitandum quin B. Virgo suos filios, qui hoc scapulare devote ferunt eoque superv**e**stiti hac vita decedunt, salvos facere velit (1). De numismate vero Cordis imma-

(1) Vide Maurel, nn. 78, 79 et *Supplément*, nn. 18, 38.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

culati multa videri possunt in Annalibus, quæ Parisiis imprimuntur Arciconfraternitatis Cordis immaculati Mariæ pro conversione peccatorum (1).

11. Denique enixe presbyteris commendamus, ut rursum omni conatu pium exercitium instaurent, quo fideles sanctam Virginem mane, meridie et vespere consalutant, pulcherrima illâ prece *Angelus Domini* etc. vel pro tempore *Regina cœli*, etc. Hæc a S. Bonaventura pia consuetudo inter suos religiosos inducta et per Galliam propalata, a Joanne XXII approbata fuit et statim per totum terrarum orbem diffusa, ut dulcissima filiorum matri suæ consolatio. Nunc autem pœne obsoleta nonnisi a religiosis viris et feminis atque a raris admodum secularibus fidelibus frequentatur. Benedictus XIII Brevi *Injuncta Nobis* 14 sept. 1724 concessit: 1° Indulgentiam 100 dierum toties quoties hæc salutatio genibus flexis vel pro tempore stando, campanæ signo recitatur; 2° Indulgentiam plenariam semel in mense, ordinariis conditionibus, dummodo saltem semel in die fuerit toto mense recitata (2).

(1) Vide etiam Maurel, n. 38.
(2) Vide Maurel, n. 25 et *Recueil de Prières, etc.*, p. 170.

§ V.

De Confraternitate purissimi Cordis Mariæ.

12. Antequam devotio erga Cor Jesu B. Margaritæ Mariæ fuerit revelata, P. Eudes amore erga Cor Jesu ardens, non minori dilectione erga Cor Mariæ ferebatur. Ipse precibus a S. Sede obtinuit ut festum Cordis Mariæ a S. Sede approbaretur, et jam tum sicut Pia Unio et Cultus perpetuus Cordis Jesu instituta sunt, ita similes in honorem Cordis Mariæ consociationes ortum habuerunt. Verum cum temporum conditione et calamitosissimis rerum adjunctis hæc ultima pia devotio deferbuerit, anno 1836, Maria ipsa inspirante, rursum in ipso Parisiensis urbis centro excitata est. Nam ibi Arciconfraternitas sacratissimi Cordis Mariæ a Gregorio XVI approbata et confirmata erecta est, atque inde per totum orbem diffusa paucis annis, peccatores homines quamplurimos per Mariæ dulcissimum Cor ad Cor Jesu amantissimum adduxit (1).

13. Notissima est hujus recentis institutionis historia, ut necesse non sit hic eam

(1) Jam an. 1847 numerabantur 7950 confraternitates primariæ parisiensi adjunctæ, quæ 16,000,000 membrorum inscripserant. Anno 1872 habebantur 16,659 confraternitates cum 30,000,000 membrorum.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

exponere (1). Arciconfraternitas sedem suam habet Parisiis in parœcia Nostræ Dominæ a Victoriis, cujus statuta et alia cognosci possunt in libello citato venerabilis Parochi Desgenettes typis impresso. Ad indulgentias lucrandas quas Gregorius XVI et Pius IX concessere (2), nulla est alia conditio quam ut nomen uni ex confraternitatibus canonice erectis detur. Verum membris inscriptis commendatur : 1° ut quotidie unum *Ave Maria* pro Arciconfraternitatis finibus recitent; 2° ut secum numisma prodigiosum Cordis immaculati beatæ Virginis afferant; 3° ut quandoque invocationem repetant: « O Maria sine labe concepta, ora pro nobis, qui ad te confugimus. » Denique ubi id fieri possit, confratribus insinuatur, ut piis exercitiis adsint, quæ singulis diebus dominicis in templo confraternitatis fiunt, atque ut Eucharistia ad plures indulgentias lucrandas reficiantur, festivis diebus Arciconfraternitatis propriis.

14. Quis innumeros conversionum et bonorum etiam terrestrium fructus non noverit, qui ex hoc pio exercitio in mundum profluxerunt? Cur igitur nunc temporis in templis, in quibus confraternitas erecta fuit,

(1) Vide: *Manuel d'Instructions et de Prières à l'usage des membres de l'Archiconfrérie du très-saint et immaculé Cœur de Marie établie à Paris.*

(2) Vide Maurel cit., n. 82.

exercitia pia quæ adhuc Parisiis, magno cum animarum emolumento fiunt, non amplius pari zelo et studio frequentantur? Exoramus igitur presbyteros, qui animarum curam habent, ut rursus instaurent, ubi jam confraternitas viget, et ut per Mariæ Cor ad Cor Jesu hominum animas impellant. Sed in genere non negligant devotionem erga Mariæ Cor immaculatum fidelibus commendare; ejus imagines et numismata, ut de Corde Jesu dictum est, ubique diffundant; hortentur fideles ad sancte celebrandum Cordis Mariæ festum, die dominico post octavarium Assumptionis B. Virginis, atque ad pium aliquod exercitium quotidie mense augusti peragendum, quo se digne ad festivum ipsum diem disponant. Hæc et similia Cordi Mariæ immaculato gratissima sunt, et ab ejus et Jesu amatoribus diligentissime frequentanda.

§ VI.

De Consociatione Nostræ Dominæ Sacratissimi Cordis Jesu.

15. Operæ pretium arbitramur de hac recentissima consociatione pauca dicere, quæ videtur a B. Virgine Maria hac nostra calamitosa tempestate instituta, ut extremos sui amoris conatus in perditos suos

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

filios effundat, eosque ad vitam et justitiam ex vitiorum cœno revocet.

Die 29 januarii 1864 hæc consociatio Issoduni in Gallia canonice ab Archiepiscopo Burgensi erecta est, postquam triginta Episcopi novum hunc titulum Mariæ attributum recognoverint. Pius IX Brevi dato die 7 junii 1864 confirmavit, atque mense februario 1869 primariæ jura issodunensi consociationi concessit, quæ in sacello novorum Cordis Jesu religiosorum (quod postea in magnificum templum est commutatum) statuta jam fuerat. Innumeri exinde totius orbis Cardinales, Archiepiscopi atque Episcopi hanc novam piamque devotionem ratam habuere, et brevi tempore ubique aliæ atque aliæ consociationes erectæ, templa ædificata, signa B. Virginis sub hoc titulo publicæ venerationi exposita, specialesque gratiæ a Maria ex Jesu Corde in animos et in fidelium corpora effusæ sunt.

16. Hujus consociationis scopus est ad Nostræ Dominæ Sacri Cordis Jesu potentissimam intercessionem confugere, ut quæ ob Matris titulum et rem jura supplicantis efficacissima in Cor Filii sui Jesu habet, auxilium nobis in difficillimis vel etiam desperatis rebus præbeat, tum relate ad spiritum, tum ad tempus. Ut quis privilegiorum atque hujus consociationis indulgentiarum particeps fiat, duæ hæ imponuntur conditiones:

1° ut nomen det uni ex consociationibus canonice erectis (1), ex qua signum receptionis accipiat, 2° ut bis, mane et vespere, hanc brevissimam invocationem recitet: « Nostra Domina Sacri Cordis, ora pro nobis; » cui Pius IX die 26 jun. 1867, 100 indulgentiæ dies concessit. Aliæ indulgentiæ, aliaque emolumenta et statuta cognosci possunt ex libello a Patribus Ss. Cordis Jesu Issoduni typis mandato (2).

PERBREVES ALIQUÆ PRECES

INDULGENTIIS A SUMMIS PONTIFICIBUS AUCTÆ.

---

1. « Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum: Plena est terra gloria tua: Gloria Patri, gloria Filio, gloria Spiritui sancto. »

1° 100 dies indulg. *semel* in die; 2° 100 dies *ter* die dominico, die festo et infra octavarium Ss. Trinitatis. — Clem. XIII, 13 sept. 1768.

3° Indulg. plenaria *semel* in mense, ordinariis conditionibus, hanc invocationem

(1) In Belgio duæ consociationes canonice erectæ sunt in templis collegiorum S. J. Montibus in Hannonia et Verviæ.

(2) *Notre-Dame du Sacré-Cœur mieux connue et son Association*, Issoudun (Indre-France).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

filios effundat, eosque ad vitam et justitiam ex vitiorum cœno revocet.

Die 29 januarii 1864 hæc consociatio Issoduni in Gallia canonice ab Archiepiscopo Burgensi erecta est, postquam triginta Episcopi novum hunc titulum Mariæ attributum recognoverint. Pius IX Brevi dato die 7 junii 1864 confirmavit, atque mense februario 1869 primariæ jura issodunensi consociationi concessit, quæ in sacello novorum Cordis Jesu religiosorum (quod postea in magnificum templum est commutatum) statuta jam fuerat. Innumeri exinde totius orbis Cardinales, Archiepiscopi atque Episcopi hanc novam piamque devotionem ratam habuere, et brevi tempore ubique aliæ atque aliæ consociationes erectæ, templa ædificata, signa B. Virginis sub hoc titulo publicæ venerationi exposita, specialesque gratiæ a Maria ex Jesu Corde in animos et in fidelium corpora effusæ sunt.

16. Hujus consociationis scopus est ad Nostræ Dominæ Sacri Cordis Jesu potentissimam intercessionem confugere, ut quæ ob Matris titulum et rem jura supplicantis efficacissima in Cor Filii sui Jesu habet, auxilium nobis in difficillimis vel etiam desperatis rebus præbeat, tum relate ad spiritum, tum ad tempus. Ut quis privilegiorum atque hujus consociationis indulgentiarum particeps fiat, duæ hæ imponuntur conditiones:

1° ut nomen det uni ex consociationibus canonice erectis (1), ex qua signum receptionis accipiat, 2° ut bis, mane et vespere, hanc brevissimam invocationem recitet: « Nostra Domina Sacri Cordis, ora pro nobis; » cui Pius IX die 26 jun. 1867, 100 indulgentiæ dies concessit. Aliæ indulgentiæ, aliaque emolumenta et statuta cognosci possunt ex libello a Patribus Ss. Cordis Jesu Issoduni typis mandato (2).

PERBREVES ALIQUÆ PRECES

INDULGENTIIS A SUMMIS PONTIFICIBUS AUCTÆ.

---

1. « Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum: Plena est terra gloria tua: Gloria Patri, gloria Filio, gloria Spiritui sancto. »

1° 100 dies indulg. *semel* in die; 2° 100 dies *ter* die dominico, die festo et infra octavarium Ss. Trinitatis. — Clem. XIII, 13 sept. 1768.

3° Indulg. plenaria *semel* in mense, ordinariis conditionibus, hanc invocationem

(1) In Belgio duæ consociationes canonice erectæ sunt in templis collegiorum S. J. Montibus in Hannonia et Verviæ.

(2) *Notre-Dame du Sacré-Cœur mieux connue et son Association*, Issoudun (Indre-France).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

integro mense recitantibus. — Clem. XIV, 30 januarii 1770.

2. Signum crucis. — « In nomine Patris Fet ilii et Spiritus sancti. » Toties quoties 50 dies indulg. — Pius IX, 28 julii 1863. — Signum crucis, ut supra, aqua lustrali factum — toties quoties 100 dies indulg.— Pius IX, 23 martii 1866.

3. Ter « Gloria Patri etc. » recitantibus mane, meridie et vespere ad gratias Ss. Trinitati agendas pro donis et privilegiis maxime gloriosæ Assumptioni B. Mariæ collatis. — 1° 100 indulg. dies toties quoties in die; 2° indulg. plenaria semel in mense, ordinariis conditionibus, recitantibus ter in die, integro mense. - Pius VII, 11 julii 1815.

ACTUS OBLATIONIS.

4. « Æterne Pater, offerimus tibi sanguinem, passionem et mortem Jesu Christi, dolores sanctissimæ Virginis et S. Josephi in remissionem nostrorum peccatorum, liberationem animarum quæ sunt in Purgatorio, propter Ecclesiæ necessitates et peccatorum conversionem. »

100 dies indulg. semel in die. — Pius IX, 30 apr. 1860.

5. « Fiat, laudetur atque in æternum superexaltetur, justissima, altissima et amabilissima voluntas Dei in omnibus. »

1° Indulg. 100 dierum semel in die; 2° indulgentia plenaria semel in anno, ordinariis conditionibus, quotidie recitantibus; 3° indulg. plenaria in articulo mortis iis qui frequenter in vita recitaverint, atque bene dispositi mortem patienter acceptent. — Pius VII, 19 maji 1818.

6. « O Jesu, vivens in Maria, veni et vive in famulis tuis, in spiritu sanctitatis tuæ, in plenitudine virtutis tuæ, in veritate virtutum tuarum, in perfectione viarum tuarum, in communione mysteriorum tuorum, dominare omni adversæ potestati, in spiritu tuo in gloriam Patris. Amen. »

Indulgentia 300 dierum semel in die. — Pius IX, 14 oct. 1859.

7. « O clementissime Jesu, salus, vita, resurrectio nostra, tu solus es. Te ergo quæsumus ne derelinquas nos in angustiis et perturbationibus nostris, sed per agoniam Cordis tui sanctissimi et per dolores Matris tuæ immaculatæ, tuis famulis subveni, quos pretioso sanguine redemisti. »

Indulgentia 100 dierum semel in die. — Pius IX, 6 oct. 1870.

8. « Laudetur Jesus Christus. » — Resp. « In secula. Amen. »

1° Indulg. 100 dierum toties quoties pro ita consalutantibus et respondentibus.

2° Indulg. 25 dierum iis qui devote nomina *Jesu* et *Mariæ* invocant.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

3° Indulg. plenaria in articulo mortis iis qui frequenter in vita modo prædicto se consalutaverint, vel nomina Jesu et Mariæ invocaverint, dummodo in morte saltem corde invocent. Eædem indulgentiæ prædicatoribus et iis qui hortati fuerint fideles ad se ita consalutandum, etiam concessæ fuerunt a Clem. XIII, 5 sept. 1759.

9. « Laudentur Jesus et Maria. » — Resp. « Nunc et semper. »

Indulg. 50 dierum. — Pius IX, 26 sept. 1864.

10. « O mi Jesu, miserere mei. » Indulg. 100 dierum toties quoties. — Pius IX, 23 sept. 1846.

11. « Dulcissime Jesu, non sis mihi judex sed salvator. »

1° Indulg. 50 dierum, toties quoties.

2° Indulg. plenaria singulis annis, ordinariis conditionibus, recitantibus saltem semel in die per annum, a primis vesperis festi S. Hieronymi Æmiliani (20 julii) et infra octavam, dummodo etiam visitent ecclesiam et orent juxta Rom. Pontificis intentionem. — Pius IX, 7 maji 1854.

12. « O Jesu, mi Deus, amo te super omnia. » Indulg. 50 dierum, toties quoties. — Pius IX, 7 maji 1854.

13. « Anima Christi, sanctifica me.
« Corpus Christi, salva me.
« Sanguis Christi, inebria me.

« Aqua lateris Christi, lava me.
« Passio Christi, conforta me.
« O bone Jesu, exaudi me.
« Intra tua vulnera absconde me.
« Ne permittas me separari a te.
« Ab hoste maligno defende me.
« In hora mortis meæ voca me,
« Et jube me venire ad te,
« Ut cum sanctis tuis laudem te.
« In secula, seculorum. Amen. »

1° Indulg. 300 dierum, toties quoties.

2° Indulg. 7 annorum, semel in die presbyteris, qui post Missæ sacrificium, et fidelibus, qui post peractam communionem recitant.

3° Indulgentia plenaria, semel singulis mensibus, ordinariis conditionibus, visitatione ecclesiæ adjecta, in qua oretur pro Summo Pontifice; dummodo hæc oratio saltem semel quotidie per mensem fuerit recitata. — Pius IX, 9 jan. 1854.

14. « Laudetur sanctissimum et divinissimum Sacramentum, eique gratiæ singulis momentis agantur. »

1° Indulgentia 100 dierum, semel in die.

2° Indulg. 100 dierum ter in die, omnibus feriis quintis anni, et per totam octavam Corporis Christi.

3° Indulg. plenaria, semel in mense, ordinariis conditionibus, recitantibus semel in die per totum mensem. — Pius VI, 24 maji 1776.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

1° Indulg. 100 dierum, toties quoties recitetur signo campanæ, quæ annuntiat vel Benedictionem venerabilis Sacramenti, vel horas in ecclesiis, ubi fit publica expositio Ss. Eucharistiæ.

2° Indulg. 100 dierum recitantibus inter duas elevationes sacrificii Missæ, toties quoties in die ipsi assistant. — Pius VII, 30 junii 1818, et 7 decembris 1819.

15. En ego, o bone et dulcissime Jesu, etc. » (quæ passim invenitur).

Indulg. plenaria post communionem vel sacrificium Missæ recitantibus, coram imagine Jesu cruci affixi, dummodo, ex declaratione Pii Papæ IX aliquantulum juxta Rom. Pontificis intentiones orent. — Pius IX, 31 julii 1858.

16. « Crux mihi certa salus — Crux est quam semper adoro — Crux Domini mecum — Crux mihi refugium. » Indulg. 300 dierum semel in die. — Pius IX 21 jan. 1874.

17. « Pater æterne, offero tibi sanguinem pretiosissimum Jesu Christi in expiationem meorum peccatorum et propter Sanctæ Ecclesiæ necessitates. »

Indulg. 100 dierum, toties quoties. — Pius VII, 22 sept. 1817.

18. « Ego N. N. ut meam tibi gratitudinem testificer, et ad meas infidelitates reparandas, offero tibi meum cor, et me tibi omnino devoveo, amabilissime Jesu, atque

tua gratia adjutus amplius non peccare propono. »

1° Indulg. 100 dierum, semel in die recitantibus coram imagine Ss. Cordis Jesu.

2° Indulg. plenaria semel in mense, ordinariis conditionibus, iis qui quotidie recitaverint.

19. « Ametur ubique sacratissimum Cor Jesu. » Indulg. 100 dierum. — Pius IX, 23 sept. 1860.

20. « Jesu mitis et humilis corde; fac cor meum sicut Cor tuum. »

Indulgentia 300 dierum, semel in die. — Pius IX, 25 jan. 1868.

21. « Laudatum, adoratum, amatum cum grati animi affectu sit eucharisticum Cor Jesu, singulis temporis momentis, in omnibus orbis terræ tabernaculis, usque ad consummationem seculorum. Amen. »

Ind. 100 dierum, semel in die. — Pius IX, 29 febr. 1868.

22. « Dulce Cor Jesu, fac ut te magis ac magis in dies diligam. »

1° Indulg. 300 dierum, toties quoties.

2° Indulg. plenaria, semel singulis mensibus, ordinariis conditionibus et visitatione ecclesiæ adjecta, in qua oretur juxta S. Sedis intentiones, dummodo hæc invocatio saltem semel quotidie per mensem facta fuerit. — Pius IX, 26 nov. 1876.

23. « Dulce Cor Jesu, esto meus amor. »

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

1° Indulg. 300 dierum, toties quoties.

2° Indulg. plenaria semel singulis mensibus, eisdem nuper dictis conditionibus. — Pius IX, 28 julii 1875.

24. « Memorare, o piissima Virgo Maria, etc. » (oratio S. Bernardi, quæ passim invenitur).

1° Indulg. 300 dierum, toties quoties.

2° Indulg. plenaria singulis mensibus, supradictis n. 22 conditionibus. — Pius IX, 25 julii 1846.

25. « In conceptione tua, Virgo Maria, immaculata fuisti; ora pro nobis Patrem, cujus Filium Jesum de Spiritu sancto conceptum peperisti. » Vel « Benedicta sit sancta et immaculata Conceptio beatæ Virginis Mariæ. »

Indulgentia 100 dierum pro una vel altera, toties quoties. — Pius VI, 21 novemb. 1793.

26. « O Maria, quæ in hunc mundum sine macula ingressa es, heu! impetra mihi a Deo ut sine culpis ab illo egredi possim. »

Indulg. 100 dierum, semel in die. — Pius IX, 27 mart. 1863.

27. « Dulce Cor Mariæ, esto mea salus! »

Indulgentiæ ut n. 23. — Pius IX, 30 sept. 1852.

28. « Sancte Joseph, amice Sacri Cordis, ora pro nobis. »

Ind. 100 dierum, semel in die. — Pius IX, 3 junii 1874.

29. « Jesu, Maria, Joseph, offero vobis meum cor, meum spiritum et vitam meam. »

« Jesu, Maria, Joseph, succurrite mihi in extremo agone. »

« Jesu, Maria, Joseph, facite ut tranquille vobiscum moriar. »

1° Indulg. 300 dierum, toties quoties tripla invocatio recitetur.

2° Indulg. 100 dierum, toties quoties una recitetur. — Pius VII, 28 apr. 1807.

30. « Ego volo celebrare Missam etc. » (quæ passim invenitur).

Indulg. 50 dierum sacerdotibus ante Missam recitantibus. — Greg. XIII.

Notandum

1° Omnes has indulgentias, præter illam n. 23 positam, suis locis invenire licet in libello authentico sæpe citato: *Recueil de Prières*, etc. Illam vero quam n. 23 exponimus, invenies tomo 28 religiosæ ephemeridis *Le Messager du S. Cœur de Jésus*, pag. 168; et authentica est pro omnibus fidelibus, quamvis in libello nuper citato non adnotetur. Ita respondit Director generalis Apostolatus orationis a nobis expresse de hac re interrogatus.

2° Conditio generalis ad has indulgentias per precum vel invocationum recitationem

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

lucrandas apposita est, ut pie, devote et corde contrito recitentur.

3° Cum dicimus: *ordinariis conditionibus* ad plenarias indulgentias lucrandas, intelligimus confessionem, communionem et orationem juxta Ecclesiæ et Pontificis intentiones. Quod si oratio hæc visitando ecclesiam vel oratorium publicum fieri debeat, expresse subjicimus.

A. M. D. G.

APPENDIX

UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

cultus, qui maxime in sacrificio consistit: non enim Christus per se ita visibilem seipsum præbet, nec adeo sensili modo se Patri offert, ut quod homines agunt stricto et vero sensu sacrificium dici queat.

11. Quapropter, his omnibus in unum collatis, nonne innumeris amoris sui vinculis nos ministros suos sibi Christus copulavit? Quid? non modo inutiles sed nequissimi servi eramus, filii iræ et massa perditionis; decem millium talentorum immensum debitum, quod Deo Patri solvere tenebamur, tanti erat, ut impares prorsus ad solvendum essemus; nec preces aut sacrificia nostra id extundere unquàm poterant, ut Numinis vindictam a nobis averterent, qua morti æternæ, ligatis manibus et pedibus, tenebrisque exterioribus damnabamur. Christus misertus est nostri, suum nostrum debitum fecit; purissimo sanguine ex Corde suo amantissimo effuso, suaque morte plenissime solvit; lavit a criminibus innumeris animas hominum, iramque divinam a nobis avertit.

12. Neque hoc satis suo amori fuit. Infinitus est Cordis Jesu amoris thesaurus, immensa nos ipse dilectione prosequitur. Itaque, quis crederet? nos Deo Patri reconciliatos non in humili servorum conditione, ut merebamur, reliquit, sed ad filiorum, amicorum, fratrumque suorum dignitatem

evexit, cumulavit adhuc aliis bonis quibus, naturæ proportione servata, nos sibi æquales constituit, ut veluti reges, judices, lux et pontifices in hoc mundo ageremus, sicut ipse a Patre suo ad homines missus fuerat. Hæc sunt aurea amoris vincula, hæc charitatis pretiosissima ligamina, quæ si fregerimus, ingratissimi et crudelissimi animi signa non indubia dabimus.

13. Verum quoniam extremam hanc relationem, quæ nobis Dei sacerdotibus specialissima est, vix delibare potuimus, sequenti capitulo fusiori sermone considerabimus. Interea præ oculis habeamus, quæ Cor Patris, Fratris et Amici nostri amantissimum nobis nequissimis servis suis contulit ut, dignitate nostra perspecta, majori studio in Christum feramur, atque sanctimoniæ amore hoc tanto munere digniores efficiamur, nec non arctius Deo et Christo suo conjungamur, cui laus et sempiterna gloria sit et concinatur in cœlis.

Caput II.

De missione ecclesiasticis et religiosis viris a Corde Jesu tradita.

1. Missionem suam Christus Dominus uno verbo apud Lucam expressit, cum ait: «Ignem veni mittere in terram, et quid volo

nisi ut accendatur (1)? » Scilicet ejus Cor ardentissimo erga homines æstuabat amore, ut eos a servitute liberos redderet et Patri suo reconciliaret; ideo cum eos in interitum abripi videret, nec ullum aliud eos eripiendi medium esse, quod Pater nec hostiam nec oblationem vellet, nec ipsi holocausta pro peccato placerent; corpore sibi aptato atque a Patre voluntarie accepto, inquit: « Ecce venio (2). » Scilicet intensissimo Filius erga Patrem amore flagrabat, quem indignissime ab hominum turba offendi videbat; quare ad ejus gloriam reparandam, honoremque ipsi debitum reddendum, vehementissimo ardebat desiderio. Hic est ignis, hæc missio præcipua Cordis Jesu, nec aliud sibi, cum in mundum veniret, evidentissime proposuit: « Non quæro, inquit, gloriam meam... Descendi de cælo, ut faciam voluntatem ejus qui misit me (3)... Non veni vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam (4). »

2. Cum vero in Corde suo hunc ignem gereret, voluit Christus, ut Patris missionem impleret, in apostolos et discipulos suos immittere, ut hi eo accensi eodem deinde ceteros homines accenderent, atque Evangelium prædicandi officium totumque orbem ad Deum convertendi plene et efficaciter obirent, quo Patris gloria repararetur, ipsi-

(1) Luc. XII, 49.
(2) Ad Hebr. X, 5-7.
(3) Joan. VIII, 50 — VI, 38.
(4) Luc. V, 32.

que perpetuus cultus et debitus ab omnibus redderetur. Itaque suam eamdem missionem discipulis tradidit et per eos nobis; ipse ignem dedit, nostrum est excitare atque undique diffundere; ipse ignem dedit quem e cœlo attulit, suoque exhausto corpore et corde cruci affixus visibilem prodidit; nos, hoc recepto igne, dilatare atque quocumque afferre debemus, ut omnes homines eodem æstuent, atque se Patri holocaustum offerant, ut criminum multitudo extinguatur et Dei gloria augmentum capiat.

3. Quamobrem continuo Christus addit: « Et quid volo nisi ut accendatur? » Non ab ipso sed a nobis accendendus est ignis, primo in nobis ipsis, deinde in aliis: ideoque Christus hujus combustionis tempus definivit cum adjecit: « Baptismo habeo baptizari et quomodo coarctor usque dum perficiatur (1). » Baptismus hic passio est et mors ejus, Christi autem Cor coarctabatur suæ passionis exitum et mortem anhelans; quia nisi prius ipse tormentorum igne ureretur in cruce, ignis charitatis et zeli Spiritus sancti exilire nequibat. Jam ipso post passionem et mortem in cœlum redeunte, apostoli reliqui fuerunt qui, Spiritu sancto recepto, ignem de quo ardebant in aliis excitarent ac per universum orbem diffunderent;

(1) Luc. XII, 50.

ut revera effecerunt, nobis relicta idem prosequendi missione.

4. At hujusmodi divinam missionem exequi nequibamus, nisi Redemptor noster potestatibus quibusdam et officiis instrueret, quæ veluti media ad agendum essent. Et hæc tradidit nobilissima et efficacissima instrumenta, quæ ut sui amoris signa etiam haberemus, atque ei sincero uniremur amore. Hæc singillatim considerare oportet, postquam de Christi ipsius missione aliquid speciatim innuerimus, quæ nostra missio est. Instrumenta autem hujusmodi ad hæc quatuor reduci possunt: a) potestas *docendi* et Christi regnum per Evangelii prædicationem propagandi ac stabiliendi; b) potestas *clavium* nempe ligandi vel solvendi, retinendi vel remittendi peccata; c) potestas *sacrificium offerendi* et latriæ cultum Deo reddendi; d) denique potestas *mediationis* inter Deum et homines exercendæ.

I.

De Christi ipsius missione.

1. De Christi missione in genere diximus: « Deus charitas est..... ignis consumens est (1); » propterea Filium suum in hunc mundum misit, ut suæ charitatis igne homines combureret. « Benedictus Deus, inquit,

(1) I. Joan. IV, 16 - Ad Hebr. XII, 29.

D. Paulus, et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali, in cœlestibus, in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus in charitate (1). » Hunc igitur charitatis ignem Verbum Dei secum e cælo afferens, primum sanctissimo suæ humanitatis Cordi communicavit, ut eodem flagraret charitatis ardore, quo Deus natura sua consumitur.

2. Itaque jam ex primo suæ conceptionis momento Cor sacratissimum Jesu charitatis igne combustum incredibili ardore erga Patrem suum ferebatur, deinde erga homines, quos toto animi affectu complexum est. Sed cum eos hac eadem charitate ardere vellet, atque peccatorum labes obstarent, oportuit sane ab iniquitate liberos facere, lavare criminibus, dæmonum servitutem ab eis excutere. Quod utique effecit per illam amoris combustionem, qua corpus suum cruci adhærens combustum est, anima immensurabili tristitia ac dolore consumpta, cor vero dilaniatum et exsiccatum ardore.

3. Hoc holocausto oblato, sua, ut debuit, Christus missione functus est, ut diceret: « Consummatum est (2). » Nam hoc sacrificio plenissime Patri suo satisfecit, ejus gloriam ab humana iniquitate conculcatam

(1) Ad Eph. I, 3-4. (2) Joan. XIX, 30.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

reparavit, atque omnium mortalium ex sese crimina delevit, vere « Agnus Dei qui tollit peccatum mundi (1). » Unum tamen reliquum erat, videlicet ut amoris Dei ignis in hominum cordibus accenderetur. Id tamen omnino a seipso perficere noluit, nisi quod humanos præparaverit ad hunc ignem recipiendum animos, ac viam ad hanc amoris combustionem straverit, homines aliquos instruxerit, qui hoc fungerentur officio, et alium a Patre Paraclitum in mundum immiserit, qui hoc charitatis opus sua vice compleret.

4. Et revera ipse mentes et hominum corda instruxit, quoniam sanis doctrinis et veritatibus e cœlo allatis imbuit ac funditus ignorantibus revelavit; ipse unicam religionem et veram docuit, unumque Deum ejusque attributa manifestavit, quæ oblivioni inter homines tradita fuerant; corda vero hominum speciatim præceptis morum integerrimis, perfectissimæ sanctimoniæ consiliis, omniumque virtutum exemplis refecit; hæc enim potissimum toto vitæ suæ curriculo præbuit. Quî enim charitas hominum animos penetrare potuisset, nisi expurgati peccato, sana mente et sanis moribus ad Deum elevarentur? Cœpit ergo Jesus ab initio vitæ suæ facere et docere, taliaque doctrinæ, præceptorum exemplorumque suo-

(1) Joan. I, 29.

rum monumenta post se reliquit, quæ satis superque disponendis animis ad Dei amorem recipiendum essent.

5. Ad hæc, sanctissimus Redemptor tum oblato sacrificio, tum meritis precibusque suis viam stravit; cum enim charitatis ignis supernaturale Dei donum esset, fieri non poterat ut nostris actibus vitæque etiam sanctimonia, bonisque moribus mereremur. Hujus igitur doni pretium cruci affixus Jesus Patri obtulit ac plene pro nobis meruit, quia Filius Dei cum esset quilibet ejus actus infinita æstimatione dignus erat, et quem Pater repellere nequibat. Huic pretio « preces supplicationesque addidit, atque ad eum, qui posset illum salvum facere a morte, cum clamore valido et lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia (1). » Ita factum est, ut nullum a parte Dei obstaculum esset quominus charitatis donum reciperemus.

6. Quare Christus Dominus apostolos et discipulos in universum orbem misit, ad hunc ignem scilicet diffundendum et excitandum, quo ex seipso atque per cælitus immissum Spiritum horum discipulorum jam corda repleverat, « Repleti sunt enim omnes Spiritu sancto, et cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis (2). » Voluit exinde Jesus ut hic

(1) Ad Hebr. v, 7-8. (2) Act. Apost. II. 4.

Spiritus jugiter in Ecclesia permaneret, atque potissimum apostolorum discipulorumque successores pervaderet, nec non perenni imbueret doctrinæ luce et animi virtute ; ut alii et deinde alii homines usque ad mundi exitum sua charitate inflammarentur.

7. Cum autem duplex sit charitatis objectum, Deus videlicet et proximus, quorum primum princeps est, secundarium alterum, primum ut principium, alterum ut consequens ; Christus tamen decrevit, ut per secundum primum manifestum ab hominibus fieret. Itaque hoc secundum in ultima cœna, quasi sua extrema voluntas esset, amoris testamentum præceptumque novum aperte imposuit : « Mandatum novum, inquit, do vobis... Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem sicut dilexi vos (1). » Nec alio sane modo, dum nobiscum moraretur, suam Christus erga Patrem charitatem ostendit : cum enim morti proximus esset : « Jam non multa loquar vobiscum, inquit, venit enim princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam. Sed ut cognoscat mundus quia diligo Patrem, et sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio. Surgite, eamus hinc (2). » Quasi diceret : « Jam proximus morti sum, quia princeps hujus mundi venit, scilicet meam mortem parat ; verum non quod ipse in me potestatem ullam habet ego trador morti, sed quia diligo Patrem ego a me ipse pro vobis sanguinem fundam ; hoc enim mandatum a Patre accepi. Igitur ut mundus cognoscat quia diligo Patrem, eamus, ut libenter me morti tradam ac vos salvos faciam. » Signum ergo amoris erga Deum est dilectio proximi ; maximum autem charitatis signum, ut vitam ipsam, si oporteat, in proximi utilitatem tradamus. Contra vero « Si quis dixerit quia diligo Deum et fratrem suum oderit, mendax est... Qui enim non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt quomodo potest diligere (1) ? »

(1) I. Joan. XIII, 34. - XV, 12. (2) Joan. XIV, 30, 31.

8. Quamobrem non modo per sui holocaustum, sed omnibus vitæ suæ actibus hanc ardentissimam erga homines charitatem Christus latissime demonstravit, frequentissime exercuit, plenissime verbis et operibus commendavit. Ipse omnium hominum tum animæ, tum corporis infirmitatibus occurrit, prodigiis quamplurimis levavit, verbis consiliisque curavit. Mirum sane est qua pietate ac misericordia Jesu Cor angebatur, quotiescumque homines corporis aliqua infirmitate vel animi angustia laborare videret, quos teneros sensus præsetulerit, nec labori nec lacrymis parcens. Quæ non modo Samaritani, Pastoris ovium, Patrisfamilias, aliisque edictis parabolis

(1) I. Joan. IV, 20.

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

nota fiunt, sed innumeris factis quæ passim in Evangeliis leguntur, quæque nonnisi specimina multorum aliorum sunt, quæ sacri scriptores scriptis consignanda arbitrati non sunt. Meminerimus tamen mulierem samaritanam, adulteram, Mariam Magdalenam, Lazarum a mortuis revocatum, filium viduæ matri redditum, cæcum natum et probaticæ piscinæ paralyticum, turbam tot millium hominum bis prodigio refectam, atque tot alia, quæ hîc in mentem revocare non præstat, cum nemo de hac flagrantissima Cordis Jesu erga homines charitate dubitare jam possit.

9. En quomodo amantissimus Jesus, sibi semper constans, sua habita missione fungebatur; nihil anhelans, nihil præ mente habens nisi ut charitatem in hominum animas instillaret, ut facilius opus suis discipulis relinqueret, a quibus ignis hic erat in orbe terrarum excitandus. Gratias agamus Christo nostro et Deo, qui nos tanto prosequutus est amore, atque, eo duce, quæ ipse egit agamus, hæc enim eadem est missio nostra, hæc voluntas Christi est, patris, fratris et amici nostri charissimi voluntas, quam ut suum testamentum nobis ministris suis tradidit: « Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur? »

II.

De missione et potestate Apostolis a Christo traditis.

1. Antequam ex hac terra cederet iturus in cœlum, Christus adstantibus discipulis ait: « Data est mihi omnis potestas in cælo et in terra, euntes ergo docete omnes gentes, etc. (1). » Sed antea, ut apud Joannem legimus, jam dixerat: « Sicut misit me Pater et ego mitto vos (2). » Ex quibus missionem et potestatem discipulis a Christo traditas colligimus. Omnia Christo a Patre donata fuerunt, omnis ei potestas data; nempe eadem illimitata potestas, quam æternum Verbum natura sua possidet, Christo homini collata est, tum ob unionis hypostaticæ dignitatem, tum quia ob merita passionis et mortis suæ, quasi omnium dominator hanc sine limitibus Christus adeptus est potestatem. Hac igitur suprema et universali potestate agens hominum Salvator discipulos suos, quasi Evangelii præcones, suosque vicarios in orbem terrarum misit, ut eamdem prosequerentur missionem, eademque auctoritate, atque iisdem uterentur facultatibus, quas ipse a Patre accepit; ideo jam dixerat: « Sicut misit me Pater et ego mitto vos. » Scilicet mea est voluntas,

(1) Matth. xxviii, 18. (2) Joan. xx, 21.

ut vos discipuli mei similem potestatem, auctoritatem atque eumdem amoris finem et modum in missione exercenda habeatis, quæ ego habui; et mihi æquales, proportione servata, adjungamini, simili officio functuri.

2. Itaque non est cur dubitemus quin eadem sit Christi et apostolorum missio, ut sicut ipse ad ignem charitatis hominibus afferendum missus fuit, quo sane mortales omnes, peccato deleto, Deo unirentur eique cultum debitum redderent; ita apostoli et discipuli toto orbe diffusi hunc Christi ignem verbo ac miraculis propagarent, atque in unum electos Dei congregarent ad regnum perpetuum stabiliendum, charitate ipsa coagmentatum, innixum et solidatum. Sicut Christus venit, ut igne charitatis suæ omnia ad se traheret, postquam cruci affixus elevaretur a terra; ita apostoli et discipuli hac ipsa imbuti charitate, omnia ad Christum traherent, ut homines omnes redemptionis munere fruerentur.

3. Talis etiam nostra missio est, divina quidem et « omnium divinorum divinissimum opus, cooperari Deo in animarum salutem. » Talis, inquam, nostra missio est, quia vita functis apostolis et primis Christi discipulis, ab ipsis nobis commissa atque a Christo, qui post superius allata verba, statim addidit: « Et ecce ego vobiscum

sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi (1). » Profecto non cum iis quos præsentes habebat futurus erat Christus usque ad mundi exitum, sed cum eorum legitimis successoribus, quibus a supremis Pastoribus datum esset, ut suum opus suamque missionem prosequerentur. Utique nos etiam præ oculis Christus habuit, cum et pro nobis Patrem in ultima cœna oravit: « Non pro eis rogo tantum, sed et pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me (2). »

4. Tantisper nunc in genere potestatem consideremus a Christo apostolis collatam et per eos nobis. « Sicut misit me Pater, inquit, et ego mitto vos. » Pater Filium suum universali et suprema potestate præditum misit: data est enim illi omnis potestas in cœlo et in terra; ideo nobis universalis et suprema est potestas, ut omnia in cœlis et in terra possimus, quæ Christus ipse potuit. Hoc confirmatur quod supra innuimus, videlicet nos reges, judices, doctores ac pontifices in mundo esse constitutos, tanta præditos potestate, quanta nulla potest esse major. Etenim non modo ministri Christi sumus, sed ejus vices gerimus, vicariam ejus exercemus potestatem tanta roboratam auctoritate, ut nihil Deus velit quod nos

(1) Matth. XXVIII, 20. (2) Joan. XVII, 20.

non venmus, nihil agat de quo nos non consentiamus.

5. Hoc, quod incredibile videri posset, Salvatoris nostri verbo ediscimus, qui dixit: « Dabo tibi claves regni cœlorum: quodcumque ligaveris super terram erit ligatum et in cœlis, et quodcumque solveris super terram erit solutum et in cœlis (1). » Et alibi omnibus suis discipulis promisit: « Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam (2). » Itaque relate ad nos suos ministros vere obediens est Deus voci hominis, et quidquid nos proponimus exequitur. Neque hoc satis: vult enim ut nos homines revereantur, nobisque sicut sibi et Patri suo subjiciantur: « Qui vos audit, inquit, me audit: et qui vos spernit me spernit. Qui autem me spernit, spernit eum qui misit me (3). » O altissima dignitas! o summa sacerdotis potestas!

6. Audiamus S. Joannem Chrysostomum sacerdotii dignitatem et potestatem extollentem: « Si quis secum reputet, inquit, quantum sit illud, nempe hominem carne et sanguine involutum, prope beatam illam et immortalem naturam constitui, tum probe intelliget quanto honore Spiritus gratia sacerdotes ornaverit. Nam per eos hæc peraguntur, aliaque his nihilo inferiora, quæ

(1) Matth. xvi, 19. (2) Joan. xiv, 13.
(3) Luc. x, 16.

ad dignitatis salutisque nostræ rationem spectant. Etenim qui terram incolunt in eaque commorantur, ad ea quæ in cælis sunt dispensanda commissi sunt, potestatemque acceperunt quam neque angelis neque archangelis dedit Deus (1). » Agnosce igitur, o sacerdos, dignitatem tuam, recole quanto honore quantaque potestate cumulatus fueris a Christo, et perspice hæc ex nimia Cordis sui dilectione tibi collata: cum enim homines diligeret Christus, rĕdiens in cœlum non orphanos relinquere Pater amantissimus voluit, sed in sacerdotes paterna sua viscera cum sua dignitate et sua potestate transfudit, ut hi seipsum non perfunctorie sed reapse et digne in populorum emolumentum repræsentarent.

III.

De potestate docendi.

1. « Euntes docete omnes gentes... docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis... Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit: qui vero non crediderit condemnabitur (2). » Hæc sunt hujus potestatis fundamenta, quam suis ministris tradidit Christus; hac nos universi orbis veritatis doctores constituit, ea plane ratione

(1) De Sacerd. I. 3, 5.
(2) Matth. xxviii, 19. - Marc. xvi, 16.

qua initio discipulis dixerat: « Vos estis lux mundi. » Profecto Jesus Dei sapientia est per se veritatis Doctor et Magister in mundo; ipse de se dixit: « Ego sum veritas... Ego sum lux mundi (1); » ipsum nobis Pater audiendum et instrueremur dedit, cum apud Jordanem, Jesu baptizato, vox audita est: « Hic est filius meus dilectus... ipsum audite (2). » Hic veritatis Doctor in has terras missus est a Patre, ut esset « lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (3); » ut sicut « Rex super montem Sion prædicaret præceptum ejus (4). » Cum enim homines « obliti fuerint Dei Creatoris sui, et foderint sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas (5); » scilicet sculptilia sibi fecerint, quæ eos ad vitia allicerent; aurum, divitias et voluptates adamaverint, ut beatitate aliqua, si possent, fruerentur; Filius Dei hujus hominum miseratus inscitiæ, venit docere veritatem.

2. At cum nollet se visibilem ubique vel perpetuo hominibus præbere, discipulis et per eos nobis docendi et prædicandi officium commisit, hanc dedit potestatem ut omnes gentes doceremus, quæ ipse docuit et præcepit; voluitque ut omnes verbo suo

(1) Joan. XIV, 6 — VIII, 12.
(2) Matth. XVII, 5.
(3) Joan. I, 9.
(4) Psalm. II, 6.
(5) Jer. II, 13.

per nostra verba crederent, atque sacro abluti lavacro, bona opera agerent et salvi fierent. Primi omnium apostoli, Spiritu sancto recepto, hoc munere functi sunt: « In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum (1); » ideo factum, ut per verbum a Christo receptum homines veritatem agnoscerent, atque in meliorem frugem revocarentur. Hoc deinde munus apostoli aliis tradiderunt, a quibus et aliis erat ad nos usque et ad mundi exitum committendum, quia « veritas Domini manet in æternum » et Deus semper est ab hominibus colendus.

3. Et ne ambigerent homines de apostolorum eorumque successorum doctrina, Spiritum sanctum Christus promisit, qui eos omnem veritatem doceret, cum eisque jugiter permaneret (2); necnon suam invisibilem in Ecclesia præsentiam affirmavit: « Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi (3). » Itaque verendum nobis non est ne erremus, si perseveranter doctrinæ adhæreamus, quam Ecclesia docet, eamque homines doceamus, præ oculis Christum cruci affixum habentes, ne hominum minas metuamus. Etenim timere homines qui corpus occidunt vetitum est, animam enim non possunt occidere;

(1) Ad Rom. X, 18.
(2) Joan. XIV, XVI.
(3) Matth. XXVIII, 20.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

lucrandas apposita est, ut pie, devote et corde contrito recitentur.

3° Cum dicimus: *ordinariis conditionibus* ad plenarias indulgentias lucrandas, intelligimus confessionem, communionem et orationem juxta Ecclesiæ et Pontificis intentiones. Quod si oratio hæc visitando ecclesiam vel oratorium publicum fieri debeat, expresse subjicimus.

A. M. D. G.

APPENDIX

UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

CONSPECTUS

CÆREMONIARUM SS. SACRIFICII MISSÆ AD SACERDOTUM UTILITATEM

PROŒMIUM

« Quanta cura adhibenda sit, ut sacrosanctum Missæ sacrificium omni religionis cultu et veneratione celebretur, quivis facile existimare poterit, qui cogitavit, maledictum in Sacris litteris eum vocari, qui facit opus Dei negligenter. Quod si necessario fatemur, nullum aliud opus adeo sanctum ac divinum a Christifidelibus tractari posse, quam hoc ipsum tremendum mysterium, quo vivifica illa hostia, qua Deo Patri reconciliati sumus, in altari per sacerdotes quotidie immolatur; satis etiam apparet, omnem operam et diligentiam in eo ponendam esse, ut quanta maxime fieri potest interiori cordis munditia et puritate, atque exteriori devotionis ac pietatis specie peragatur (1). »

(1) Conc. Trid., Sess. XXII Decr

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

« Ideo sancta mater Ecclesia... nunquam destitit, omnem curam, operam diligentiamque in id conferre, ut tam tremendum mysterium a sacerdotibus... debito sacrarum cæremoniarum ac rituum apparatu cultuque celebraretur, ut ipsius mysterii magnitudo et majestas vel externa quoque specie magis eluceat, et fideles ad rerum divinarum, quæ in tam admirabili et venerando Sacrificio occulte continentur, contemplationem excitentur (1). »

Cum vero sæpe contingat, ut temporis decursu Ss. hujus Sacrificii externæ cæremoniæ in oblivionem abeant, ideoque desuetudine effluant ; operæ pretium sacerdotibus facturos rati sumus, si eas manuali libello, tabellis quibusdam, eorum conspectui exponeremus, ut eas frequenter pervideant, in rebusque dubiis consulant, ne in Missæ celebratione aliquid prætereant, omniaque cum ea dignitate et reverentia peragant, quas et sacrosanctum ipsum Sacrificium et sancta romana Ecclesia a suis Presbyteris exquirunt. Tabellas hujusmodi a libro, cui titulus « Manuale Sacerdotum P. Jos. Schneider Soc. Jesu » quibusdam mutatis et adjectis, desumpsimus.

(1) Pius IX in Encycl. 3 majî 1858.

CONSPECTUS

CÆREMONIARUM MISSÆ PRIVATÆ

I. Signa crucis facit celebrans:

A. Super seipsum ad verba :
1) *In nomine Patris* etc. initio Missæ
2) *Adjutorium nostrum* etc.
3) *Indulgentiam* etc.
4) *Ad Introitum* (in Missa de Requiem super librum).
5) *In gloria Dei Patris*, in fine *Gloria*.
6) *Sequentia* vel *Initium sancti Evangelii* (post signatum pollice librum, ter super frontem, os et pectus).
7) *Et vitam venturi* etc. in fine *Credo*.
8) *Benedictus qui* etc. in fine *Præfationis*.
9) *Omni benedictione* etc. in Canone.
10) *Da propitius* etc. cum patena.
11) *Corpus* vel *Sanguis D. N. J. C.* cum hostia vel calice.

B. Super hostiam et calicem manu recta, ad verba :
1) *Benedic hoc sacrificium* etc. (semel super oblata).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

2) *Hæc dona* etc. (ter super oblata).
3) *Benedictam*, *adscriptam* etc. (ter super oblata).
4) *Ut nobis corpus* (super hostiam).
5) *Et sanguis* (super calicem).
6) *Benedixit* (super hostiam vel calicem ante utramque consecrationem).
7) *Hostiam puram* etc. (ter super oblata).
8) *Panem sanctum* etc. (super hostiam).
9) *Et calicem* etc. (super calicem).
10) *Corpus et sanguinem* (bis separatim super hostiam et calicem).
11) *Sanctificas* etc. (ter super oblata).

C. Cum s. hostia ad verba :
1) *Per ipsum* etc. (ter super calicem, tenendo manu sinistra).
2) *Patri omnipotenti* etc. (bis a calice ad pectus).
3) *Pax Domini* etc. (super calicem ter).

D. Cum ostia et patena, deinde cum calice super corporale post utrumque offertorium.

E. Manu super ampullam aquæ (præter quam in Missis defunctorum) ante offertorium calicis.

II. Inclinationes capitis.

NB. 1° Inclinatio capitis triplex est: *profunda*, quæ respondet cultui latriæ, et tanta

esse debet, quanta citra humerum attractionem fieri potest; *media*, quæ respondet cultui hyperduliæ, et minor prima fieri debet; *infima*, quæ respondet cultui duliæ et minima fit.

2° Inclinationes capitis fiunt versus librum cum legitur Evangelium, etiam si pronuntietur nomen *Jesu*. Cum vero pronuntian urntomina *Mariæ*, *Pontificis* et *Sanctorum* quorum festum agitur, nunquam versus crucem capitis inclinationes fieri debent.

Igitur fiunt inclinationes capitis versus crucem :

1) Ad *Crucifixum* (in sacristia eundo et redeundo).
2) *In medio altari* post apertum missale antequam descendatur ad introitum recitandum, et in fine antequam descendatur ab altari.
3) Ad *Gloria Patri* quoties occurrit.
4) Inter *Gloria in excelsis* ad verba : *Deo — Adoramus te — Gratias agimus tibi — Jesu Christe — Suscipe deprecationem — Jesu Christe.*
5) Ad *Oremus* quoties dicitur.
6) Ad nomen *Jesu* et *Ss. Trinitatis*.
7) Inter *Credo* ad verba : *Deum — Jesum Christum — simul adoratur.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

8) In Præfatione ad verba: *Domino Deo nostro.*
9) Ad utrumque *Memento*, dum fit commemoratio.
10) Ad verba: *Tibi gratias agens* ante utramque consecrationem.
11) Ad verba: *Per eumdem Christum D. N.* sed non ad *Nobis quoque peccatoribus.*
12) Inter *Agnus Dei* etc.
13) Ad verba: *Jesu Christi* (versus Ss. Sacramentum cum sacerdos signat se ante sumptionem cum hostia vel calice consecrato).
14) Cum dicitur *Placeat tibi, sancta Trinitas* etc.
15) Ad *Benedicat vos* cum dicitur *Deus.*
16) Ante discessum ab altari in infimo gradu capite operto, ubi non sit Ss. Sacramentum, secus genuflexio facienda.

III. Inclinationes corporis.

A. Inclinatio corporis media i. e. capitis cum magna humerorum attractione, sed absque profunda corporis depressione fit:

1) Ad verba: *Deus tu conversus* usque ad *Oremus* inclusive, non vero ad orationem *Aufer a nobis* etc.

2) Ad verba: *Oramus te, Domine*, usque ad *quorum reliquiæ.*
3) Ad verba: *In spiritu humilitatis* etc.
4) Ad verba: *Suscipe, sancta Trinitas* etc.
5) Ad verba: *Sanctus* usque ad *Benedictus* inclusive.
6) Ad utramque consecrationem (cubitis super altare positis).
7) Ad tres orationes ante communionem.
8) Ad verba: *Domine, non sum dignus* etc.
9) Ad communionem sacræ hostiæ.

B. Inclinatio corporis profunda i. e. tanta, ut manus pendulæ genua attingere possint, fit:

1) In accessu ad altare capite operto, nisi sit Ss. Sacramentum, quia tunc genuflexio fit.
2) Item antequam incipiatur Missa, nisi adsit Ss. Sacramentum.
3) Cum dicitur *Confiteor* usque ad *Amen* post *Misereatur.*
4) Cum dicitur *Munda cor meum* usque ad *Dominus sit in* etc. inclusive.
5) Ad *Te igitur* initio canonis usque ad *petimus* inclusive.
6) Cum dicitur *Supplices te rogamus* usque ad *quotquot.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

IV. Genuflexiones.

NB. 1° Genuflexio ita fieri debet, ut genu tangat terram vel suppedaneum.

2° Fiat corpore erecto et recto, non vero hinc vel inde incurvato. Genuflexio fit:

1) In plano *in accessu ad altare* et *in secessu ab eodem* unico genu si Ss. Sacramentum in tabernaculo asservatur; utroque genu si sit expositum.

2) Super primum gradum altaris *cum incipitur Introitus*, unico genu semper, quamvis Ss. Sacramentum sit expositum.

3) In suppedaneo:

a) Quotiescumque imperatur in *Epistola*, *Tractu* vel *Evangelio*.

b) In *Credo* ad verba: *incarnatus est* usque ad *homo factus est*.

c) Ante et *post elevationem* hostiæ et calicis.

d) Post consecrationem quotiescumque actio aliqua fieri debet hostia vel calice, et quidem ante et post actionem.

e) Ad verba ultimi Evangelii *Et Verbum caro* etc.

f) Ad *Flectamus genua*.

NB. 1° Si Missa celebretur ubi Ss. Sacramentum sit expositum genuflexio

fit quotiescumque a medio ad latsn altaris fiat transitus et deinde in reditu, sed semper in medio altari; necnon cum sacerdos vertitur ad populum.

2° Cum Ss. Sacramentum est expositum genuflexiones, quæ versus librum fieri deberent fiunt versus Ss. Sacramentum, excepta illa quæ fit ad *Flectamus genua*.

3° Quando Missa celebratur coram ligno sanctæ crucis palam exposito, genuflectendum est unico genu in accessu et recessu ab altari et quoties transitur ante medium altaris, seu a latere ad latus ex. gr. in incensatione Missæ solemnis.

V. Manuum positiones.

A. Manus prius junctæ extenduntur, elevantur usque ad humeros et non ultra et junctæ ante pectus demittuntur:

1) Ad *Gloria in excelsis Deo* (extendens et elevans).

2) Ad *Credo in unum Deum* (elevans et extendens).

3) Ad verba: *Veni sanctificator*.

4) Ad verba: *Te igitur clementissime Pater*.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

5) Ad *Memento* mortuorum usque ad finem.

6) Ad verba: *Benedicat vos* etc. vel *Benedictio Dei omnipotentis.*

B. Manus (prius non junctæ) extensæ elevantur et junguntur ante pectus:

1) Ad verba: *Sursum corda* usque ad pectus elevando et jungendo tantum ad *Deo nostro.*

2) Ad verba: *Fiat dilectissimi filii tui D. N. J. C.*

3) Ad *Memento* vivorum usque ad faciem.

C. Manus prius junctæ (non elevando) ante pectus extenduntur ab initio verborum et junguntur ad eorum finem:

1) Ad *Oremus*, tamen ante *Pater noster* prius non junguntur.

2) Ad *Dominus vobiscum*, ad populum versus.

3) Ad *Orate fratres.*

D. Manus prius extensæ (non elevando) ante pectus junguntur.

1) Post orationes ad verba *Per D. N. J. C.*, vel in alia conclusione *in unitate.*

2) Post Praef. ad *Sanctus* usque ad *Benedictus.*

3) Post *Communicantes*, ad verba *Per eundem.*

4) Post *Hanc igitur* ad verba *Per Chr. D. N.*

5) Post orationes *Supplices*, *Memento*, *Nobis quoque peccatoribus.*

E. Manus extensæ tenentur ante pectus, scilicet ita ut palma unius manus respiciat alteram, et digitis simul junctis, quorum summitas humerorum altitudinem distantiamque non excedat:

1) Infra orationes omnes usque ad *Per D. N. J. C.*, vel *in unitate* ubi diversa sit conclusio.

2) Per totam *Præfationem.*

3) Inter Canonem fere semper, nisi exceptio exprimatur.

F. Manus apertæ et junctæ ita ut pollex dexteræ cum pollice sinistræ crucem efformet, ponuntur super oblata:

Ad Verba: *Hanc igitur oblationem* usque ad *numerari.*

G. Manus extensæ super altare ponuntur:

1) Quoties *celebrans osculatur altare.*

2) Quoties *flectit genu ad altare*, excepta genuflexione immediate ante hostiæ elevationem, quia digitis hostiam tenet.

3) Ad verba Præfationis *Per omnia — Dominus vobiscum.*

4) Ante *Pater noster* ad *Per omnia* etc.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

5) Inter *Epistolam*, *Graduale*, *Sequentia* manus possunt poni super altari vel libro.

H. Manus sinistra super altari ponitur, sive intra sive extra corporale juxta rubricas:

1) Inter *signum crucis* ad Introitum in Missa defunctorum.
2) Ad verba: *Nobis quoque peccatoribus*.
3) Inter *Libera nos* usque ad *da propitius* etc.
4) Ad *Miserere nobis* post primum *Agnus Dei* usque ad finem, exceptis Missis de requiem.
5) *Patenam tenens* inter signum crucis cum calice ante sumptionem.
6) *Patenam tenens* dum porrigit calicem post sumptionem sanguinis.
7) Dum facit signum crucis super altare ad ultimum Evangelium sancti Joannis.

I. Manus sinistra ponitur:

1) *Super librum* quando dextera signatur Evangelium in libro.
2) *Super calicis pedem* dum calix tegitur vel detegitur.

K. Manus sinistra infra pectus ponitur, et quidem post consecrationem, ita ut parvus tantum digitus vestem tangat:

1) Quotiescumque dextera *sacerdos se signat*.
2) Dum *percutit pectus* ad *Confiteor*.
3) In fine Missæ *benedicens populum*.
4) Quotiescumque dextera sola occupata est, et sinistra poni nequit super altare.

L. Manus ambæ junctæ super oram altaris ponuntur, ita ut digiti parvi dumtaxat frontem seu medium anterioris partis tabulæ seu mensæ altaris tangant, residuo manuum inter se et altare retento, pollice dextro super sinistrum in modum crucis posito, nisi consecratio facta fuerit:

1) Ad verba: *Oramus te* usque ad verbum *reliquiæ* exclusive.
2) Ad verba: *In spiritu humilitatis*.
3) Ad verba: *Suscipe, sancta Trinitas*.
4) Ad verba: *Te igitur* usque ad *uti accepta habeas*.
5) Ad verba: *Supplices te rogamus* usque ad *ex hac altaris participatione*.
6) Inter *tres Orationes ante communionem*.
7) Ad verba: *Placeat tibi, sancta Trinitas* etc.

M. Manus junctæ ante pectus ita componuntur, ut extensis et junctis pa-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

riter digitis, pollex dexter super sinistrum ponatur in modum crucis:

1) Omnibus in casibus, ubi alia positio supra præscripta non est; hinc ad *Introibo — Kyrie — Gloria:*
2) Ante et post *Dominus vobiscum.*
3) Ante et post *Oremus* antequam manus extendantur ad orationem dicendam.
4) Ad verba: *Munda cor meum* etc. cum altare tangitur, item ad *Evangelium — Credo — Offertorium — Lavabo*, manibus detersis, — sub utroque *Memento* — post *Communionem hostiæ* — ante *Pater noster* — ad primum *Agnus Dei* et inter tria in Missis defunctorum — cum dicitur *Communio* — inter *ultimum evangelium* — et *ante omnem benedictionem.*

VI. Oculorum elevationes ad crucem.

NB. 1° Crux cum crucifixo, in altari in quo Missa celebratur, satis grandis esse debet, atque super tabernaculum inter candelabra ita poni, ut non modo Sacerdos, sed et populus eam intueri possit.

2° Cum Ss. Sacramentum exponitur unaquæque ecclesia vel diœcesis suam de cruce apponenda consuetudinem retinere potest.

3° Crux in elevandis oculis aspicienda est

a Sacerdote: oculi vero Sacramentum versus elevandi, cum expositum sit.

A. Oculi elevantur et statim demittuntur:

1) Ante verba: *Munda cor meum.*
2) Ad verba: *Suscipe, sancte Pater.*
3) Ad verba: *Veni, Sanctificator.*
4) Ad verba: *Suscipe, S. Trinitas.*
5) Ad verba: *Deo nostro*, sub initio Præfationis.
6) Ante verba: *Te igitur.*
7) Ad verba: *Elevatis oculis* ante consecrationem.
8) Ad verba: *Benedicat vos* in fine Missæ.

B. Oculi elevantur continuate:

1) Ad crucem, inter *Oblationem calicis.*
2) In Ss. Sacramentum inter *Elevationem hostiæ et calicis.*

C. Oculi intenduntur in Ss. Sacramentum:

1) Toto *Memento defunctorum*, dum Sacerdos orat.
2) Per totam *Orationem dominicam.*
3) Inter tres *Orationes ante Communionem.*

NB. Præter hos tres casus hæc oculorum intentio non præscribitur, licet fieri conveniat ad *Supplices*, *Agnus Dei*, *Domine non sum dignus* etc.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

VII. Oscula in Missa vel extra.

A. Fiunt in medio altari manibus extensis hinc inde positis:
1) Ad verba *Quorum reliquiæ*.
2) Ante *Dominus vobiscum* et *Orate, fratres*.
3) Inter *uti accepta habeas*.
4) Inter *ex hac altaris participatione*.
5) Post *Placeat* etiamsi non detur benedictio.

B. Osculandus *amictus* ubi est crux, *stola* et *manipulus* dum Sacerdos induitur et his vestimentis exuitur.

C. Osculandus missalis post recitatum Evangelium, et quidem ubi sunt prima verba textus sacri: non vero in Missa *de Requiem*.

D. Osculanda patena in extremitate ad verba: *da propitius pacem*; sed vitandum ne postea hostia hanc partem deosculatam tangat.

VIII. Prolatio verborum.

NB. 1° Triplici vocis modulatione Missa recitatur, nempe *alta*, *media* et *submissa* seu *secreta*. Dicitur *alta* quæ ab omnibus clare intelligatur, ita tamen moderata ut celebrantes in aliis altaribus non turbentur.

Dicitur *media* quæ aliquantulum elata sit seu tono familiari. Dicitur *submissa* seu *secreta* quæ a circumstantibus non audiatur, sed a solo Sacerdote proferente.

2° Submissa voce proferuntur in Missa solemni tantum, ut a solis ministris audiantur, quæ elata voce dicuntur in Missa privata, nisi illa cantentur in choro.

A. Voce alta proferuntur:
1) *Introibo* cum reliquis, *Introitus*, *Kyrie*, *Gloria*, *Credo*.
2) *Dominus vobiscum*, *Oremus*, *Collectæ*, *Epistolæ*, *Evangelia*, *Graduale*, *Sequentia*, *Offertorium*, *Præfatio*.
3) *Per omnia*, etc. *Præceptis salutaribus*, *Pater noster*.
4) *Per omnia* etc., *Pax Domini*, *Agnus Dei*.
5) *Communio*, *Postcommunio*.
6) *Ite*, *Missa est* — *Benedicamus Domino* — *Requiescant in pace*.
7) *Benedicat vos* etc.

B. Voce media dicuntur:
1) *Orate*, *fratres* etc.
2) *Sanctus*, *Benedictus qui venit*, *Nobis quoque peccatoribus*.
3) *Domine*, *non sum dignus* etc.

C. Voce submissa seu secreta alia omnia dici debent, sed maxime *verba consecrationis*.

D. Memoriter dicenda sunt quæ com-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

mode vel decenter legi non possunt, præsertim: *Munda cor — Sanctus — Supplices — Offerimus — Pater noster — Credo* etc. tres orationes ante communionem.

IX. Aliqua notatu digna.

Non omnia hîc referre mens est, quæ in rubricis missalis pro Missæ privatæ celebratione inveniuntur, sed aliqua notatu digna, quæ vel ibi vel ex S. R. C. responsis certa habentur, vel fere certa ex Auctoribus bene probatis.

A. De præparatione Sacerdotis.

1) Sacerdos perquirit Missam, perlegit et signacula ordinat ad ea quæ dicturus est.

2) Licet uti palla a parte superiori panno serico cooperta et auro contexta, dummodo pars inferior linea sit et superior non sit nigri coloris aut aliqua mortis signa referat (S. R. C. 10 jun. 1852).

3) Non licet in fimbriis et manicis albarum et aliarum vestium sub velo transparenti fundum rubrum adhibere (S. R. C. 17 aug. 1833).

4) Alba, amictus, mappulæ, corporale, purificatorium et palla debent esse ex lino vel cannabe (S. R. C. 15 maji 1819).

5) Cingulum potest esse lineum, vel sericum vel ex lana, et coloris paramentorum (S. R. C. 22 jan. 1701 - 8 jun. 1709 - 23 dec. 1862).

6) Non licet deferre super calicem clavem tabernaculi, perspicilla, sudarium, nec quidquam aliud (S. R. C. 1 sept. 1703).

7) Curandum ut alba circumcirca honeste dependeat et tegat vestes, necnon æqualiter ad terram fluat.

B. De ingressu ad altare.

1) Procedit Sacerdos oculis demissis, incessu gravi, erecto corpore et neminem salutat, nisi Prælatos, capitis inclinatione.

2) Si contingerit transire ante altare majus, ubi non est Ss. Sacramentum caput coopertum inclinat; sin autem ante altare, ubi asservatur Ss. Sacr., genuflectit uno genu, capite cooperto; utroque genu genuflectit coram sanctissimo Sacramento exposito, sed caput aperit cum jam genua flexerit, nec surgit antequam caput iterum non cooperiat, facta adoratione (S. R. C. 24 jul. 1638). Itaque non laudandi qui capite *aperto* abeunt, donec sint extra conspectum altaris.

3) Si Sacerdos transeat ante altare in quo celebratur Missa et *elevatur* vel

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

administratur Ss. Sacr.. genuflectit, utroque genu, aperit caput, adorat et non surgit nisi cum calix sit super corporale, et cooperit caput antequam surgat; non vero remanet genuflexus donec et quousque terminetur communio populi (S. C. R. 5 jul. 1698).

4) Si transeat per altare, ubi consecratio facta fuerit, unico genu genuflectit, sicut ante altare ubi asservatur Ss. Sacr. in tabernaculo: quod si debeat transire ante plura ex his altaribus ubi Missa celebratur, una vice genuflectat coram altari viciniori illi in quo est celebraturus.

5) Si obviet Sacerdoti deferenti Ss. Sacramentum, detecto capite utrumque genu flectit, donec ille e conspectu transierit.

6) Si alicubi lignum Ss. Crucis expositum patenter sit, eædem serventur rubricæ ac pro Ss. Sacramento in tabernaculo asservato (S. C. R. 23 maji, 1856).

C. De primis precibus vel lectionibus Missæ usque ad ofertorium.

1) In Missa privata non licet ministro aperire Missale (S. C. R. 7 sept. 1816).

2) Satagendum quidem est, ut minister debite calleat quæ sui officii sunt; quod si male respondeat, Sacerdos

suppleat sine scrupulo Urgente necessitate, potest Sacerdos *uti ministerio mulieris tantum pro responsis* (S. R. C. 27 aug. 1836).

3) Genuflexio coram Ss. Sacr. initio et in fine Missæ *in plano* fieri debet.

4) Finita confessione, celebrans coram Ss. Sacr. exposito, ascendit ad altare, *sine genuflexione*.

5) Ratio osculandi altare, cum celebratur coram Ss. Sacr. exposito, hæc est, ut quoties Sacerdos jam est in medio altaris, prius illud osculari debeat et postea genuflectere; sin vero venit ab aliquo altaris latere, prius genuflectat, deinde osculetur altare (Gardellini).

6) In Missis defunctorum Sacerdos nec osculatur evangelium, nec dicit *Per evangelica dicta*, sed minister respondet *Laus tibi, Christe* (S. R. C. 11 sept. 1847).

7) Ubi sermo populo sit faciendus, fiat post evangelium, non autem post *Credo*.

D. De offertorio et canone usque ad consecrationem inclusive.

1) Si consecrandæ sint parvæ hostiæ vel in pyxide vel in calice positæ, discooperiendum est vas dum offertur et dum consecratur hostia magna tantum, deinde statim cooperiendum.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

2) Patena in offertorio hostiæ pollice et indice apertis tenenda est, aliis manuum digitis in medio subter patenam junctis.

3) Usus parvi cochlearis ad aquam hauriendam non est prohibitus (S. R. C. 6 febr. 1858).

4) Duabus manibus sustentandus calix in offertorio, in elevatione, et quotiescumque elevatur, ita ut manu dextera teneatur nodus infra cuppam, sinistra pes.

5) Cum Ss. Sacr. est expositum ad *Orate fratres*, Sacerdos non complet circulum nec vertit terga Ss. Sacramento; item cum dicit *Dominus vobiscum;* sed e latere se vertit ad populum.

6) Item Ss. Sacr. exposito, ad lotionem manuum post offertorium, Sacerdos quin vertat terga Ss. Sacramento descendat e latere evangelii in plano, deinde facie versa ad populum lavet manus et abstergat ac ascendat ad cornu epistolæ (S. R. C. 22 aug. 1682 et 12 nov. 1831).

7) Incœpto Canone non potest Sacerdos Missam interrumpere et genuflectere, quando tabernaculum aperitur; sed solummodo parum e medio recedere potest (De Herdt I, 230).

8) Cum consecratio hostiæ facienda est,

ponat hinc inde Sacerdos cubitos super altare et caput inclinet.

9) Verba consecrationis utriusque proferenda sunt *continuate*, i. e. sine interruptione; *naturaliter*, i. e. ut phrasim et sensum efforment; *reverenter* absque conatu, aspiratione, capitis motu aut contorsione; *assertive* cum intentione efficiendi quod significant (non est autem necesse ut tunc fiat hæc intentio); *secreto*, i. e. voce ita demissa, ut a circumstantibus non possint audiri; *semel* tantum.

E. De canone post consecrationem et de aliis usque ad communionem inclusive etc.

1) Caput inter utrumque Canonem inclinatur non modo ad nomina Jesu, Mariæ et Pontificis, sed etiam ad nomina Sanctorum, quæ ibi inveniuntur et quorum celebratur Missa vel fit commemoratio.

2) Tolerari potest consuetudo pulsandi campanulam a ministro, non modo ad *Sanctus* et ambas elevationes, sed etiam ad *Domine, non sum dignus* et quoties administratur communio populo (S. R. C. 14 maji 1856).

3) Si parvæ hostiæ in pyxide consecratæ fuerint, ubi non facienda sit communio populo, asserventur in taber-

naculo ante sanguinis sumptionem. Quod si communio danda id fiat post calicis sumptionem.

4) Ciborium purificandum ante calicis sumptionem, ut in calicem particulæ immittantur, et deinde post sanguinis sumptionem, etiam ciborii purificationes vino primum, deinde aqua faciendæ.

5) Cum communio danda est populo, Sacerdos aperit tabernaculum et statim genuflectit, deinde accipit ciborium discooperit et genuflectit, ac e latere, quin terga vertat Ss. Sacramento, pronuntiat absolutionem generalem; postea tenens sinistra ciborium et purificatorium vertit se ad populum, et dextera elevat unam hostiam proferens verba *Ecce Agnus Dei* etc. et ter *Domine, non sum dignus*, nec prius descendat antequam hæc complete recitet. In unaquaque communione danda, crux cum hostia facienda super ciborium.

6) Non licet frangere et pro fidelium communione distribuere hostias magnas, quæ pro ostensorio renovandæ sunt (S. R. C. 3 sept. 1672. Gardellini).

7) Licet ex ultimis responsis dare communionem populo ex præconsecratis

et renovare ciborium etc. in paramentis Missæ nigris; sed non danda *benedictio*, ubi communio detur ante vel post Missam.

8) Ablutio calicis nunquam solo vino vel sola aqua fieri potest, sine Pontificis dispensatione, idque de præcepto (De Herdt I, n. 83, XIV).

9) Non licet retinere corporale extensum super altare, toto tempore quo Missæ celebrantur et donec ab ultimo in sacristiam referatur; nec licet corporale extra bursam deferre (S. R. C. 13 sept. 1704).

10) Tum super altari, tum in deferendo, calix velo coopertus esse debet *totus in parte anteriori* (S. R. C. 12 jan. 1669 et 1 mart. 1698).

NB. Oramus Sacerdotes, ut pro reverentia quam Ss. altaris Sacramento debent et pro populi ædificatione tempus debitum in celebranda Missa impendant.

« Regula generalis est, Missam nec longiorem esse debere dimidia hora... nec breviorem tertia horæ parte, quia secus non poterit decenter celebrari. Non excusabis autem a peccato mortali Sacerdotem, qui sacrum faciens non attingat horæ quadrantem, quia, ait S. Ligorius, tam brevi spatio committere necessario debet duos graves defectus, alterum gravis irreverentiæ erga

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Sacramentum, alterum gravis scandali ergo populum. Optandum est autem cunctisque Sacerdotibus enixe commendandum, ut in sacro faciendo dimidiam horam expleant (1). »

(1) Gury cum notis Ballerini Edit. quarta Rom. vol. 2, n. 384.

A. M. D. G.

INDEX

PROŒMIUM . . . . . pag. 1

PARS PRIMA

DE IIS QUÆ AD FOVENDUM IN NOBIS ATQUE IN ALIIS AMOREM ERGA COR JESU IMPELLUNT VEL PROBE DISPONUNT

CAP. I. De relationibus quæ inter Cor Jesus et Sacerdotes existunt . . . . . pag. 7
I. De Sanctissimo Corde Jesu in Ecclesia sancta „ 8
II. De relatione paternitatis . . . . . „ 12
III. De relatione fraternitatis . . . . . „ 17
IV. De relatione amicitiæ . . . . . „ 22
V. De relatione dignitatis . . . . . „ 27
CAP. II. De missione ecclesiasticis et religiosis viris a Corde Jesu tradita . . . . . „ 35
I. De Christi ipsius missione . . . . . „ 38
II. De missione et potestate Apostolis a Christo traditis . . . . . „ 45
III. De potestate docendi . . . . . „ 49
IV. De potestate ligandi vel solvendi . . . . „ 54
V. De potestate sacrificium offerendi . . . . „ 58
VI. De potestate mediationis . . . . . „ 65
CAP. III. De iis quæ ab ecclesiasticis et religiosis viris sunt agenda, ut missione a Corde Jesu accepta bene fungantur . . . . . „ 71

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

I. De intelligentiæ perfectione per scientiam . pag. 77
II. De intelligentiæ perfectione per fidem . . „ 80
III. De voluntatis perfectione per obedientiam . „ 85
IV. De voluntatis perfectione per conformitatem Dei voluntati . . . . . „ 91
V. De Cordis perfectione per vitiorum resecationem „ 95
§ I. De amore suipsius . . . . . „ 98
§ II. De superbia . . . . . „ 101
§ III. De ambitione et avaritia . . . . . „ 103
§ IV. De affectione erga parentes et propinquos „ 110
§ V. De voluptatum et commoditatum amore „ 113
§ VI. De ira et impatientia . . . . . „ 117
§ VII. De pigritia et otio . . . . . „ 122
VI. De cordis perfectione per virtutum acquisitionem „ 126
§ I. De humilitate . . . . . „ 128
§ II. De mansuetudine . . . . . „ 133
§ III. De patientia in adversis . . . . „ 137
§ IV. De zelo animarum . . . . . „ 141
§ V. De charitate erga Deum . . . . „ 155
§ VI. De charitate erga proximum . . . „ 162
§ VII. De unione cum Christo in Deo . . „ 168
§ VIII. De unione fraterna . . . . . „ 177
Cap. IV. De Ss. Cordis Jesu promissionibus . . „ 182
I. " Omnes in eos gratias effundam, quibus in suo statu indigent . . . . . „ 186
II. " In omnibus eorum animi angustiis quietem et solamen tribuam . . . . . „ 190
III. " Multiplices benedictiones super quæcumque eorum incœpta effundam . . . . . „ 195
IV. " Devotio erga Cor meum religiosis et ecclesiasticis viris efficax erit medium ad sui status perfectionem recta perveniendi . . . . . „ 199
V. " Mirum Sacerdotibus donum tribuam hominum corda vel etiam durissima emolliendi . . „ 204
VI. " Eorum nomina, qui hanc devotionem propagare studuerint, in meo Corde scribentur, nec unquam fiet ut deleantur . . . . . „ 208

PARS SECUNDA

DE IIS QUÆ PRACTICE AGENDA, UT IN NOBIS ET IN ALIIS AMOREM ERGA COR JESU FOVEAMUS

Cap. I. De ordinata et perfecta Sacerdotis vita pro quolibet tempore . . . . . pag. 213
I. Officia religiosi et ecclesiastici viri erga Deum „ 215
§ I. De religione erga Deum . . . . „ ibi
§ II. De pietate erga Deum . . . . „ 220
§ III. De devotione erga Christum et Sanctos . „ 222
1. De devotione erga Christum Jesum . „ ibi
2. De devotione erga B. Virginem Mariam „ 226
3. De devotione erga Angelos et Sanctos . „ 230
§ IV. De oratione . . . . . „ 233
1. De oratione vocali . . . . . „ 234
2. De officio divino . . . . . „ 237
3. De meditatione . . . . . „ 239
§ V. De Ss. Missæ sacrificio . . . . „ 245
§ VI. De Sacramentorum administratione . „ 250
1. De Baptismo . . . . . „ 252
2. De Eucharistia . . . . . „ 253
3. De Extrema Unctione . . . . „ 255
4. De Pœnitentiæ sacramento . . . „ 257
5. De Matrimonio . . . . . „ 266
§ VII. De decore et nitore domus Dei . . „ 269
II. Officia religiosi et ecclesiastici viri erga seipsum „ 272
§ I. De timore Dei et fuga peccati . . . „ ibi
§ II. De vigilantia et mundi fuga . . . „ 276
§ III. De fidelitate in minimis et præsentia Dei „ 280
§ IV. De mortificatione et pœnitentia . . „ 283
1. De interna mortificatione . . . „ 285
2. De pœnitentia exteriori . . . „ 287
§ V. De temporis usu . . . . . „ 289
§ VI. De statutis diœcesanis . . . . „ 291
III. Officia religiosi et ecclesiastici viri erga alios „ 293
§ I. De bono exemplo præbendo et scandalo vitando . . . . . „ ibi
§ II. De salute animarum procuranda . . „ 297
1. De salute animarum procuranda in genere „ ibi
2. De prædicatione in specie . . . „ 300

UNIVERSIDAD PONTIFICIA DE SALAMANCA
CAMPUS DE LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

§ III. De misericordiæ operibus . . . pag. 303
1. De pauperibus sublevandis . . . „ 304
2. De infirmorum aliorumque visitationibus „ 305
3. De mortuorum sepultura . . . . „ 307
4. De consolatione afflictorum . . . . „ 309
5. De correctione peccatorum . . . . „ 312
6. De discordiis componendis . . . . „ 314
§ IV. De Ecclesiæ et pastoribus honore debito tribuendo . . . . . „ 316
§ V. De agendi modo cum potestatibus civilibus „ 323
§ VI. De spiritu pacis et unionis cum confratribus „ 327
Cap. II. De ordinata et perfecta Sacerdotis vita pro unoquoque tempore . . . . . „ 333
I. Pro quolibet die . . . . . „ 334
§ I. De hora surgendi . . . . . „ ibi
§ II. De precibus matutinis . . . . . „ 336
§ III. De meditatione - de Ss. Missæ sacrificio - de officio divino . . . . . „ 340
§ IV. De corporis refectione . . . . . „ 341
§ V. De conversatione et corporis relaxatione „ 344
§ VI. De lectione pia . . . . . „ 346
§ VII. De corona B. Virginis et aliis precibus „ 348
§ VIII. De invisendo Ss. Eucharistiæ sacramento „ 350
§ IX. De examine conscientiæ 352
§ X. De decubitu . . . . . „ 354
II. Pro qualibet hebdomada, mense et anno . „ 355
§ I. De Confessione sacramentali . . . „ ibi
§ II. De mortificatione aliqua vel pio opere exercendo . . . . . „ 360
§ III. De Patrono mensis eligendo et colendo „ 362
§ IV. De menstrua spiritus recollectione . „ 363
§ V. De conferentiis ecclesiasticis . . „ 367
§ VI. De anniversaria die sacerdotii recepti . „ 369
§ VII. De exercitiis spiritualibus annuis . „ 371
Cap. III. De interiori et perfectiori vita a Sacerdote in Christo agenda . . . . . „ 375
I. De natura vitæ interioris a Sacerdote in Christo agendæ . . . . . „ 377
II. De via purgativa, quæ vitæ interiori in Christo agendæ disponit . . . . . „ 387
III. De via illuminativa, quæ interiori vitæ in Christo agendæ addicit . . . . . „ 3[illegible]
§ I. De Christi cognitione . . . . . „ 398
§ II. De Christi imitatione . . . . . „ 400

§ III. De Christi amore . . . . . pag. 404
IV. Sequitur de via illuminativa relate ad sacrificium „ 408
V. De via unitiva, quæ vitam interiorem in Christo perficit . . . . . „ 413
Cap. IV. De piis exercitationibus, quæ ad veram erga Cor Jesu devotionem verumque amorem fovendum plurimum conferunt . . . . . „ 426
I. Quædam generalia præmonentur . . . . „ 428
II. De die festivo Ss. Cordis Jesu . . . . „ 431
III. De mense junio . . . . . „ 434
IV. De piis exercitationibus, quæ ad Christi passionem referuntur . . . . . „ 436
§ I. De exercitio Viæ sanctæ Crucis . . . „ ibi
§ II. De aliis quibusdam exercitiis in honorem passionis Christi . . . . . „ 439
V. De piis exercitationibus quæ ad Eucharistiam referuntur . . . . . „ 442
§ I. De communione frequenti . . . . „ 443
§ II. De communione primæ feriæ sextæ mensis „ 444
§ III. De novenario communionum primæ feriæ sextæ mensis . . . . . „ 445
§ IV. De S. Missæ sacrificio - de communione spirituali - de visitationibus . . . . „ 446
VI. De Novem officiis - Hora sancta - Custodia honorifica . . . . . „ 450
§ I. De Novem officiis . . . . . „ ibi
§ II. De Hora sancta . . . . . „ 452
§ III. De Custodia honorifica Ss. Cordis Jesu . „ 454
VII. De imaginibus, scapulari, numismatibus, etc. Ss. Cordis Jesu . . . . . „ 455
§ I. De imaginibus Ss. Cordis Jesu . . . „ ibi
§ II. De scapulari, numismatibus, etc. Ss. Cordis Jesu, „ 458
VIII. De Pia Unione Ss. Cordis Jesu et de Cultu perpetuo . . . . . „ 460
§ I. De Pia Unione Ss. Cordis Jesu . . . „ ibi
§ II. De Cultu perpetuo Ss. Cordis Jesu . . „ 462
IX. De Apostolatu orationis . . . . „ 463
X. De Consociatione adorationis perpetuæ et pro pauperibus ecclesiis . . . . . „ 468
XI. De Confraternitate Cordis Jesu agonizantis et B. Mariæ Virginis compatientis . . . . „ 471
XII. De piis exercitiis in honorem B. Mariæ Virginis „ 474
§ I. De diebus festivis B. Mariæ Virginis . „ 476
§ II. De mense mariano . . . . . „ 478

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

§ III. De piis sodalitatibus sub titulis B. Mariæ Virginis . . . . . pag. 479
§ IV. De rosario, de scapularibus B. M. V., de tripla salutatione . . . . . „ 481
§ V. De Confraternitate purissimi Cordis Mariæ „ 485
§ VI. De Consociatione nostræ Dominæ sacratissimi Cordis Jesu . . . . . „ 487
Perbreves aliquæ preces indulgentiis a Summis Pontificibus auctæ . . . . . „ 489

APPENDIX

Conspectus Cæremoniarum Ss. Sacrificii Missæ ad Sacerdotum utilitatem . . . . . „ 501

V. Nihil obstat:
Taurini 13 septembris 1880.
JOSEPH ZAPPATA *Vic. Gen.*

UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

sed potius timendus est ille, qui postquam occiderit corpus, potest et animam in gehennam ignis detrudere (1). Igitur prædicare oportet super tecta, quæ secreto aurium nobis sunt commissa (2), neque abscondenda sub modio est lucerna, quam Christus nobis confidit, sed constanter super candelabrum tenenda, ut luceat omnibus qui in domo sunt (3); quorsum enim in mundum missi sumus? nonne ut veritatem Dei homines doceamus et eorum vitia corrigamus, idque opportune, importune, arguendo, obsecrando, increpando in omni patientia et doctrina (4)?

4. Etenim quamvis tempora periculosa advenient, quæ jam experimur, quibus homines nolint amplius doctrinam nostram audire, quæ doctrina est Christi, sed potius fabulas ament et eligant sibi magistros prurientes auribus et a veritate quidem auditum avertant; nobis tamen commendatum est ut vigilemus, in omnibus laboremus, ut opus evangelistæ perficiamus, ut ministerium nostrum impleamus (5): Christus enim Deus nobis illud imposuit, eique magis quam hominibus obedire oportet, ne animarum sanguinem ex manu nostra requirat (6).

(1) Matth. x, 28. (2) Matth. x, 27. (3) Matth. v, 15.
(4) II. ad Tim. iv, 2. (5) II. ad Tim. iv.
(6) " Si dicente me ad impium: Morte morieris, non annuntiaveris ei... ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram. „ Ezech. III, 18.

5. Doctores ergo a Christo constituti, in mentem sacerdotes revocent unum esse Doctorem nostrum, unum Magistrum Christum (1), unam porro esse doctrinam quam docere debemus, quamque nos docuit et docet unus Christus; meminerint se doctores, nisi per Christum, cum Christo et in Christo esse. Cum Dominus noster a seipso docens auribus obloquitur, eo ipso hominum cordibus veritates insinuat; nobis vero nonnisi auribus per verba a Christo tradita insonare datum est, ipse efficit ut verba nostra hominum corda pertingant. Ne igitur Christi sermonibus et veritatibus vanam nostram eloquentiam vel falsos conceptus misceamus, quia non domini sed ministri veritatis sumus, non doctores supremi sed præcones. Non aliter apostoli doctores fuerunt, quibus dictum est, ut testes essent et testimonium veritati redderent (2).

6. Denique ne sacerdotes obliviscantur Christum lucem et doctorem fuisse, non modo verbis, verum etiam quin imo potissimum factis et virtutum exemplis; ideoque hoc suis præcepisse discipulis: « Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona et glorificent Patrem vestrum

(1) Matth. XXIII, 3.
(2) Act. Apost. I, 8. - Joan. XIX, 35.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

qui in cœlis est (1). » Hac agendi ratione melius quam verbis homines Deum ac Christum cognoscent, nempe christiano vivent more, ut vitam æternam adipiscantur, quia « Hæc est vita æterna: ut cognoscant (mente et opere) te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum (2). »

IV.

De Potestate ligandi vel solvendi.

1. Extat in Ecclesia ligandi vel solvendi potestas, quæ uno verbo *clavium potestas* dicitur: hac nobis concessum est peccata vel remittere vel retinere, claudere cœlum vel aperire, cœlique thesauros in adoptionis filios effundere, homines vero in novitatem vitæ regenerare, vel hujus vitæ abundantiam atque augmentum conferre. Potestas hujusmodi Christi propria est, quia prorsus divina et nonnisi ipsi a Deo collata, cui thesauri omnes gratiæ et vitæ commissi fuerunt. Verum quoniam hac ad missionem, de qua supra egimus, adimplendam indigebamus, Christus largissime et abundantissime nobis contulit, eaque omnes Cordis sui thesauros quasi dominis in domo sua confidit. Plenitudo sane potestatis hujus in supremo Ecclesiæ capite est, quia ipse Christi vices ut Capitis gerit; ma-

(1) Matth. v, 16. (2) Joan. XVII, 3.

gna adhuc satis in aliis Ecclesiæ primis Pastoribus invenitur, qui cum Capite a Spiritu sancto proprie positi sunt, ut regant Ecclesiam Dei; minor vero, nec illa parva, nobis minoribus sacerdotibus confertur. Nos ergo ex Christi munificentia ministri thesaurorum ejus sumus et dispensatores mysteriorum Dei.

2. Quanta sit quamque divina hæc potestas ex eo patet quod ejus gratia tota fidelium Ecclesia, reges atque populi, principes et subditi nobis subjiciantur; quia, inquit S. Jo. Chrysostomus, cœlum ipsum atque ipse Deus sacerdotibus subditur eique obedit: nam « quæcumque inferne sacerdotes faciunt, eadem Deus superne confirmat; servorumque sententiam ipse Dominus ratam facit (1). »

3. Quod vero hac potestate efficere valeamus tantisper consideremus. Nemo cælorum regnum ingredi potest, quin sacerdos regenerationis lavacro per aquam et Spiritum sanctum abluat; hac vita æterna et glorioso regno privantur, qui Domini Jesu carnes non manducant et sanguinem ejus non bibunt, quæ sacerdos incruento sacrificio præparat et petentibus distribuit; nemo peccatis irretitus iterum Deo reconciliari potest, et filius adoptionis fieri ac cæli hæres et cohæres Christi, nisi sacerdote judice

(1) S. Joan. Chrys. de Sac. l. 3, 5.

00996

a peccatis solvatur, suoque nutu ipsi cœli januæ aperiantur. Ergo hac præditus potestate presbyter æternos extinguit ignes, quos homo criminum reus sine eo vitare non potest; vitam immortalem beatamque præbet, quam sine eo nemo ingredi potest; ideo sacerdos vitæ et mortis æternæ est arbiter, gratiæ et damnationis æternæ; ipse homines divinæ naturæ consortes efficit et corporis Christi membra; ipse etiam in extremo vitæ momento benedictione sua in cœlum inducit.

4. Profecto hujusmodi divina potestas directe ex amantissimo Jesu Corde effluit; inde enim, annuentibus Ecclesiæ Patribus, omnia sacramenta originem ducunt, quæ nobis administranda commissa fuerunt, ut vitam et gratiam hominibus largiremur. Videat igitur sacerdos quid agat cum ea confert, quia ex Salvatoris fontibus sanguinem ejus haurit, pretiosissimum hunc sanguinem manibus suis tractat, in populum sibi subjectum effundit, quem a peccatis eluit vel Christi Jesu donis ditat. Sane hujus sanguinis efficacitas non e sacerdotis meritis desumitur: sed nonne horrendum cogitatu est, ut qui sanguis pro aliis salus est et remedium, pro sacerdote effundente in vituperium et mortem convertatur? Heu! quid erit nobis si aliis cœli januas aperiamus, dum iisdem clavibus inferorum locorum nobis abyssos patefaciamus?

5. Difficile valde est confessarii præsertim munus, atque « angelicis humeris formidandum (1) » ut de eo quod Concilium tridentinum de munere episcopali profert dicamus. « Nam si de propriis sceleribus rationem reddere exhorrescimus, ac si non valeamus ignem illum effugere, quid illi exspectandum est, qui tam multorum nomine causam sit dicturus? Quod autem hoc verum sit, audi B. Paulum dicentem; imo potius non illum, sed in ipso loquentem Christum: « Obedite præpositis vestris et subjacete eis: ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri (2).» Quare S. Gregorius docebat tot soli animas esse sacerdoti, de quibus apud judicem rationem reddere debeat, quot subditi sunt quibus præest (3). Itaque scientia et sanctitate sacerdotem præditum esse oportet, ne animas sibi commissas et seipsum perdat: vivamus ergo ut S. Paulus insinuat, « nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum : sed in omnibus exhibeamus nos sicut Dei ministros (4). »

6. Placet concludere Concilii tridentini gravissimis verbis, quibus Episcopos hortatur ut sacerdotes corrigant. « Cum proprie

(1) Conc. Trid. Sess. VI, c. I.
(2) S. Joan. Chrys. de Sac. l 3, c. ult - Ad Hebr. XIII, 17.
(3) Lib. 4. Mor. cap. 16. (4) II. ad Cor. VI, 3-4.

Episcoporum munus sit, aît, subditorum omnium vitia redarguere; hoc illis præcipue cavendum erit, ne clerici *præsertim ad animarum curam constituti*, criminosi sint, neve inhonestam vitam, ipsis conniventibus, ducant. Nam, si eos pravis et corruptis moribus esse permittant, quo pacto laicos de ipsorum vitiis redarguant, qui uno ab eis sermone convinci possent, quod clericos ipsis patiantur esse deteriores? qua etiam libertate laicos corripere poterunt sacerdotes; cum tacite sibi ipsi respondeant, eadem se admisisse quæ corripiunt (1)? » Hæc verissima sine dubio sunt, maxime si de pœnitentiæ tribunali agatur, in quo ligandi vel solvendi potestate utimur: caveamus ergo ne hæc tanta potestas ex liberalissimo Cordis Jesu amore nobis tradita, ut ipsi animas afferamus, in animarum perditionem vertatur, quas Christus suo sanguine redemit.

V.

De Potestate sacrificium offerendi.

1. Ad cultum Dei stabiliendum, Christique religionem propagandam et confirmandam sacrificium necessarium erat. Sacrificium est supremus religionis actus et latriæ seu adorationis cultus, quem Deo homines debent; est creaturarum ratione præ-

(1) Conc. Trid. Sess. XIV Decr. de Ref. Procem.

ditarum supremo Dei conditoris dominio subjectionis actus. Post Adæ culpam Deus, sub figuræ quidem ratione, animalium, aliorumque comestibilium sacrificia et oblationes grata habuit, quatenus sacrificium unicum repræsentabant, quod a Christo Deo serius erat offerendum. Jam, adveniente Christo, Deus sacrificia omnia rejecit: « Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum: et munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in Gentibus: et in omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in Gentibus, dicit Dominus exercituum (1). »

2. Sacrificium, de quo Malachias loquitur, Deo gratissimum et acceptissimum, illud est quod Filius Dei sanctissimus homo factus Patri suo cruci affixus obtulit, toto effuso sanguine et morti devotus. Christus semel vita functus atque a morte ad vitam iterum revocatus, non sane iterum atque iterum morti et cruci addicitur: « Non enim in manufacta Sancta Jesus introivit, inquit Apostolus, exemplaria verorum: sed in ipsum cælum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis: neque ut sæpe offerat semetipsum, quemadmodum Pontifex intrat in Sancta per singulos annos in sanguine a-

(1) Malach. I. 10-12.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

lieno: alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine mundi: nunc autem semel in consummatione seculorum, ad destitutionem peccati, per hostiam suam apparuit... Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata (1). »

3. Quod si semel tantum suipsius holocaustum morte sua obtulit, nec amplius fiet ut morti devoveatur, quomodo fit, testante Malachia, ut offeratur in omni loco nomini Dei oblatio munda? Quæ alia hæc oblatio esse potest quam illa una, quæ semel facta est a Christo? Utique semel Christus pro nobis in cruce obiit, semel sanguinem suum fudit; sed antequam vita cederet «Cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos (2): quare panem accipiens eique benedicens, fregit deditque discipulis suis et ait: « Accipite et manducate: Hoc est corpus meum. » Simili modo calicem discipulis in mensa recumbentibus porrexit inquiens: « Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum... Hoc facite quotiescumque bibetis in meam commemorationem... Quotiescumque enim manducabitis panem hunc et calicem bibetis: mortem Domini annuntiabitis donec veniat (3). »

(1) Ad Hebr. IX, 24-28. (2) Joan. XIII, 1.
(3) Matth. XXVI, 26-28. - I. ad Cor. XI, 25-26.

4. Hac sane ratione Ecclesiæ sacrificium perpetuum Christus instituit; hæc est « oblatio munda, quæ in omni loco sacrificatur nomini Dei. » Nec illa nova oblatio est, nec proprie veteris renovatio in Golgotha acta, sed illius perpetua continuatio, quamvis eodem modo non fiat. Etenim dum in cruce cruento modo per realem sanguinis a corpore separationem Christus oblatus est, hic per mysticam sanguinis a corpore separationem incruento offertur modo: ideo panem et vinum sejunctim consecramus; sed idem est sacrificium, idem Pontifex, eadem victima, idem scopus, idem amor. Hac de causa Christus addidit: «Hoc facite in meam commemorationem... mortem Domini annuntiabitis donec veniat. » Hæc est catholicæ Ecclesiæ circa sacrificium doctrina, quam dilucide Conc. trid. exponit (1), et hanc credimus quoties ad sacra mysteria peragenda accedimus.

5. Quamobrem nobis presbyteris a Christo commissum est quotidie, usque ad mundi exitum divinissimum hoc sui corporis et sanguinis sacrificium offerre. Quantum hoc munus sit, quanta potestas, quis non videat? Etenim veteris legis sacerdotium ejusque sacrificia quid sane cum novæ legis sacerdotio et sacrificio comparari queant? Multa tum temporis, quæ sacerdotium quo-

(1) Sess. XXII, cap. I.

dammodo extollerent in scripturis sanctis numerabantur: sacerdotii apparatus et ornamenta Pontificis, lapides pretiosi et tintinnabula, tabernaculum et Sancta sanctorum; sed quæ hæc sunt ut nunc temporis meminisse possimus? Quid animantium victimæ, quas Deus ut se indignas rejecit? Nunc novæ legis sacerdos magnus Christus est Dei Filius, idem victima est immaculata, holocaustum mundissimum infiniti apud Deum pretii; nos vero hanc victimam offerimus, huic sacerdoti unimur, ut veri ejus ministri in holocausti oblatione.

6. « Cum videris Dominum immolatum, inquit S. Jo. Chrysostomus, et jacentem, et sacerdotem sacrificio incumbentem ac precantem, omnesque pretioso illo sanguine rubentes, an putas te adhuc cum hominibus et in terra esse?... Stat enim sacerdos non ignem gestans (sicut Helias) sed Spiritum sanctum; preces multo tempore fundit; non ut fax demissa cœlitus apposita consumat, sed ut gratia in sacrificium delapsa per illud omnium animos inflammet, et argento igne purgato splendidiores efficiat (1). » Mirabilia sane hæc sunt, quæque, quamvis quotidie agimus, intelligere nullatenus possumus: mysterii enim verbo prolato, mortalibus manibus illum qui sedet ad Patris dexteram gestamus; ei benedici-

(1) De Sacerd. l. 3, 4.

mus et ut victimam consecramus eum, cujus adspectu cœlestium curia contremiscit, cujus numine inferna loca concutiuntur, et omnia adorant quæ sive in cœlis sive in terris morantur; manducamus et christianis fidelibus manducandum præbemus panem angelorum factum cibum viatorum, omne delectamentum in se habentem, vitæ et gratiæ auctorem, et eorum qui eum diligunt magnam nimis mercedem, quia infinita est et æterna.

7. « O veneranda, igitur cum S. Augustino dicam, sacerdotum dignitas, in quorum manibus Dei Filius, veluti in utero Virginis incarnatur (1)! » Quæ cum ita sint, putamus ne manus tam puras et sanctas haberi posse, quibus Filium Dei gestemus? Cum carnem sumeret Verbum Dei castissimum et virginalem sanctissimæ Virginis sinum elegit; Ecclesia tamen stupore affecta exclamat: « Non horruisti Virginis uterum! » quasi puritas Mariæ virginalis, angelica excellentior, non adhuc tam digna tanto filio fuerit. Nos vero quotidie manibus portare, corde condere, ore sumere sanctissimum Jesu corpus et sanguinem debemus; qua igitur quæso puritate et sanctitate indigemus? « Quo igitur solari radio non puriorem esse oportet manum carnem hanc dividentem? linguam quæ tremendo nimis

(1) Hom. 2 in Ps. XXXVII.

sanguine rubescit (1)? » Hæc præ oculis presbyteri habeant, hæc meditentur « ne quando irascatur Dominus et pereant de via justa (2). » Quid enim indignius sacerdote, qui sciens volensque sacrilego corde tam sancta celebret mysteria? Nonne de eo quod de Juda proditore Christus asseruit dici posset: « Bonum erat ei si natus non fuisset homo ille (3)? »

8. Maxime quod de hoc tanto mysterio agitur, quo cultus religiosus succrescere debet, propagari et confirmari; quo Ecclesia debito Deum honore prosequitur; ipsi gratias quamplurimas pro universis innumerisque collatis mundo beneficiis agit; orat atque nova efficaciter dona exposcit; hominum criminibus veniam ac indulgentiam impetrat; eaque pretiosissimo diluta sanguine, quasi expiationis lavacro expurgat; sicque animas in purgatoriis ignibus detentas liberas reddit. Quid enim Deo gratius quam Filii sui pretiosissimus sanguis in Golgotha effusus? quid efficacius holocausto illo, quod in omnium salutem fuit oblatum? « Accedat igitur sacerdos ad altaris tribunal ut Christus, assistat ut angelus, ministret ut sanctus, offerat vota populorum ut pontifex, interpellet pro pace ut mediator, pro se autem oret ut homo (4). »

(1) S. Jo. Chrys. hom. 83 in Matth. (2) Psalm. II, 12.
(3) Matth. XXVI, 24. (4) S. Laur. Just.

VI.

De Potestate Mediationis.

1. Profecto unus est Mediator noster: « Unus enim Deus, inquit S. Paulus, unus et Mediator Dei et hominum homo Christus Jesus: qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus, testimonium temporibus suis (1). » Cum enim homo a lege Dei defecisset, contra suum Creatorem ac Dominum in rebellionem actus, nonnisi Christus Deus poterat eum Patri suo reconciliare « quia in ipso complacuit (Patri) omnem plenitudinem inhabitare, et per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt (2). » Quod revera Christus effecit « delens quod adversus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, et ipsum tulit de medio, affigens illud cruci (3). »

2. Nunc vero in cœlis regnans atque ad dexteram Patris sedens, non cessat Christus Mediatoris munus gerere: ipse per sanguinis sui merita iram Dei continet, ne hominum multiplicia puniat crimina. Quapropter D. Paulus hortatur ut ad eum confugiamus: « Habentes ergo Pontificem magnum, qui penetravit cœlos, Jesum filium

(1) I. Tim. II, 5-6. (2) Ad Coloss. I, 19-20.
(3) Ad Coloss. II, 14.

Dei : teneamus confessionem. Non enim habemus pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris; tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato. Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ: ut misericordiam consequamur et gratiam inveniamus in auxilio opportuno (1). »

3. Hoc tamen non impedit quominus et alii mediatores sint, qui non propria virtute nec propriis meritis sed Christi, ad Deum accedant, ut ei obsecrationibus, precibus ac bonis operibus homines reconcilient. Ejusmodi mediatores præcipui sunt sacerdotes ministri Christi: « Omnis namque pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis: qui condolere possit iis qui ignorant et errant, quoniam ipse circumdatus est infirmitate: et propterea debet quemadmodum pro populo, ita etiam et pro semetipso offerre pro peccatis (2). » Hac de causa Christus nos sui sacrificii ministros constituit; hinc etiam persæpe apostolos ad orandum hortatus est, et liberaliter se cum eis orantibus adfuturum promisit, et quidquid petierint Patrem nomine suo facturum.

4. Id bene intelligentes apostoli frequenti sese orationi dabant: quod etiam ut liberius agerent, S. Petrus diaconos creavit, qui

(1) Ad Hebr. IV, 14-16. (2) Ad Hebr. V, 1-3.

mensis ministrarent et viduarum orphanorumque curam sumerent (1). Id bene Ecclesia intellexit, quæ sacerdotibus suis quotidianas imposuit preces, eosque sæpe hortatur, ut pœnitentia, precibus et lacrymis iram Dei demulceant, atque misericordiam pro populo sibi subjecto impetrent; hinc etiam Episcopi præsertim et qui animarum curam gerunt, populoque præsunt, semel saltem in hebdomada pro eis sacrificium libare tenentur. Frequenter autem Ecclesia Mater nostris auribus intonat: « Inter vestibulum et altare plorabunt sacerdotes ministri Domini et dicent: Parce, Domine, parce populo tuo (2). » Si enim populus peccet, quod non raro facit, si suis vitiis atque pravis moribus iram Dei provocet, putatisne illi Deum præsto fore ut parcat, nisi precibus, sacrificiis, jejuniis et pœnitenti animo aliqui saltem sese pro ejus criminibus mediatores offerant? Qui autem efficacius id præstabunt, nisi qui corporis et sanguinis Christi sacrificium conficiunt, ideoque Christo sunt et Deo proximiores? Nisi hi mediatorum munus suscipiant, statim terrarum orbem sus deque verti videbimus, atque justitiæ Dei flagellis in nihilum redigi.

5. At mediatorum officio et potestate donatos oportet proculdubio Mediatoris supremi virtutibus et dotibus condecorari in

(1) Act. Apost. VI, 2-5. (2) Joel. II, 17

mentem rursus revocamus Christam efficacissimum fuisse ac esse Mediatorem, quia « sanctus est innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, excelsior cœlis factus et qui non habet necessitatem quotidie prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi (1). » Profecto nos tales esse non possumus nec Christi virtutes æquare: ideo supremi non sumus mediatores et mediatio nostra in hoc maxime exerceri debet, ut sanguinis Christi preces et oblationes offerat, quibus preces nostras et bona opera, sed per Dominum Jesum Christum filium Dei conjungamus. Attamen hæc oblatio nullo modo ex opere operantis, ut par est, Deo grata esse poterit, nisi expurgati a peccato virtutibus ipsius Christi animas nostras ornemus, atque pro modulo nostro conemur similes Christo esse; et nisi cum eo vitæ sanctitate uniamur ac igne charitatis illius, quam in aliis diffundere necesse est.

6. Sequenti capite de iis loquemur, quæ ecclesiasticis et religiosis viris necessaria sunt, ut Cordis Jesu efficaciter missionem impleant. Hîc vero innuere satis erit Christum mediatoris officio optime functum esse, non modo quia homo-Deus erat, sed quia ut homo humilitate summa et obedientia præditus fuit; « Humiliavit enim semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem

(1) Ad Hebr. VII, 26, 27.

autem crucis (1). » Christus ut efficax esset Mediator magno ferebatur zelo et ardore, tum ut honorem Dei offensum repararet, tum ut miseros homines Deo reconciliaret: scilicet Deum patrem suum et homines magno prosecutus est amore. Christus denique, ut hoc impleret officium, Deo quod expetebat reddidit, triumphum nempe quem de mundo retulit, de carne et dæmone, quia suis a vitæ exordiis pedibus honores, divitias et carnis voluptates subjecit, ac denique cruci affixit. En quæ a nobis, pro nostro, ut dictum est, modulo agenda, et quæ Christus a sacerdotibus expetit, ut digni et efficaces mediatores sint et populum ipsis subjectum Deo reconcilient.

7. Hæc sunt officia, hæ nobilissimæ potestates, quas a Christo accepimus, ut divinam quam ipse contulit missionem assequeremur. Videat ex his sacerdos excellentiam atque vocationis suæ magnitudinem, videat quo alto in loco positus fuerit: nos enim sumus « civitas supra montem posita (2) » in quam omnium oculi convertuntur; « Spectaculum facti sumus mundo et angelis et hominibus (3); » a nobis Deus gloriam repetit, populus autem animæ suæ salutem; nos Deo eorum quæ in mundo fiunt rationem debemus, ut ipse finem quem in homine

(1) Ad Philip. II, 8. (2) Matth. V, 14.
(3) I. ad Cor. IV, 9.

condendo sibi proposuit assequatur. Nos enim in terris loco Christi legatione fungimur, ejus vices gerimus, plenissima ejus potestate potimur: ergo sicut ipse quæ debuit exsolvit, atque redemptionis pretium posuit; ita nostrum est hominibus hoc infinitum salutis pretium tribuere, omnique ope contendere, ut Deo honor sit et homines salvi fiant.

8. Quid reliquum esse poterat sacratissimo Jesu Cordi, ut omnes amoris sui thesauros in homines effunderet? Quid amplius largiri nobis poterat, ut ejusmodi thesauros in alios effunderemus? « Ecce constituit nos dominos domus suæ et principes omnis possessionis suæ; » ecce latissime Cor suum aperuit, ut via omnibus pateret atque, potestate ab ipso recepta, ex ejus fontibus quidquid vellemus hauriamus. Etenim « Omnes sitientes, inquit, venite ad aquas: et qui non habetis argentum, properate, emite et comedite: venite, emite absque argento et absque ulla commutatione vinum et lac (1). »

9. Nobis igitur culpæ adscribendum, atque pœna digni erimus, si ignis a Jesu Corde in mundum allatus non accendatur, sed potius extinguatur: nos pastores sumus, nobis grex Christi traditus, ut ad abundantia et salubria pascua ducamus, quæ in

(1) Isa. LV, 1.

ipsius Jesu Corde inveniuntur; atque ut a pascuis mundi venenosis abigamus, quæ a seculi hujus sectatoribus porriguntur. Quapropter cum jam viderimus quæ sit missio et dignitas nostra, quæ relationes nos Christo conjungant, quibus nos ipse potestatibus instruxerit; oportet ut quæ a nobis sint agenda consideremus, ut digne et efficaciter missionem hanc adimpleamus et vocatione fungamur, qua in societatem Jesu Christi Domini nostri vocati sumus, cui laus et honor ab omnibus sit.

Caput III.

De iis quæ ab ecclesiasticis et religiosis viris sunt agenda ut missione a Corde Jesu accepta bene fungantur.

1. Amantissimus Dominus noster Jesus Christus a Patre suo cœli et terræ rex constitutus, cum jam regno terrestri sua morte potitus esset, rediturus ad Patrem, ut regno cœlesti sibi jure debito dominaretur; nobis sacerdotibus non unum, nec duo sed quinque talenta reliquit: quin imo omnes Cordis et regni sui thesauros in nos transtulit; regni hujus terrestris administratores creavit, cum omni imperio et potestate, quæ ipsi erant jure suo et sunt. Sed, hoc parvo temporis intervallo peracto, quo ipse absens

condendo sibi proposuit assequatur. Nos enim in terris loco Christi legatione fungimur, ejus vices gerimus, plenissima ejus potestate potimur: ergo sicut ipse quæ debuit exsolvit, atque redemptionis pretium posuit; ita nostrum est hominibus hoc infinitum salutis pretium tribuere, omnique ope contendere, ut Deo honor sit et homines salvi fiant.

8. Quid reliquum esse poterat sacratissimo Jesu Cordi, ut omnes amoris sui thesauros in homines effunderet? Quid amplius largiri nobis poterat, ut ejusmodi thesauros in alios effunderemus? « Ecce constituit nos dominos domus suæ et principes omnis possessionis suæ; » ecce latissime Cor suum aperuit, ut via omnibus pateret atque, potestate ab ipso recepta, ex ejus fontibus quidquid vellemus hauriamus. Etenim « Omnes sitientes, inquit, venite ad aquas: et qui non habetis argentum, properate, emite et comedite: venite, emite absque argento et absque ulla commutatione vinum et lac (1). »

9. Nobis igitur culpæ adscribendum, atque pœna digni erimus, si ignis a Jesu Corde in mundum allatus non accendatur, sed potius extinguatur: nos pastores sumus, nobis grex Christi traditus, ut ad abundantia et salubria pascua ducamus, quæ in

(1) Isa. LV, 1.

ipsius Jesu Corde inveniuntur; atque ut a pascuis mundi venenosis abigamus, quæ a seculi hujus sectatoribus porriguntur. Quapropter cum jam viderimus quæ sit missio et dignitas nostra, quæ relationes nos Christo conjungant, quibus nos ipse potestatibus instruxerit; oportet ut quæ a nobis sint agenda consideremus, ut digne et efficaciter missionem hanc adimpleamus et vocatione fungamur, qua in societatem Jesu Christi Domini nostri vocati sumus, cui laus et honor ab omnibus sit.

Caput III.

De iis quæ ab ecclesiasticis et religiosis viris sunt agenda ut missione a Corde Jesu accepta bene fungantur.

1. Amantissimus Dominus noster Jesus Christus a Patre suo cœli et terræ rex constitutus, cum jam regno terrestri sua morte potitus esset, rediturus ad Patrem, ut regno cœlesti sibi jure debito dominaretur; nobis sacerdotibus non unum, nec duo sed quinque talenta reliquit: quin imo omnes Cordis et regni sui thesauros in nos transtulit; regni hujus terrestris administratores creavit, cum omni imperio et potestate, quæ ipsi erant jure suo et sunt. Sed, hoc parvo temporis intervallo peracto, quo ipse absens

erit, ut ejus bona succrescere et augere faciamus decrevit, et regnum hoc dilatemus ac longe lateque extendamus; porro iterum in hunc mundum rediens exquisiturus a nobis cum usura erit, quæ omnia tradidit bona; quod si fecerimus, nempe si laboremus, ut juxta ejus mentem his bonis utamur, sedere nos super auratos et splendidissimos thronos faciet, atque vocabit ut in gaudium Domini nostri ac Dei ingrediamur.

2. Itaque non nobis agendum, veluti servus ille nequam, qui abscondit pecuniam domini sui, atque piger nihilque agens ejus adventum moratus est, ut quæ a domino receperat integra redderet. Gravius autem malum esset si his talentis in Dominum nostrum utamur, si dilapidemus ærarium, et iniqua regni administratione integras amittamus provincias, si denique nostra incuria aut stulto gubernio fiat, ut regni hujus subditos rebelles faciamus, eorumque erga Dominum amorem penitus extinguamus. Si hæc egerimus, quid Dominus noster adveniens contra nos facturus erit? quo terribili judicio suam in nos sententiam proferet? Ille enim qui nunc pater est et frater et amicus, noster fiet æquissimus quidem sed severissimus et inflexibilis judex.

3. Cum igitur Christus quidquid poterat pro nobis effecerit, ut divina sua missione fungeremur, æquum est ut ex æquo quid-

quid possumus erga eum agamus; primo quidem nos aptos Christi ministros reddendo, deinde sapienter ac prudenter ejus talenta regnumque administrando, ut sanctis ejus desideriis respondeamus. Quæ sint hujus generis opera hoc capite breviter evolvemus. Jam ut nos aptos Christi ministros reddamus opus est facultates nostras perficere, intelligentiam præsertim voluntatem et cor, et sanctitate quadam divina communire. Tum « adimplebimus ea quæ desunt passionum Christi in carne nostra pro corpore ejus quod est Ecclesia: cujus nos facti sumus ministri secundum dispensationem Dei, quæ data nobis est in homines, ut impleamus verbum Dei (1). »

I.

De intelligentiæ perfectione per scientiam.

1. Intelligentiæ perfectionem sibi Christi minister comparare tenetur, ut missione a suo Capite recepta fungatur: perfectio autem hæc duplex est, *naturalis* alia, *supernaturalis* altera; utraque necessaria sacerdoti et magnis conatibus acquirenda. *Naturalem* dico perfectionem, quæ mediis naturalibus, scilicet studiis et disciplina ad *scientiam* procurandam habetur; *supernatura-*

(1) Ad Coloss. I, 24-25.

lem appello quam *fides* affert supernaturalium quarumdam virtutum exercitio expolita et aucta. De utraque breviter agendum, sed imprimis de naturali perfectione.

2. Quis dubitet multiplici scientia, studiis, educatione, lectione ac reflexione acquisita sacerdotem Evangelii Jesu Christi præconem indigere? Primis apostolis et discipulis, ut par erat, non acquisita sed infusa per Spiritus sancti inspirationem data est scientia, cum die Pentecostis Spiritus sanctus sub linguarum ignearum forma « sedit supra singulos eorum: et repleti sunt omnes Spiritu sancto, et cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis (1). » At quod initio necessarium fuit, ut Evangelii doctrina celerrime propagaretur, deinde minime necessarium Deo visum est, ut propterea qui ad apostolicum destinantur ministerium, sua opera, suisque studiis ac viribus scientiam, qua indigent, comparare sibi debeant.

3. Nam in mentem revocemus nos lumen esse mundi populorumque doctores et magistros, ut Dei veritates ac religionem hominum mentibus insinuemus, quibus Deo serviant eumque, prout decet, diligant. Religio Christi ubique propaganda non solis operibus constituitur, sed etiam fide, quin imo a fide incipit et perficitur, quæ per cha-

(1) Act. Apost. II, 3-4.

ritatem operatur. Verum « fides est ex auditu, auditus autem per verbum Christi (1) » fieri ne igitur potest, ut homines credant, nisi prius quæ credenda sunt recte cognoscant? cognoscent autem nisi nos sacerdotes illos magna diligentia instruamus? quî vero docere eos possumus nisi nosmetipsi edocendam scientiam et quamplurimas alias veritates calleamus? Hinc S. Paulus ad Timotheum scribens his verbis hortatur: « Dum venio attende lectioni, exhortationi et doctrinæ... Hæc meditare, in his esto: ut profectus tuus manifestus sit omnibus. Attende tibi et doctrinæ, esto in illis (2). »

4. Alia accedit ex temporum conditione ratio: instant enim, ut Apostolus prædixit, tempora periculosa, quibus homines omnibus abrepti vitiis et corrupti voluptatibus, sanam doctrinam non sustinent, errant atque in errores alios inducunt, selectisque fabulis et magistris auribus prurientibus, multos seducunt (3). Quomodo sane, nisi solida veritatum scientia imbuamur, his tam multiplicibus erroribus veritatis facem opponere licebit? quomodo inscios populos a perversione avertemus, ipsosque veris convincemus argumentis? At contra, quod gravissimum esset, facile futurum ut, nisi scien-

(1) Ad Rom. x, 17.
(2) I. ad Tim. IV, 13-16. - V. etiam II. ad Tim. III, 14-17.
(3) II. ad Tim. III et IV.

tiarum studiis, ut congruum est, operam navemus, nos ipsi corruamus atque « omni vento doctrinæ abripi sinamus, et circumferri in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris (1). »

5. Jam triplicis generis studia peragenda, sunt alia *curiosa* et inutilia vel etiam periculosa; alia *accessoria* et utilia vel quandoque necessaria; alia denique *essentialia* et ecclesiasticis ac religiosis hominibus prorsus necessaria. *Curiosa* studia appello, quæ sub litterariæ eruditionis prætextu in futilium librorum lectione versantur, ut sunt romanticæ elucubrationes et similis generis scriptiones, quæ nonnisi ad delectamentum et ad satisfaciendum imaginationi internisque sensibus inserviunt. De his dicere possemus quæ S. Paulus ad Timotheum scribens ait: « Profana autem et vaniloquia devita: multum enim proficiunt ad impietatem: et sermo eorum ut cancer serpit (2). » Sane nec decet nec juvat, ut clerici his lectionibus pretiosissimum tempus incassum terant; imo sæpissime nocent, animum, mentemque pervertunt. Quod si laicos homines ab his instanter avertimus, nonne scandalo erimus si nos ipsi non fugiamus?

6. *Accessoria* sunt litteraria studia, aliaque profana, quæ stricte ex eorum objecto scientiam physicam seu naturalem intendunt. Cum hæc ad ecclesiasticæ scientiæ et eruditionis veræ complementum inserviant, nemo dubitat quin utilia semper habeantur, maxime ne inscitiæ apud seculares viros accusemur, qui falso putant præter hujusmodi alias majoris momenti cognitiones non esse. Utilia etiam videri possunt, quia reapse emolumento sunt, tum ad eruditionem in elocutione sine vanitate ostendendam, tum ad eloquentiam perficiendam, qua etiam indigemus, tum denique ad religiosos errores refutandos, qui his disciplinis abutuntur. Quin imo quandoque necessaria iis sunt, qui inter ecclesiasticos et religiosos viros ad docendi ministerium convenienter destinantur. Attamen non ita sacerdoti in iis insistere fas est, ut parvi severiora studia faciat, et ea negligat quæ ecclesiastico ordini omnino necessaria videntur.

7. *Essentialia* studia nobis sunt philosophicæ et theologicæ disciplinæ. Philosophicas disciplinas appello logicæ ac metaphysicæ tum generalis tum specialis studia, et omnia ea quæ cum his colligantur, quæque fundamenta fidei sæpissime præbent ac præambula ad credendum, necnon ad fidem ac religionem, nostris maxime temporibus, hominibus suadendam. Ne putemus, quæso, hæc nullius momenti studia esse ac leviter percurrenda, vel compendiatim uno vel altero anno pervidenda, cum logica

(1) Ad Ephes. IV, 14. (2) II. ad Tim. II, 16-17.

et metaphysica ad theologiæ dogmaticæ studia omnino necessaria videantur; philosophia autem moralis ad theologiæ moralis et canonicæ studia recte perficienda. Unde fit ut sæpe nos erroribus abripi sinamus, nisi quod principiis et fundamentis careamus vel ratiocinandi methodo et usu? Caveant igitur clerici ne hæc parvi faciant, quin et toto vitæ curriculo pro otio opera aliqua philosophica perlegant, B. Thomæ præsertim aliorumque scholasticorum, nec novas de hoc argumento elucubrationes omnino parvipendant, quia quandoque ejusmodi perficiunt scientias, novasque non aspernendas cognitiones porrigunt.

8. Theologicas disciplinas voco omnia studia, quæ ad Dei ac Christi sui revelatam doctrinam cognoscendam ducunt: talia sunt studia theologiæ dogmaticæ ac moralis, juris canonici ac historiæ ecclesiasticæ, Scripturæ sacræ, Conciliorum et Patrum, omniumque monumentorum, quæ proprie Ecclesiæ scientiam conficiunt. Ibi sane est « fidei depositum, quod custodire debemus, devitantes profanas vocum novitates, et oppositiones falsi nominis scientiæ, quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt (1). » At quomodo hoc depositum nobis commissum custodire poterimus, quomodo contrarios errores vitare, nisi perfecte cal-

(1) I. ad Tim. VI in fine.

leamus? quomodo populis nobis subjectis explicare et tradere licebit, nisi prius nobis ipsis explicemus ut optime intelligamus? Theologicæ disciplinæ sunt revera scientia sacerdotalis, quotidianum et perpetuum ecclesiastici ordinis studium, quod minime leviter est peragendum; nobis enim munus incumbit hanc scientiam et doctrinam ubique propagandi, stabiliendi ac custodiendi, ut homines Christo fideles reddamus. Si populus in errorum tenebris contabescens corrumpatur, nonne a nobis Deus rationem exquiret? At si his disciplinis optime exculti veritatem populis prædicamus, quam sequi nolunt, ipsi in culpa erunt, quia « lux in tenebris lucet et tenebræ eam non comprehenderunt (1). »

9. Satagant ergo presbyteri et constanter his sacris studiis occupentur: « Nunquam de manibus tuis, ait S. Hieronymus, sacra lectio deponatur (2). » Hæc studia intelligentiam perficiunt; hæc fidem in nobis atque aliis confirmant; hæc bonos sacerdotum mores servant; quod « otiositatem, quæ multam malitiam docuit (3) » vitare faciunt; hæc arma proferunt ad religionem defendendam, ad Evangelium propagandum; hæc denique illum amoris ignem in nobis atque in aliis excitant, quem Christus venit mittere in terram. Væ ecclesiasticis et religio-

(1) Joan. I, 5. (2) S. Hier. ad Nepot. (3) Eccli. XXXIII, 29

sis viris, qui ejusmodi studia negligentes, otio se consumi permittunt! De his quod Proverbia de pigris dictitant dicendum sine dubio esset: « Per agrum hominis pigri transivi, et ecce totum repleverant urticæ, et operuerunt superficiem ejus spinæ, et maceria lapidum destructa erat (1). »

II.

De intelligentiæ perfectione per fidem.

1. Quamvis « fides sit sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium (2) » dubitare non licet quin per eam intelligentia humana perficiatur. Dicendum potius est melius per fidem eam perfici quam per rationem ipsam; et nobiliorem per ea quæ fide cognoscimus reddi, quam per ea quæ ratione viribusque naturalibus invenimus. Nam primo quidem quæ per fidem ratio credit evidentiora intelligentiæ sunt, quam quæ ratiocinatione cognoscit: neque hoc absonum videri debet; etsi enim multa de his quæ fide apprehendimus intelligentiæ limites excedant, et incomprehensibilia sint; tamen extrinsecam ejusmodi ex auctoritate divina revelante evidentiam acquirunt, quæ metaphysicam ipsam evidentiam exsuperat, ac proinde quæ majorem certitudinis adhæsionem gignit. Igitur quæ per

(1) Prov. xxiv, 30. (2) Ad Hebr. xi, 1.

fidem intelligentia possidet ut certissima habet, de quibus nullum prorsus dubium cadere possit (1).

2. Porro multa intelligentiæ incognita, quæque minime cognosci poterant per fidem manifestantur; ideo fides hanc facultatem ditiorem facit, super se quodammodo elevat, et adeo roborat ut per elementa quæ præbet, per data principia certissimasque veritates ratio nova facile inveniat, relationes quasdam disquirat, easque apprehendat. Unde Apostolus ajebat: « Deus qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris, ad illuminationem scientiæ claritatis Dei in facie Christi Jesu (2). » Quæ autem probe intelligentia et ratione noscere possumus, ea fides clariora, faciliora ac certiora reddit, ita ut nemo deinceps de iis dubium movere possit. Hæc ex contrario incredulorum exemplo facilius dignoscimus, qui non modo sublimibus ac nobilissimis veritatum notionibus privantur, quas fides in religione christiana suppetit, sed tot erroribus ac absurdis systematibus veritates ipsas rationi obvias implicant, ut omnimoda elementarium cognitionum inscitia laborent; ac propterea veluti rudes cæcutiant in iis, quæ nostri pueri christiani perfecte norunt.

(1) Ad Rom. iv, 18-21. (2) II. ad Cor. iv, 6.

3. At quibus mediis fidem nostram roborare licet, ut intelligentiam perficiat? quo enim robustior fides est eo aptior fit ad intelligentiæ lumen augendum, mentesque hominum nobiliores et ditiores reddendas. Cum fides virtus non sit, quæ humanis mediis et industriis sed cœlestibus auxiliis et supernaturalibus mediis acquiratur et perficiatur, ejus absque dubio fundamentum *humilitas* est: « Deus enim superbis resistit, humilibus autem dat gratiam (1) » quam, quæso, gratiam, nisi illa fidei præcedat, quæ justificantis gratiæ initium est, unde aliæ sequuntur et cum eis Spiritus sancti dona, qui per charitatem diffunditur in cordibus nostris? Certe Deus cum superbis partem non habet: « Quoniam excelsus Dominus et humilia respicit: et alta a longe cognoscit (2). » Unde fit ut plures excidant a fide, et cum jam defecerint nonnisi difficile resipiscant? nisi quod superba laborant mente, atque suæ potius rationi quam Dei auctoritati subjici volunt.

4. Ab humilitate igitur incipiendum, hoc altissime recondendum est fundamentum, ut arbitremur non nostræ fallibili fidendum esse rationi sed divinæ veracitati et auctoritati; majorem lucem nobis futuram ubi humiliter Christum docentem sequamur, quam si sublimia inventa a ratione nostra

(1) I. Petr. v, 5. (2) Psalm. CXXXVII, 6.

excogitemus: « Ego sum lux mundi, ait Jesus, qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ (1). » Qui humiliter Christum in fidei lumine sequitur omnium arcanarum veritatum Dei notitiam inveniet, nec modo eas cognoscet, sed quin comprehendat intelligere incipiet, atque hæc intelligentia pedetentim clarior fiet, quousque ad eam plenam divinarum rerum intelligentiam perveniat, quam in altera vita præparavit Deus diligentibus se.

5. Humilitatem fidei *simplicitas* sequitur: qui enim humilis est æque simplex est corde; simplices autem corde Deum videbunt ac facile cum eo conversantur, ut sublimiores cognitiones adipiscantur, quia « cum simplicibus sermocinatio ejus (2). » Qui vero simplex est in fide non vana et curiosa inquirit: satis illi est si quæ Deus nobis manifestavit optime noverit, et quæ Ecclesia credenda Christi fidelibus proponit. « Deus enim cum jussit ut credamus, non divina judicia scrutanda, eorumque rationem et causam perquirendam nobis proposuit, sed immutabilem fidem præcepit, quæ efficit ut animus in æternæ veritatis notitia conquiescat (3). »

6. Humilitas ac credendi simplicitas plenam et cæcam *obedientiam* pariunt iis om-

(1) Joan. VIII, 12. (2) Prov. III, 32.
(3) Catech. Conc. Trid. p. I, a. I.

nibus, quæ vel ab Ecclesia in Conciliis, vel a Pontifice Romano speciatim credenda indicuntur: qui enim humili ac simplici animo credit, putat nonnisi in subjectione auctoritati securitatem fidei haberi posse. Hic autem non modo prompte, cæce ac immobiliter se subjicit, cum Ecclesia vel Pontifex aliquid fide credendum ut dogma decernit; sed eadem simplicitate intelligentiam et rationem iis submittit, quæ Ecclesia, vel Pontifex sub quacumque ratione damnat, vel ut doctrinam tenendam proponit (1); adeo ut nihil sentiat, nisi quod Ecclesia et Pontifex Romanus sentiunt; omnia damnet vel reprobet quæ Ecclesia et Pontifex damnant vel reprobant.

7. His perficiendæ fidei mediis tria alia subsunt, scilicet: *cordis mundities*, *humilis oratio*, ac veritatum divinarum *meditatio*. Nam dictum est a Christo: « Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt (2); » et alibi scriptum reperimus: « Oratio humiliantis se penetrat nubes (3), » vel etiam: « Desiderium pauperum exaudivit Dominus (4). » Conemur igitur puriores in dies animas nostras reddere, prece humili ac ferventi meditatione instemus, ac Deus propi-

(1) V. Litt. Ap. Pii Pp. IX *Gravissimas inter* et *Tuas libenter*. Act. Pont. pp. 410 et 444.
(2) Matth. v, 8.
(3) Eccli. xxxv, 21.
(4) Psalm. x, 17.

tius veritatum fidei arcana evidentius revelabit; quæ difficilia intellectu sunt magis obvia faciet; et quæ dubium sensum præseferunt certiora præbebit. Hac fidei perfectione acquisita, fieri non potest ut presbyteri intelligentia supernalibus non cumuletur divitiis, quas in populos regendos et illuminandos abunde effundet.

III.

De voluntatis perfectione per obedientiam.

1. Voluntas nobilissima est facultas, qua in bonum tendimus eique adhæremus: ejus igitur perfectio in boni possessione consistit, sicuti intelligentiæ in veritatis acquisitione. Bonum autem non modo voluntatem sed totam naturam humanam perficit, quia bonum *realitas* est, quæ proprie naturam attingit. At voluntas per libertatis usum bonum prosequitur et acquirit, quam Deus nobis largitus est, ut ex nostripsius electione et merito illud adipiscamur. Si homo nunquam peccasset, ad hanc perfectionem acquirendam satis ei fuisset, per voluntatis naturalem tendentiam verum bonum recto libertatis usu persequi, unde jugiter in ordine fuisset. Attamen « per prævaricationis offensam totus Adam secundum corpus et animam in deterius commutatus est... proinde tametsi in eo liberum arbi-

trium minime extinctum esset, viribus tamen attenuatum et inclinatum fuit (1). » Quare homines proni in malum, concupiscentiis adacti, atque sub dæmonis potestate constituti, difficile nimis in hoc ordine servari possunt, iisque contineri limitibus, quibus per libertatem bonum verum eligant, in quod voluntas natura sua fertur.

2. Quapropter ad voluntatem perficiendam alia prorsus tenenda est via, scilicet ut Præpositis a Deo constitutis et ipsi Deo homo suæ libertatis usum concedat, eisque subjiciatur: in hac ergo rerum conditione, ut nos perficiamus, nihil restat nisi ut per *obedientiam* Superioribus debitam liberum nostrum arbitrium committamus, et ut per *conformitatem* Dei voluntati voluntatem nostram dirigamus; si enim nostro libero arbitrio sine duce dirigi velimus, facile fiet ut vel amor immoderatus nostri vel alia concupiscentia debilem seducat et deprimat voluntatem. De obedientia hoc articulo aliqua breviter dicenda.

3. *Obedientia* virtus principalis est et gratissima Deo: « Obedientia sola, inquit S. Gregorius, virtus est, quæ virtutes ceteras menti inserit insertasque custodit (2). » Inde est cur Deus ab initio nonnisi obedientiam exquisivit ab homine, ut ejus fi-

(1) Conc. Trid. Sess. v, can. 1. — Sess. vi, cap. 1.
(2) Lib. Mor. ult. c. 12.

delitatem probaret; hinc etiam Abraham, Moyses, Saul, David, prophetæ aliqui et alii quamplures, quos Deus elevare constituerat, nonnisi hujus virtutis tentamen subierunt. Hujus rei ratio sane non est hanc primam omnium virtutum esse, nobilissimam ac etiam theologalibus præferendam esse virtutibus; sed, ut S. Thomas docet, quod hac sola virtute omnes alias exercere et tueri liceat (1). Ceterum quis neget eam Deo gratissimam esse, cum sciamus ejus ope sacrificium et holocaustum divinæ majestati offerri nobilissimæ atque excellentissimæ inter omnes facultatis humanæ, videlicet libertatis; adeoque difficillimum absque dubio sacrificium, ex eo quod ens ratione præditum nonnisi hac præsertim facultate præemineat, qua sui dominus est suarumque actionum.

4. Itaque quamvis non recte sentientibus voluntas deterior per obedientiam fieri videatur, reipsa elevatur ac nobilior fit: quo enim majus est cui adhæret bonum et quo potitur, eo magis roboratur ac vere perficitur. Jam ex libertatis submissione superiorum voluntati, duplex illi valde excellens ac nobilissimum bonum obvenit. Primum sane est agendi juxta ordinem rectum a Deo præscriptum, nempe ut libertas non sinat se inferioribus concupiscentiis duci, sed ratio-

(1) 2. 2. q. 104, a. 3.

nis norma, quæ in Deum ipsum tendit: nam obediendo non modo nostra libera exspoliamur voluntate, sed omnibus iis inferioribus tendentiis, quæ nostram libertatem pervertere poterant, quod agere dumtaxat juxta id quod aliena voluntas a Deo nobis imposita præscribit, volumus. Alterum est sacrificii et holocausti bonum Deo gratissimi, quo ei offerimus quod pretiosissimum est nobisque carissimum: quare in sacris litteris legimus: « Melior est obedientia quam victimæ (1); » quia « per victimas, inquit S. Gregorius, aliena caro, per obedientiam voluntas propria mactatur (2). » Hoc vero holocaustum tanti est ut martyrio æquiparetur, quin illud quodammodo exsuperat, tum ob victimæ nobilitatem, tum ob durationem ipsam sacrificii perennis.

5. Ceterum quæ melior voluntatis perfectio esse unquam potest, quam ut faciliori ratione in finem suum tendat? Nemo inficiabitur hoc per obedientiam fieri: hæc enim virtus nos libertate filiorum Dei donat; hæc obstacula destruit, quæ a Deo summo bono avertunt; hæc media administrat agendi, quæ Deus ipse jubet et ea ratione, quæ gratior ipsi est; hæc a dæmonis insidiis sospites facit, prævenit vel concupiscentiarum impetus comprimit, mundi seductiones vanas reddit; lumen et consilia in iis, quæ

(1) I. Reg. xv, 22. (2) Lib. Mor. ult., c. 12.

nobis solis ad deliberandum difficilia videntur, tutissima præbet; hæc denique efficit, ut a peccato liberi magna tranquillitate fruamur. Nam modo evidens, in iis quæ jubentur, peccatum non sit, licet nobis, tuta conscientia, superioribus obtemperare, nec nisi de obedientia præstita Deo rationem reddere tenemur: « Obedite enim, inquit Apostolus, præpositis vestris et subjacete eis, ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri (1). » Hinc S. Hieronymus exclamat: « O summa libertas, qua obtenta, vix possit homo peccare! »

6. Ut vero ejusmodi fructus obedientia porrigat talis esse debet qualem S. Gregorius describit: « Obedientia, inquit, non servili metu sed charitatis affectu servanda est, non timore pœnæ sed amore justitiæ (2). » Hæc est filiorum obedientia, quæ voluntatem perficiendo sanctificat, quia ex recta rationis norma atque ex principiis supernaturalibus originem sumit: quid enim esset ex servili metu vel ex pœnæ timore obedire, nisi more servorum ad inobediendum dispositos esse, quotiescumque occasio faveat, ut ex inobedientia pœnas non metuamus; ideoque in aliis non reapse obedire, sed coactos vi servire? Hoc nullum esset voluntatis nostræ sacrificium Deo oblatum, quia ejus liberum usum retinere vellemus

(1) Ad Hebr. xiii, 17. (2) Lib. Mor. ult. c. 14.

nec nisi ex timore hunc usum concedimus. Igitur *charitatis affectus* et *justitiæ amor* obedientiæ principium sint, totamque obediendi rationem dirigant.

7. Quod facilius fiet 1° si nostræ *infirmitatem voluntatis* consideremus, quæ sibi relicta suoque juri, non ex rationis norma atque ex Dei lege, sed proprio amore atque inordinato affectu ducta in mala omnia propripuit, ut sæpissime mœroris ac doloris sibi causa extiterit; 2° si præ oculis *exemplum Christi Jesu* ponamus, qui quamvis Deus erat, ut infimus inter omnes inferioribus obedivit hujus terræ potestatibus, etiam infensis et discolis, quo sciremus hac sola virtute nos perfici posse et debere; 3° si constanter præ mente habeamus nos *Deo obedire* quoties præpositis nostris obtemperamus, quia Deus illos nobis præposuit, et ipse vult ut eis subjiciamur: quare recte S. Paulus ait: « Obedite dominis... sicut Christo... sicut servi Christi,... sicut Domino et non hominibus (1). » Et revera inobedientiæ causa est, quod homines labiles nobis similes, non Deum in Præpositis inspicimus.

(1) Ad Eph. vi, 5-7.

IV.

De voluntatis perfectione per conformitatem Dei voluntati.

1. Alia est via, eaque nobilior, voluntatem perficiendi, scilicet ut eam Dei voluntati in omnibus conformem reddamus. Quid hoc perfectius? Quæ enim est Beatorum et Angelorum in cœlis perfectio nisi ut velint quæ Deus vult, ut præsentes Deo se sistant, veluti quatuor illa animalia, quæ alas senas habent: et in circuitu et intus plena sunt oculis: et requiem non habent die ac nocte; quia parata sunt jugiter ad Dei voluntatem statim faciendam ac illam innumeris oculis perspiciunt (1)? Quid hoc perfectius? quoniam perfectissima Dei voluntas est, nec nisi perfectissima velle potest: quicumque ergo voluntatem suam Dei voluntati conformem facit, hic profecto perfecta et sancta operabitur, sibique propriam Dei ipsius sanctitatem faciet.

2. Porro perfectio in hoc sita est, ut in ordine a natura vel a Deo statuto constituamur; ordo vero habetur cum ea quæ inferiora sunt suis superioribus subjiciuntur; quare S. Thomas docet corpus perfici ex subjectione animæ ex qua vivificatur, quæque præcipua est hominis pars: ex quo

(1) Apoc. IV.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

sequitur humanæ voluntatis perfectionem in hoc esse, ut Deo subjiciatur atque ab ejus voluntate regi se sinat (1). Et revera cur Christus tam perfectissimus atque omnis sanctitatis et perfectionis exemplar fuit, etiamsi dumtaxat ejus humanam inspiciamus naturam? nisi quod ab exordio sui unicam Dei Patris sui voluntatem quæsivit: « In capite libri, inquit, scriptum est de me ut faciam Deus voluntatem tuam (2); » et quod in omnibus ac constanter ad vitæ usque exitum hanc Patris voluntatem perfecit: « Quæ placita sunt ei facio semper (3). »

3. Quæ cum ita sint breviter innuendum hîc est in quibus voluntatem nostram Dei voluntati subjicere oporteat, ut ipsi conformem habeamus. Primo veniunt quæ Deus *præcepto* vult, tum quæ *consilio*. Quæ Deus *præcipit* ita vult, ut non modo *rem* ipsam, sed *modum* eam executioni mandandi, juxta cujuscumque statum, perfectum velit; ita tamen ut si rem mandatam exequi nolimus graviter in Deum jubentem delinquamus et ei rebelles fiamus: « Dixisti non serviam (4); » quod si relate ad modum obedientiam detrectamus, leviter peccemus, quia non actus ille rebellionis esset, sed negligentiæ aut teporis in Dei servitio. At perfectionis religiosi et ecclesiastici viri est legem Dei per-

(1) 2. 2. q. 81, a. 7.
(2) Ad Hebr. x, 5.
(3) Joan. VIII, 9.
(4) Jer. II, 20.

fecte in omnibus custodire, ut non solum rem præceptam sed modum ipsum a Deo volitum sancte servet; si enim alia quæ præcepta non sunt exequi tenetur, quia perfectionis statum profitetur; quanto magis ea, quæ Deus omnibus indiscriminatim jubet, perfectiori quo fieri potest modo exequi debet?

4. Quæ Deus *consilio* vult non adeo libertatem obstringunt, antequam acceptemus et voto libere sanciamus, ut graviter peccemus si Deo hæc a nobis petenti obedire renuamus. Verum cum evidentiori modo divina in his relate ad nos voluntas manifestatur, timendum sane est ne discrimini etiam aliquando perdendæ æternæ salutis nos ipsos objiciamus, nisi Deo volenti obediamus; vel certe indignos ejus gratiis et favore nos reddamus. Quod si statutum nobis est, ut Deum perfecte sequamur, ut ex ejus voluntate voluntatem nostram sanctam efficiamus; perpendendum non est utrum vel ne peccatum adsit, si exequamur vel non Dei voluntatem, quæcumque ea demum sit; sed cum Christo dicere oportet: « Quæ placita sunt ei facio semper. » Suæ dignitatis status, suæque missionis memor sacerdos ponet se veluti servum illum coram Deo, cujus oculi dominorum suorum manus inspiciunt, et aures arrectæ ad eorum verba tenentur, ut nutui etiam obediat. Ita Chri-

stus magister noster ut cibum suum Dei voluntatem arbitrabatur: « Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus qui misit me, ut perficiam opus ejus (1) » nempe ut ejus missionem adimpleam.

5. Dei voluntatem in *eventibus* quoque vitæ sive publicis sive privatis, in adversis æque atque in prosperis, undecumque obveniant sequi oportet: quidquid enim in mundo evenit nonnisi Deo volente, vel permittente, vel saltem ferente, fit; « Omnia ad divinæ providentiæ regimen referuntur, quæ stulti quasi casu, nulla divina administratione fieri putant (2). » Passim hanc veritatem in sacris litteris legimus, ut nemo de ea dubium movere possit (3). Quapropter cum his eventibus obsistere conatu aliquo volumus, Dei voluntati certe resistimus, qui ut Pater nos gubernat et scit quid melius nobis futurum sit. Audiamus iterum S. Augustinum: « Quidquid hîc accidit, inquit, contra voluntatem nostram, noveris non accidere nisi de voluntate Dei, de providentia ipsius, de ordine ipsius, de nutu ipsius, de legibus ipsius: et si nos non intelligimus quid quare fiat, demus hoc providentiæ ipsius, quia non sunt sine causa (4). »

(1) Joan. IV, 34. (2) S. Aug. in Psalm. IX.
(3) Is. XLV, 7. — Deut. XXXII, 39. — Amos III, 6. — Eccl. XI, 14. — II. Reg. XII, 11, — et alibi passim.
(4) S. Aug. in Ps. XIV.

6. Non ergo attendamus utrum a dæmone vel ab homine, ab amico sive ab inimico, adversus nostra bona sive interna sive externa aliquid fiat; utrum juste vel injuste homines nos carpant; utrum graviter vel leviter tentemur; « Fidelis autem est Deus qui non patitur vos tentari supra id quod potestis, sed facit etiam cum tentatione proventum ut possitis sustinere (1). » Sed constanter voluntati divinæ adhæreamus, ut tranquillo animo in omnibus consistamus; « voluntas enim Dei sanctificatio nostra est (2). » Verum ut tanta divinæ voluntati conformitas habeatur, necesse prorsus est, ut Deum ex intimo corde diligamus, eumque veluti Patrem nostrum amplectamur, atque certiores simus ab eo diligi: tum quidquid adversi vel tristis accidat, semper in ore nostro erit: « Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra. — Non mea, Domine, sed tua voluntas fiat. » Hæc pro præsenti satis sint, idem enim alibi argumentum redibit, ut plane cognoscamus quo pacto in omnibus Dei voluntati uniri debeamus, quæ sancta est, beneplacens et perfecta, quaque obtenta, omnibus numeris absoluta sanctitas a Christi ministris attingi potest.

(1) I. ad Cor. X, 13.
(2) I. ad Thess. IV, 3.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

V.

De cordis perfectione per vitiorum resecationem.

1. Cor hominis affectionum sedes et principium est: ex cordis ergo bonitate vel malitia hominis perfectio vel perversio pendet, adeo ut, qui corde bono est et perfecto, vir justus et sanctus absque dubio sit, nempe perfectus; qui vero cor malum gerit, nempe vitiis perversisque obrutum affectionibus, hic vir malus sit et opprobrio dignus: « De corde enim exeunt, inquit Christus, cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ: hæ sunt quæ coinquinant hominem (1). » Itaque ut cor ipsum perficiamus nempe affectionibus et sanctis habitudinibus ornemus, pravis imprimis et malis emundare necesse est: quare ipse magister noster Christus, cum homines beatitudines doceret, a paupertate spiritus sermonem sumpsit, ut deinde omnes nobis commendaret agendas virtutes: « Beati pauperes spiritu (2). »

2. Spiritus paupertas varia juxta interpretes significat, sed illud primum et fortasse potissimum, ut cordis emundationi studeamus impense, quo postea virtutibus ornare possimus: vel si etiam pauper spi-

(1) Matth. xv, 19, 20. (2) Matth. v, 3.

ritu ille est, qui in humilitate consistit, atque ab ea veluti a fundamento perfectionis ædificium erigit; sane hic est vir qui superbiam excussit e corde, quæ omnium vitiorum et malorum radix est et origo, ac proinde qui ab omnibus pravis affectionibus cor emundavit. Hinc P. Ludovicus de Ponte ita tres paupertatis spiritus gradus exponit: « Primus est, inquit, exuere et purificare animam ab omni spiritu et vento vanitatis, et ab omne tumore et præsumptione vana, contemnendo omnes mundi pompas. Secundus, meipsum ab omni proprietatis spiritu exspoliare, proprium judicium et voluntatem cum omnibus aliis desideriis omnino exuendo. Tertius et supremus actus est, ita meipsum exinanire, ut adeo pauperem me agnoscam, quod ex meipso nihil prorsus habeam, nisi Deus gratis mihi donet (1). »

3. Hæc est D. Pauli apostoli de cordis perfectione doctrina, quam late in epistola ad Colossenses declarat: « Nunc autem deponite et vos omnia: inquit, iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem de ore vestro. Nolite mentiri invicem, exspoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, et induentes novum... Induite vos ergo sicut electi Dei, sancti et dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humili-

(1) Lud. de Ponte Med. p. 3, m. 2.

tatem, modestiam, patientiam, supportantes invicem, et donantes vobismetipsis... Super omnia autem hæc charitatem habete, quod est vinculum perfectionis : et pax Christi exultet in cordibus vestris (1). »

Hanc ergo sequamur doctrinam, ut primum de iis sermonem faciamus, quibus cor nostrum exuere necesse est, quoniam cordis mundities præ omnibus Christi ministris valde convenit ad receptam missionem adimplendam: qui enim ignem in aliis excitare valeant, nisi et ipsi ardeant? et quonam pacto ardere queant nisi purum cor gerant?

§ I.

De amore sui ipsius.

4. Primum et principale a corde nostro vitium excutiendum est sane nostripsius *amor inordinatus*. Subtile hoc vitium est nec tam ad resecandum facile, quia non modo nos ipsos amare licet, sed ex hoc amore erga alios amorem dimetiri jubemur. « Diliges proximum tuum sicut teipsum (2). » Verum nos ipsos amando nimis excedimus, atque hoc vitio habetur, in medio enim consistit virtus : ex hoc autem excessu fit ut nostrorum officiorum obliti sive erga Deum, sive erga alios, sive etiam erga nosmetipsos,

(1) Ad Coloss III, 8-15. (2) Matth. XIX, 19.

nonnisi nostra corporea vel terrena quæramus, quæ inferiori placent naturæ, concupiscentias oblectant, vitæ et corporis tranquillitatem et commoda gignunt ; atque magna vi reluctemus cum aliquid fieri debeat quod corpus affligit, vel aliquid contra honorem et nostri æstimationem fit, cum injuriis impetimur, atque in genere cum voluntati nostræ pravæ contradicitur: illi inquam voluntati, quæ tota est in nostri satisfactione quærenda, ne aliquid doloris vel mœroris laborisque interni vel externi feramus.

5. Itaque cum homines Christus ad se vocare vellet, hanc primam conditionem posuit: « Si quis vult post me venire abneget semetipsum (1). » Quid est abnegare seipsum nisi a se judicium suum et affectum humanum et terrestrem abdicare? Deponendus igitur est omnis amor naturalis et sensualis affectus Dei legi et voluntati repugnans ; cordis desideria, phantasiæ imagines, concupiscentiæ pruritus, rationes humanæ, voluntas nostra, omnia sunt moderanda, atque legi divinæ voluntatique conformanda, ut nobis non acquiescamus nec satisfaciamus sed Deo, nostri immemores et vitæ nostræ, tranquille ferentes quidquid nobis et miseræ nostræ voluntati et carni opponitur. Hoc est laborare ad amorem

(1) Matth. XVI, 24.

suipsius inordinatum extinguendum, non sane uno ictu vel horæ momento, sed gradatim et constanter ad vitæ usque exitum.

6. Ad vitium hoc pedetentim extirpandum juvat hic paradoxa quædam, veluti media, exponere, quæ S. Ægidius S. Francisci socius docebat :

« Si vis bene videre, erue oculos tuos et esto cœcus. » — « Si vis bene loqui, esto mutus. » — « Si bene ambulare, abscinde tibi pedes. » — « Si bene operari, mutila tibi manus. » — « Si bene amare, habeas te odio. » — « Si vis bene vivere, te mortifica. » — « Si bene lucrari, disce perdere. » — « Si vis esse dives, esto pauper. » — « Si vis esse in deliciis, afflige te. » — « Si vis esse securus, semper esto in timore. » — « Si vis exaltari, humilia te. » — « Si vis honorari, despice te, et honora te despicientes. » — « Si vis habere bonum, sustine malum. » — « Si vis esse in quiete, labora. » — « Si vis benedici, desidera maledici. »

Hæc et alia multa agenda a nobis sunt, ut amoris nostri impetum refrenare discamus, eumque intra virtutis limites continere: non enim licet nos plusquam Deum diligere; licet autem ita amare, ut ex hoc amore Deum ipsum amemus et possideamus.

§ II.

De Superbia.

7. Suimetipsius inordinatus amor alia quamplurima continet ac promovet vitia, quorum primum et omnium maximum *superbia* est, de qua in sacris litteris legimus : « Superbia est initium omnis peccati, odibilis coram Deo et hominibus, qui tenuerit illam adimplebitur maledictis et Deus subvertet eum in finem, quoniam ab eo qui fecit illum, recessit cor ejus (1). » Et revera superbi animi est ita se ipsum elevare, ut ejus obliviscatur qui omnia ei dedit : unde ut ab hoc vitio S. Paulus hominem revocet sic instat : « Quis enim te discernit ? Quid autem habes quod non accepisti ? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis (2) ? » Præstat ergo, maxime nobis sacerdotibus et ministris humilitas Christi, ut contra hoc execrabile ac periculosissimum vitium totis viribus pugnemus : qui enim superbi sunt in veritate non consistunt, Satan enim superbiens in veritate non stetit (3) ; nobis autem, qui lumen mundi sumus, necesse prorsus est ut in veritate sistamus, et de omnibus Deo gloriam referamus, cui omnium Auctori et Domino referre jure debemus.

(1) Eccli. x, 7, 15. (2) I. ad Cor. IV, 7. (3) Joan. VIII, 44.

8. Superbia in æstimatione sui inordinata originem habet eaque augescit, carnis amore alitur, imo aliquando hic ejus est exitialis effectus; Deus enim superbos humiliat, alta a longe cognoscit. Exemplo nobis sint philosophi illi, qui superbe de se sapientes, insipientes facti sunt, evanuerunt in cogitationibus suis, dicentes se esse sapientes, ideoque traditi sunt a Deo in desideria cordis eorum, in immunditiam (1). Quapropter ad nostri comprimendam vanam æstimationem, atque in animis suscitandum nostrimetipsius contemptum, optimum est consilium, ut sæpe præ mente tres illas satis vulgares S. Bernardi quæstiones ponamus: « Quid fuisti, nisi nihilum, unde te Deus vocavit, ut aliquid esses? Quid es, nisi sterquilinium et peccati fons et origo, quem Deus sustinet ne in profundum inferni decidat? Quid eris, nisi saccus vermium sub potenti manu Dei constitutus? Igitur si quid boni habes ad Deum referas et dic: Magnificat anima mea Dominum..... quia respexit humilitatem servi sui. Si quid mali habes et peccata tibi noxio tribue, quia nonnisi hæc ex te sunt, cum libertas per sese vix non possit nisi peccare. Atque in genere cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite: servi inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus (2). »

(1) Ad Rom. I, 21 ad finem. (2) Luc. XVII, 10.

9. Excellens et efficacissimum extirpandæ superbiæ medium est virtutis contrariæ nempe humilitatis exercitium, quod ex sancti Basilii doctrina ita exponimus: « Esto comis erga amicum, mansuetus erga domesticum, patiens erga temerarios, humanus erga humiles, patronus afflictis, invisens in dolore constitutos, in summa neminem contemnens: suavis in appellatione, alacer in responsione, neque tua celebrans encomia, neque alios qui hoc faciunt subornans, neque inhonestam de proximo famam admittens, et virtutes tuas ac prærogativas, quantum fieri potest, obtegens... Ne sis in increpando molestus ac severus; neque statim aut cum animi commotione quemquam reprehendas, neque propter modica delicta condemnes aliquem quasi rigidus juris exactor; sed eos qui deliquerunt, spiritualiter instruas, quemadmodum admonet Apostolus: considerans teipsum ne et tu tenteris. »

§ III.

De Ambitione et Avaritia.

10. Hæc duo a nostro corde vitia expungenda conjungimus, quia sæpe fit ut unum ex alio procedat et ambo invicem se quærant et roborent, ut ambitiosus sit vel fiat qui avarus est, quo cum honoribus et dignitatibus pecuniam augeat, suique splendorem.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

At ambitio et avaritia, quæ turpia secularibus hominibus sunt, nefanda et indignissima religiosis et ecclesiasticis viris esse videntur. *Ambitio* illa est, qua quis primas in mundo et non in cœlo expetit. Ejusmodi fuit apostolorum omnium ambitio, cum Christum interrogarunt: « Quis putas major est in regno cœlorum (1)? » putantes regnum hoc Messiæ non cœleste sed terrestre futurum; ejusmodi fuit duorum filiorum Zebedæi ambitio, qui per matrem petierunt a Christo, ut unus ad dexteram alter ad sinistram ejus sederent in regno suo (2); ejusmodi denique ambitionem Satan Christo suggessit cum inquit: « Hæc omnia tibi dabo si cadens adoraveris me (3). »

11. *Avaritia* vitium illud turpissimum est, quo quis auro et argento propter se ipsa inhians ut cumulet, inordinate inhæret. Attamen avarus putandus etiam ille est, qui nimis divitias desiderat et amat, magno ardore quærit, iisque quasi magno bono lætatur; vel qui nimis avide servat, atque in inordinatam, cum admittit, tristitiam incidit. « Non enim, inquit Augustinus, solum ille avarus est qui rapit aliena, sed qui nimis cupide servat sua (4). » Avarus etiam ille est qui pro minoris momenti rebus lites agit; qui pauperum necessitatibus et indigentiis

(1) Matth. xviii, 1.
(2) Matth. xx, 21.
(3) Matth. iv, 9.
(4) S. Aug. serm. 107.

non occurrit, vel vix aliquid distribuit; qui sordidam œconomiam prosequitur, sibi etiam denegando, quæ vitæ necessaria et decoro dignitatis et status sui videntur; denique qui nimia severitate et absque misericordia jus suum in debitores quærit.

12. Duo hæc vitia, inquam, religioso et ecclesiastico viro nefanda et indignissima sunt, non modo quia ut christianus contra baptismatis promissa agit, quibus asseruit mundo et ejus pompis renuntiare; sed quia ut minister Christi in sortem Domini fuit vocatus et Dominum ipsum præ omnibus, ut partem hæreditatis suæ sibi elegit: nunc autem sordidarum rerum amore, Christum posthabet et quasi apostata ipsum deserit. An Christus divitias vel hujus terræ honores adamavit? nonne fugit cum homines eum creare regem vellent? nonne ignominiarum, paupertatis et dolorum regnum dignitatibus omnibus et divitiis prætulit? anne aliud quærendum est ei qui Deum possidet? « Cum Dei sint omnia, habenti Deum nihil deerit, si ipse Deo non desit (1). »

13. Horum vero vitiorum effectus brevissime sunt considerandi, ut quamprimum ex animis nostris expellamus. Ambitiosi hominis est servire et plurimorum pedibus se prosternere antequam dignitatem aliquam possideat: « Habet ambitio domesticum pe-

(1) S. Cypr. de Orat. domin.

riculum : ut enim dominetur aliis, prius servit, curvatur, obsequitur, ut honore donetur ; et dum vult esse sublimior, fit demissior (1). » Ideo Satan, qui Christi dignitatem ignorabat, petiit ab eo adorari antequam ipsi omnia regna mundi demandaret. — Ambitio invidiam gignit, injustitiæ actus facillime parit, in profundam tristitiam et quandoque in desperationem agit eum, qui tot ambitiose quæsitis honoribus juste vel injuste privatur. — Nec raro fit ut ambitiosus presbyter ad miseros acquirendos honores calumniis alios impetat, vindictæ in competitores anhelet, Dei suorumque munerum ambitionis causa obliviscátur.

14. Nec minus miseri ac detestabiles sunt avaritiæ effectus. Avaritiæ est mentes obnubilare atque obcœcare, necnon a Deo cogitationem avertere ; cum fieri non possit, testante Domino, ut Deo et mammonæ serviamus. — Sed quod incredibile videri posset, avaritia inopiæ causa est : « Avarus, inquit S. Bernardus, terrena esurit ut mendicus ; fidelis contemnit ut dominus. Ille possidendo mendicat ; iste contemnendo servat (2). » — Avaritiæ est ad omnia etiam scelleratiora crimina animum impellere, atque Dei præsertim ministros ad horribile, per sacrilegia, proditoris Judæ deicidium

(1) S. Ambr. in Luc. IV
(2) S. Bernard. serm. 21 in Cant.

et iniquissimam proditionem : at veluti Judas, crimine cognito, in desperationem actus laqueo se suspendit ; ita istiusmodi avari ecclesiastici in omnia crimina ruunt, ut denique infelicissimam obeant mortem. — Denique nemini dubium est vitium hoc æternæ perditionis signum esse, cum Christi sententia maneat : « Væ vobis divitibus quia habetis consolationem vestram. Væ vobis qui saturati estis, quia esurietis (1). »

15. Præstat modo Christum hæc vitia plectentem audire. Cum apostoli eum interrogant : « Quis, putas, major est in regno cœlorum ? » Christus parvulum ad se advocans, respondet : « Amen dico vobis, nisi conversi fueritis et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum..... Qui autem scandalizaverit unum de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris (2). » Ex quibus duo deducimus : primò quidem ambitiosos ecclesiasticos, qui in hoc vitio perdurant, cœlesti regno privari ; regnum enim hoc nonnisi iis datur, qui simplices ut parvuli terrestria non ambiunt ac humiles in omnibus sunt. Via ergo ad alta ascendendi est infima quærere : « Quicumque ergo humiliaverit se sicut parvulus iste, hic est major in regno cœlo-

(1) Luc. VI, 24, 25.
(2) Matth. XVIII, 1-6.

rum (1). » Alterum est ecclesiasticos viros ambitiosos scandalo fidelibus esse, tantoque ut eis in mare demergi expediat, quam hujus scandali causam esse. Ita S. Hieronymus de apostolis ambitiosis hæc esse dicta verba interpretatur, quia inquit: « interrogando quis major esset in regno cœlorum, videbantur inter se de dignitate contendere; et si in hoc vitio permansissent, poterant eos, quos ad fidem vocabant, per suum scandalum perdere, dum apostolos viderent inter se de honore pugnare (2). »

16. Quod ad avaritiam pertinet, fere totum Matthæi caput VI in hoc est, ut Christus ab hominum animis hoc vitium expellere conetur: « Nolite, inquit, thesaurizare vobis thesauros in terra » quorum vanitatem ostendit, maxime si thesauris cœlestibus et qui ad cœlum ducunt comparentur; docet divitiarum amorem tenebras in omnia opera inducere atque a Deo avertere, quia simul Deo et mammonæ servire non possumus; ideo extollit fiduciam, quam in Deo patre nostro reponere debemus circa ea quæ ad vitam necessaria sunt, atque id per similitudines confirmat: « Scit enim Pater vester quia his omnibus indigetis. » Quare concludit: « Quærite ergo primum regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis. »

(1) Matth. XVIII, 4. (2) S. Hier. in Matth. XVIII.

17. Facile, ex his omnibus, religiosis et ecclesiasticis viris apparet, quæ sint media ad hæc duo vitia in nostris animis retundenda. Primum est ut animi magnanimitate terrestria omnia contemnamus, quæ cœlestium comparatione parva sunt et exigua, vana et periculosa, cor sollicitant, spinæ sunt et lacerant: « Quæ stultitia, ait S. Jo. Chrysostomus, illic relinquere unde exiturus es, et non illuc præmittere quo iturus es! Thesauriza ubi patriam habes (1). » — Alterum est ut nostrum statum, nostramque intrinsecam consideremus dignitatem, quæ hujus mundi dignitatibus et thesauris immensum præstat: quorsum enim in partem Christi venimus, nisi ut cœlestibus bonis, Christi divitiis ac Dei potiamur, ut aliis etiam abunde largiamur? — Tertium denique est, ut pedetentim omnem corporis vitæque nostræ sollicitudinem ab animis nostris deponamus, nec nisi provida diligentia et labore nobis nostrisque necessaria vitæ procuremus, omnem in Deo patre nostro fiduciam reponentes: « Deo enim pascente, non est opus nos esse sollicitos; inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono (2); » et alibi legimus: « Jacta super Dominum curam tuam, et ipse te enutriet (3). »

(1) S. Jo. Chrys. hom. 48.
(2) S. Jo. Chrys. hom. 57. — Psalm. XXXIII.
(3) Psalm. LIV, 23.

§ IV.

De affectione erga parentes et propinquos.

18. Aliud est ab ecclesiasticorum et religiosorum virorum cordibus vitium penitus excludendum, scilicet immoderatus parentum et propinquorum amor et affectio. Nemini certe vetitum quominus erga carne propinquos amorem nutriat: sed amor hic in sacerdotum animis humanus et naturalis esse non debet, neque ita moderationis limites excedere, ut Christum ejusque sponsam Ecclesiam huic propinquorum amori postponant. « Multa nos facere cogit affectus, inquit S. Hieronymus, et dum propinquitatem respicimus corporum, et corporis et animæ offendimus creatorem. Qui amat patrem aut matrem super Christum, non est eo dignus. Discipulus ad sepulturam patris ire desiderans Salvatoris prohibetur imperio. Quanti monachorum, dum patris matrisque miserentur suas animas perdiderunt (1)? » Christus autem aperte inclamat: « Si quis venit ad me et non odit patrem suum, et matrem, et uxorem, et filios, et fratres, et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus (2). » Itaque a tenera usque duodecim annorum ætate exem-

(1) S. Hieron. epist. 128 ad Fab.
(2) Luc. XIV, 26.

plum mundi Redemptor præbere voluit, ut quibus finibus parentum amor coarctari prorsus debeat omnes discipulos suos doceret.

19. Ecclesia vero, multis editis canonibus, ecclesiasticos viros sui officii sæpissime admonuit, præscriptisque pœnis hanc amoris immoderantiam compescuit. « Omnino eis interdicit Tridentina synodus, ne ex redditibus Ecclesiæ consanguineos familiaresve suos augere studeant: cum et apostolorum canones prohibeant, ne res ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis donent; sed si pauperes sint, iis ut pauperibus distribuant; eas autem non distrahant, nec dissipent illorum causa: immo quam maxime potest, eos sancta synodus monet, ut omnem *humanum* hunc erga fratres, nepotes, propinquosque carnis affectum, unde multorum malorum in Ecclesia seminarium extat, penitus deponant (1). »

20. Et revera ex hoc inordinato amore procedit, ut ecclesiastici viri sua omnia studia ad divitias augendas impendant, ad dignitates ambiendas spe lucri majoris; inde est ut sese etiam necessariis et suæ dignitati convenientibus rebus exspolient, ut propinquos ditent; inde insatiabili feruntur desiderio, ut parentibus et propinquis dignitates et officia in mundo procurent, idque

(1) Sess. XXV, c. 1 de Ref.

quandoque mediis Dei ministris indignissimis, atque sacerdotalis auctoritatis abusu; quare pauperes eleemosynis frustrantur, ad quas ex Ecclesiæ bonis jus habent, et ex hoc scandalum inter fideles cietur. Cum vero tot inter sæcularia negotia distrahantur, quo parentum necessitatibus obviam eant, quomodo fieri potest ut ministeria sacra non negligant? ipsa nimis summarie et leviter obibunt: attamen de his præsertim Christus Dominus exemplum præbuit, cum parentibus de sua absentia interrogantibus reposuit: « Nesciebatis quia in his quæ Patris mei sunt oportet me esse (1)? »

21. Quapropter ecclesiastici et religiosi viri serio intelligant sibi erga parentes propinquosque immoderatum deponendum esse amorem et humanum affectum, ut in spiritalem vertant, atque majori qua possunt ope, studia sua in ea quæ Dei sunt convertant et in animarum salutem, prout eorum status et vocatio ipsis imponit. Sciant sibi quandoque « relinquendos esse mortuos sepelire mortuos suos » quia majora, altiora, graviorisque momenti munera persequi debent. Sciant providendum sibi fidelibus et maxime pauperibus esse; intelligant post susceptos sacros ordines aliam ipsis esse digniorem Matrem, Ecclesiam sanctam Christi sponsam; alium Patrem, Deum ipsum

(1) Luc. xi, 49.

cœli factorem et terræ; alios fratres et propinquos, fideles omnes Christi fratres, quos educare et perficere oportet, ut regnum Dei æternum possideant. Hæc cogitent ministri Dei, hæc meditentur. « Scientes igitur intolerabile detrimentum hujus erga cognatos affectus, fugiamus illorum curam, tamquam diabolum armaturam aliam ad impugnandum non habentem (1). » Sibi sæpe præ oculis Christi exemplum ponant, eumque sequantur, ut in sacerdotii limine se facturos promiserunt.

§ V.

De voluptatum et commoditatum amore.

22. Veluti pestis in hominum cordibus voluptatum et commoditatum amor serpit, ex quo originalis labes animos et eorum corpora infecit. Hic prima est et crudelior ex tribus concupiscentiis, de quibus Joannes loquitur (2), quæ jam ex mundi exordio tot sunt causa malorum. Christus ad has pedibus conculcandas venit, has cruci affixit, sed maxime in suo corpore, ut voluptatum concupiscentiam contereret, tormenta tulit atrocia, sanguinemque suum ex omnibus disruptis venis effudit. Tota vita Christi crux fuit et martyrium, ex quo inter ho-

(1) S. Bas. in Const. Mon., c. 20.
(2) I. Jo. ii, 16.

mines apparuit: nulla sibi vitæ commoda quæsivit, præter corporis dolores, indigentiæ omniumque rerum carentiæ se subdidit, non quod in se aliquid refrænandum haberet, sed ut nobis sua mortificatione exemplum carnis luxuriam commoditatumque amorem continendi præberet. Ipse primus divinæ virginitatis ac puritatis nobilissimum donum exhibuit, et hanc virtutem discipulorum cordibus animisque insinuavit atque indidit, adeoque ad amandam persuasit, ut post ejus in cœlum ascensum apostoli, discipuli atque ab eis electi episcopi et presbyteri aut virgines essent, aut vidui, aut certe post sacerdotium in æternum pudici (1).

23. Cum igitur religiosis atque ecclesiasticis viris servanda sit pudicitia, eaque immaculata, ut divinis angelicisque ministeriis una cum Agno immaculato fungantur; necesse omnino est, ut omnem voluptatum et commoditatum amorem et affectum exuant et conterant. Ex iis, quæ præcedentibus capitibus dicta sunt, facile hujus rei opportunitatem necessitatemque conjicere licet: qui enim carnalis homo voluptatibus, omnibusque corporis commoditatibus addictus vel intelligere quæ spiritus sunt vel explicare aliis queat? quomodo divini amoris ignem in se fovere atque in

(1) S. Hier. in Apol. adv. Jov.

aliis excitare, ut Christi Jesu receptam missionem impleat? Nonnisi virginibus sequi Christum virginem datum est: ideo virginem matrem et patrem nutritium elegit, ideo majori dilectione Joannem virginem adamavit, ideo apostolos et discipulos saltem pudicos et in posterum castitatis amatores voluit; ideo nos sacerdotes factis omnibus quæ carnis illecebras sapiunt, plene et ex corde renuntiavimus, ut filios alios nisi Ecclesiæ Deique filios habeamus. Ad rem S. Jo. Chrysostomus: « Necesse est, inquit, sacerdotem sic esse purum, ut si in ipsis cœlis collocatus esset, inter cœlestes virtutes medius staret (1). »

24. Non ergo sine causa canones quamplurimi sive a Pontificibus, sive a Cōnciliis confecti sunt, ut Dei ministri cordis ac corporis puritatem intactam servarent; eisque pœnæ non paucæ et gravissimæ adjectæ, ut si quis timore atque Dei amore se tangi non sinat, saltem ignominiam humanam et pœnales afflictiones hujus vitæ pertimescat. Oportet igitur hujusmodi canones magna cum diligentia et sancte servare, eisque ex animo et sponte obtemperare, ut omnem libidinis occasionem fugiamus. — « Primum enim, inquit S. Hieronymus, hujus vitii remedium est *longe fieri ab eis quorum præsentia alliciat ad malum.* » Ideo canones coha-

(1) De Sac. l. 3. c. 4.

bitationem presbyteris cum feminis, nisi cum matre et sorore interdicunt; ideo multa circa visitationes et colloquia, maxime cum mulieribus, præscribunt; ideo prohibent quominus sacerdotes sæcularibus comessationibus vel compotationibus adsint, et volunt ut nonnisi frugali modo etiam primitiæ sacerdotii celebrentur.

25. Juvat ergo ad castitatem servandam *animi corporisque mortificatio*, tum sensuum refrænatione « Ascendit enim mors per fenestras (1); » tum externis impositis macerationibus et jejuniis, quia « Luxuria nutritur a ventris ingluvie (2) : » ideo apostolus Paulus: « Castigo, inquit, corpus meum et in servitutem redigo, ne cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar (3). » — At omnium efficacissima remedia sunt, *humilitas* et fervens ac perseverans *oratio*: « Ut castitas detur, humilitas meretur (4), » et « Custos virginitatis charitas, locus custodiæ humilitas (5). » Etenim humiles Deus respicit, superbos autem sinit vilissima abripi luxuria. Huic humilitati si fervens addatur oratio, angelica certe castitate Dei minister donabitur: fieri enim non potest ut nostris viribus servemus: « Et ut scivi, inquit Salomon, quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det... adii Dominum et deprecatus sum illum et dixi ex totis præcordiis meis (1). »

(1) Jer. IX, 21.
(2) S. Bon. De Prof. rel. l. 2, c. 52.
(3) I. ad Cor. IX, 27. (4) S. Bern. epist. 42, c. 15.
(5) S. Aug. De Virgin., c. 51.

§ VI.

De Ira et Impatientia.

26. Ad mansuetudinem sectandam nos sæpe Christus Dominus ac Magister hortatus est, seque hujus pulcherrimæ virtutis exemplar præbuit cum ait: « Discite a me quia mitis sum corde; » eique virtuti æque atque humilitati pacem animæ promisit: « Et invenietis requiem animabus vestris (2). » At fieri ne potest, ut hac virtute præditi simus, nisi prius iram animique impatientiam compescamus? Ira est immoderata animi indignatio et irruptio contra malum quod ferimus, vel in eos qui nobis causa mali sunt. Stulti sane hominis est hanc indignationem fovere, quæ nec potest malum avertere, nec prorsus impedire: dum prudentis atque sapientis viri est potius animam convertere ad malum minuendum vel ad remedia conquirenda, quibus illo levemur: « Ne sis velox ad irascendum, quia ira in sinu stulti requiescit (3). »

27. Quam indignum Dei ministro hoc vi-

(1) Sap. VIII, 21.
(2) Matth. XI, 29. (3) Eccli. VII. 10.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tium sit, exinde patet quod Ecclesia non modo irregulares fideles *ex delicto* homicidii et mutilationis declaret ad ordines suscipiendos, sed etiam ex *defectu lenitatis*. Sacerdos enim angelus concordiæ et pacis esse debet, atque mitissimum Agnum Christum repræsentare de quo legimus: « Non clamabit, neque accipiet personam, nec audietur vox ejus foris. Calamum quassatum non conteret, et linum fumigans non extinguet: in veritate educet judicium. Non erit tristis atque turbulentus, donec ponat in terra judicium (1). » Erit ne igitur hujus mitissimi Christi vicarius, qui ira commotus violentos actus vel verba proferat, qui suas oviculas conterat, vel injuriis contumeliisque afficiat, vindictam anhelet, percutiat, clamores et rixas excitet, discordiamque foveat? Ideo Apostolus inter alias Episcopi dotes hanc requirit ut « non sit percussor sed modestus; non litigiosus » atque alibi Timotheum hortatur, ut « lites vitet, sed sit mansuetus ad omnes, docibilis, patiens, cum modestia corripiens eos qui resistunt veritati (2). »

28. Mala autem quamplurima iracundia gignit, inter quæ primum et gravissimum est mentis aciem obtundere: « Nihil sic ingenii puritatem mentisque aciem obturbat.

(1) Isa. XLII, 2-4.
(2) I. ad Tim. III. — II. ad Tim. II, 23, 25.

inquit Chrysostomus, ut ira inordinata, quæ multo fertur impetu. Ira enim, inquit ille, etiam prudentes perdit (1). » — Secundo, inquit S. Gregorius, hoc vitio « supernæ imaginis similitudo vitiatur (2). » Facti enim ad imaginem et similitudinem Dei, natura ipsa, tranquillam Dei ipsius immobilitatem et quietem ferre deberemus, quam ipse æternum habet. At iracundia permotus homo ceu vertigine captus vel immanissimis belluis ferius exasperatur. — Unde tertio vitium hoc maxime in sacerdote et damnum sibi et proximo scandalum parit: « Temere excandescentibus et gehennam et gehennæ ignem Deus comminatus est (3); » populus vero ministris Dei iracundis subditus et ab ipsis et a Deo avertetur: qui enim hominem ceu feram quamdam a multis undique exstimulatam aculeis alloqui vellet, ut de divinis rebus atque animæ necessitatibus quiete agat?

29. Nec impatientia minus quam iracundia effugienda est, siquidem animum etiam turbat, mœstitiam ingerit, provocat iram ipsam, atque efficit ut merita quæ ex adversitatibus colligere possemus prorsus dissipemus. « Patientia vobis necessaria est, ut voluntatem Dei facientes reportetis pro-

(1) De Sacerd. 3, 14. — Prov. XV, 1.
(2) Lib. 5 Mor. c. 30.
(3) S. Jo. Chrys. De Sac. lib. 3, c. 13. — Matth. V, 22.

missionem (1). » Multa pati homines in hac vita debent, sed maxime Dei ministri ad hoc sunt, ut cum Christo ignominias, injurias, persecutiones, atque adversitates utcumque ferant. Quomodo autem suis plane divinis ministeriis fungi queant nisi impatientem animum refrænare noverint? « Exhibeamus igitur nosmetipsos sicut Dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis (2). »

30. Itaque ut hujusmodi animi impetus refrænare sciamus primo *reflexione* opus est, ut nihil vel faciamus vel dicamus, quin tantisper quieto animo quid agendum vel dicendum sit recogitemus: « Bis ad limam, inquit alicubi S. Bernardus, semel ad linguam. » — Secundo, dum interna animi commotio adhuc perdurat nihil jubeamus, neque aliquem reprehendamus, atque in aliud tempus agenda transferamus; imitemur Eliseum prophetam, qui quamvis sancta indignatione in regem Israel ferretur, noluit tamen verba Dei proferre nisi prius, psalte adhibito, animus conquiesceret (3). — Tertio dum animus omnino quiescit, verba mansuetudinis plena et misericordiæ actus sæpissime adhibeamus, etiam erga eos, qui

(1) Ad Hebr. x, 36
(2) II. ad Cor. vi, 4, 5.
(3) IV. Reg. iii.

male nobis affecti videntur: sic fiet ut paullatim animus mansuetudini assuescat. — Quarto si aliquando fiat, ut ira commoti aliquid indignum nostra conditione protulerimus, juxta Apostoli præceptum: « Sol non occidat super iracundiam nostram (1). »

31. In genere præ mente habeamus quæ et quanta Christus pertulerit, quantaque longanimitate erga nos se gerat, qui quotidie offendimus. Quid hujus vitæ mala sunt præ illis alterius vitæ? Si malum præteritum est quid ex ira vel impatientia fructus percipiemus? Si præsens est, ira vel impatientia ægritudinem animi et malum ipsum extollit, proinde valde potius juvat ut ferendo minuamus; si denique futurum est, quid tristamur cum nihil adhuc feramus? sed prudentiæ est remedia ad malum avertendum vel minus reddendum quærere. Ceterum cogitemus verum atque unicum malum nonnisi peccatum esse, atque in illud tantummodo totam iracundiam nostram convertendam, ut vel a nobis elongemus, vel si actum jam sit in nobismetipsis puniamus: nostræ sane culpæ adscribendum quod aliquid in peccatorum expiationem feramus; « Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei (2). »

(1) Ad Eph. iv, 26.
(2) Act. Apost. xiv, 22.

UNIVERSIDAD PONTIFICIA DE SALAMANCA
DIRECCIÓN DE BIBLIOTECAS

§ VII.

De Pigritia et Otio.

32. « Labora sicut bonus miles Christi Jesu (1) » S. Paulus ad Timotheum scribit: quod sane omnibus religiosis et ecclesiasticis viris est commendandum, non enim a Deo ad hunc nobilissimum statum vocati sunt, ut ex Ecclesiæ bonis tranquillam et omni fœnore solutam vitam degant, sed ut jugiter sacris ministeriis in Dei gloriam et animarum salutem incumbant. Est autem pigritia animi pessima dispositio, qua qui afficitur laborem refugit, otium quærit, vel leviter ac negligenter sua munera peragit, segnis in omnibus atque enervis. At otium multorum malorum initium est omniumque vitiorum origo. « Multam enim malitiam docuit otiositas (2). » Etenim qui serio in labore non occupantur inutiles et vagi sunt, vacant et avent singulorum facta audire, narrare, judicare et carpere: cum nihil agant, satagunt tamen, movent et incitant quosque ut faciant, turbent et mutent ea, quæ suæ phantasiæ inquietæ et turbulentæ facienda et mutanda videntur. Hinc S. Paulus ad Thessalonicenses scribens, eos vehementissime hortatur, ut subtrahant se ab

(1) II. ad Tim. II, 3.
(2) Eccli. XXXIII, 30.

omni fratre ambulante *inordinate* (1). « Inordinationem certe pigritiam et otium vocat, inquit Chrysostomus, Deus enim posuit hominem ad laborem, artusque ejus ad hoc effinxit: quocirca qui otiosus est, ab ordine suo deficit et creatione (2). » Ideo Apostolus se ipsum Thessalonicensibus exemplum præbet, qui nocte ac die operatus est, ne quemquam ipsorum gravaret, quamvis aliud agendi potestatem haberet.

33. Alia vero sunt quæ ex otio et pigritia graviora mala undique pullulare videntur. « Per otiositatem, inquit Augustinus, accendimur frequenter ad luxuriam, per hanc animamur ad superbiam, per hanc tentamur delicate pasci, per hanc delectamur pretiose vestiri, per hanc ad superfluam dormitionem trahimur, per hanc ad verba sæcularia ducimur. » Quod autem de sua parœcia vel de suo munere quocumque otioso sacerdoti futurum sit, audias Proverbiorum auctorem: « Per agrum hominis pigri transivi, et per vineam viri stulti: et ecce totum repleverant urticæ, et operuerunt superficiem ejus spinæ, et maceria lapidum destructa erat (3). » Quæ cum ita sint, quam, quæso, presbyter hic rationem reddet ei, qui de omni verbo otioso homines etiam arguet, ut severe pu-

(1) Ad Thess. III, 6.
(2) S. Jo. Chrys. in epist. ad Thess.
(3) Prov. XXIV, 30.

niat? quomodo de omnibus suorum subditorum malis, ex sua negligentia atque incuria ob pigritiæ amorem patratis, Christo judicanti respondere queat?

34. At qua fronte piger et otiosus sacerdos Ecclesiæ bonis fruetur, cum nihil vel fere nihil agat quod mereatur mercedem? Sane, inquit Apostolus, « Dignus est operarius mercede sua (1). » Piger vero nullo modo operatur: hinc ipse Paulus ad Thessalonicenses scribens, ait: « Hoc denuntiabamus vobis, quoniam si quis non vult operari, nec manducet (2). » — « Absurdum est enim, ut sæculares viri se laboribus defatigent pro se ipsis, pro principibus, pro pauperibus, nos autem compressis quidem manibus sedeamus, alienis autem fruamur laboribus (3). » Caveant ergo ministri Dei, ne sua pigritia et otiositate fraudis etiam et furti crimine juste incusentur.

35. Quamobrem ad hoc vitium e cordibus excutiendum juvat, quæ adhuc diximus frequenter mente revolvere et memoria tenere, ne cum jam ex contracto habitu solutis otio membris, dissolutaque voluntate, pigritiæ vinculis constringamur, nimis arduum sit ab iis liberari. Habent sane ecclesiastici et religiosi viri multa in quibus occupentur: præter quotidianas preces quæ

(1) I. ad Tim. v, 18. (2) Ad Thess. III, 10.
(3) Theod. in Phil. 10.

perfunctorie non sunt recitandæ, et sanctissimum Missæ sacrificium, quod omni cura et pietate est celebrandum, sunt ministeria sacra pœnitentiæ tribunalis et prædicationis, visitationum infirmorum et hominum morali infirmitate laborantium; sunt et alia opera pia sive sodalitatum, sive societatum ad pauperes miserrimosque homines ab indigentia corrogatis eleemosynis levandos, ad pueros rudesque viros instruendos, atque alia non pauca, quibus licet sane tempus utiliter impendere. Quod si hæc omnia temporis spatium adhuc vacuum relinquant, nonne et studia sive dogmatica sive moralia supersunt, in quibus sancte et proficue occupari possunt? Si quis autem eorum ad scribendum aptus videatur, nonne nunc temporis præsertim magno Ecclesiæ emolumento erit libros quoscumque confingere ac typis mandare, ut errores quamplurimi, qui undequaque serpunt viriliter refutentur, populusque in fide et bonis moribus instruatur?

36. Juvat etiam quandoque ducis nostri et magistri Jesu Christi exemplum præ oculis ponere, qui « fatigatus ex itinere sedebat » ut unam converteret Samaritanam; qui die erat in templo docens, et nocte solus in montem oraturus secedebat; qui nunquam sibi et labori pepercit, sive vitam privatam sive publicam ageret; ut nobis

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

esset exemplo, nosque doceret natos esse homines labori, et hanc fuisse humano generi pœnam impositam: « In sudore vultus tui vesceris pane (1). » Hunc autem laborem non pœnam modo, sed hominis munus esse, ut aliquid haberet in quo utiliter occuparetur, suasque vires et facultates exerceret; ex eo scimus quod primus homo non sane in paradiso voluptatis positus fuerit, ut otio et fructibus terræ sponte maturescentibus frueretur, sed « ut operaretur et custodiret illum (2). » Si igitur hominis munus labor est, nonne gravissimum sacerdoti est, cui officium impositum animarum salutem quacumque possit ope quærendi, atque omnibus conandi viribus, ut regnum Dei perficiatur?

VI.

De Cordis perfectione per virtutum acquisitionem.

1. Corde jam per vitiorum resecationem purgato, ad illud perficiendum restat ut virtutibus ornemus. Virtus efficit ut cor, nempe affectiones ejusque tendentiæ juxta rationem ac fidei lumina dirigantur, quæ Deum ipsum ejusque Christum omnibus numeris absolutum exemplar sanctitatis perfectionisque proponunt. Igitur cor nostrum

(1) Gen. III, 19. (2) Gen. II, 15.

virtutibus ornare idem est ac Christum ducem sequi, ejus cordis motus et affectiones investigare, ejus internis externisque actibus, quibus cordis motus manifestantur, studere, ut omnia quæ ipse amavit, quæsivit, egit, in nobis ipsis nostrisque actibus exprimamus: « Inspice et fac secundum exemplar quod tibi monstratum est (1). »

2. Etenim præceptum nobis fuit: « Estote perfecti sicut et Pater vester cœlestis perfectus est (2): » at quia ex nostræ naturæ infirmitate neque Deum videre possumus et cognoscere, neque omnino agere quæ ipse agit; unigenitus Dei Filius nostram miseratus naturam sibi copulavit, in eaque atque per eam Patris sui sanctitatem hominibus aptatam ac facile sensibus percipiendam monstravit, nobisque supernaturalem addidit gratiam, qua videlicet eam sanctitatem actibus nostris consequeremur. Qui videt Christum, videt et Patrem ejus (3); et qui agit quæ Christus egit, non secus ac Pater operibus peragit, unde Patris ipsius perfectionem consequitur.

3. Virtutes autem præcipuæ, de quibus Christus exemplum præbuit sunt: humilitas, et cordis mansuetudo, patientia in adversis, obedientia erga Deum suosque quos sponte superiores elegit, zelus animarum,

(1) Exod. XXV, 40. (2) Matth. V, 48.
(3) Jo. XIV 9

esset exemplo, nosque doceret natos esse homines labori, et hanc fuisse humano generi pœnam impositam: « In sudore vultus tui vesceris pane (1). » Hunc autem laborem non pœnam modo, sed hominis munus esse, ut aliquid haberet in quo utiliter occuparetur, suasque vires et facultates exerceret; ex eo scimus quod primus homo non sane in paradiso voluptatis positus fuerit, ut otio et fructibus terræ sponte maturescentibus frueretur, sed « ut operaretur et custodiret illum (2). » Si igitur hominis munus labor est, nonne gravissimum sacerdoti est, cui officium impositum animarum salutem quacumque possit ope quærendi, atque omnibus conandi viribus, ut regnum Dei perficiatur?

VI.

De Cordis perfectione per virtutum acquisitionem.

1. Corde jam per vitiorum resecationem purgato, ad illud perficiendum restat ut virtutibus ornemus. Virtus efficit ut cor, nempe affectiones ejusque tendentiæ juxta rationem ac fidei lumina dirigantur, quæ Deum ipsum ejusque Christum omnibus numeris absolutum exemplar sanctitatis perfectionisque proponunt. Igitur cor nostrum

(1) Gen. III, 19. (2) Gen. II, 15.

virtutibus ornare idem est ac Christum ducem sequi, ejus cordis motus et affectiones investigare, ejus internis externisque actibus, quibus cordis motus manifestantur, studere, ut omnia quæ ipse amavit, quæsivit, egit, in nobis ipsis nostrisque actibus exprimamus: « Inspice et fac secundum exemplar quod tibi monstratum est (1). »

2. Etenim præceptum nobis fuit: « Estote perfecti sicut et Pater vester cœlestis perfectus est (2): » at quia ex nostræ naturæ infirmitate neque Deum videre possumus et cognoscere, neque omnino agere quæ ipse agit; unigenitus Dei Filius nostram miseratus naturam sibi copulavit, in eaque atque per eam Patris sui sanctitatem hominibus aptatam ac facile sensibus percipiendam monstravit, nobisque supernaturalem addidit gratiam, qua videlicet eam sanctitatem actibus nostris consequeremur. Qui videt Christum, videt et Patrem ejus (3); et qui agit quæ Christus egit, non secus ac Pater operibus peragit, unde Patris ipsius perfectionem consequitur.

3. Virtutes autem præcipuæ, de quibus Christus exemplum præbuit sunt: humilitas, et cordis mansuetudo, patientia in adversis, obedientia erga Deum suosque quos sponte superiores elegit, zelus animarum,

(1) Exod. XXV, 40. (2) Matth. V, 48.
(3) Jo. XIV 9

charitas erga Deum et proximum, conformitas voluntatis et unio cum Patre suo: aliæ omnes ad has præcipuas facile reduci possunt. De obedientia et conformitate voluntatis cum Deo sermonem fecimus: reliquum est ut de aliis virtutibus cor perficientibus pauca dicamus.

§ I.

De Humilitate.

4. « Discite a me, inquit Christus, quia humilis sum corde (1). » Cum omnibus Christus virtutibus ornatum se exhibuerit, nobisque nobilissimum præbuerit exemplum, hanc tamen potissimum humilitatis virtutem commendatam voluit, hanc, inquam, quam a vitæ suæ exordio ad vitæ usque exitum constantissime exercuit, quia « Exinanivit semetipsum formam servi accipiens (2) » et « Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem (3). » Volens autem quasi mortis suæ sigillo hoc virtutis exemplum confirmare, ut nos ministri ejus evidenter intelligeremus hac præ reliquis virtute in dignitate nostra constitui debere, antequam vita excederet in ultima cœna discipulorum pedes lavit et inquit: « Exemplum dedi vobis... Si ergo ego Dominus et Magister lavi

(1) Matth. xi, 29. (2) Ad Phil. ii, 7.
(3) Ibid. v. 8.

pedes vestros, et vos debetis alter alterius lavare pedes (1). » Scilicet necesse prorsus est ut humilitatis munia unus alteri præstetis, non enim discipulus est super magistrum, neque servus supra dominum suum, atque in genere mementote quæ olim dixi: « Nisi efficiamini sicut parvuli non intrabitis in regnum cœlorum (2); » — « quanto enim magnus es, humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam (3). »

5. Juxta D. Thomam « Humilitas virtus est, qua quis defectum suum considerans, se in infimis secundum modum suum continet (4). » Brevius autem et clarius S. Bernardus, « Humilitas, inquit, est virtus qua quis verissima sui cognitione sibi ipsi vilescit (5). » Ut ergo humiles simus necesse prorsus est ut nos et Deum vera cognitione dignoscamus: Deum, inquam, et nos: facile enim non est ut ex nostri solius cognitione separatim a Deo, judicium efformemus, quo nobis ipsis vilescamus. Nam quis dubitet nobilissimam creaturam hominem esse, omnibusque aliis visibilibus nobiliorem? rex enim universitatis hujus rerum est atque omnibus dominatur. Verum quid habet quod non acceperit, et si accepit cur gloriatur

(1) Joan. xiii, 14.
(2) Matth. xviii, 3. (3) Eccli. iii, 20.
(4) S. D. Th. 2. 2., q. 161, a. 1.
(5) S. Bern. l. de grad. hum. initio.

quasi a se ipso habeat? Quid magni vel minimi sive in naturalibus, sive maxime in supernaturalibus, sine jugi Dei auxilio agere potest? quid, quamvis nobilis creatura sit, si Deo Creatori comparetur, vere habet ut gloriari possit?

6. At hæc *judicii* humilitas satis non est, juxta ipsum D. Bernardum (1), nisi *affectus* humilitas adjiciatur: qui enim intellectu dumtaxat se miserum cognoscit, quamvis fortasse Deo se submittat, non tamen ab aliis vilis haberi vult aut contemni, sed potius magni æstimari. Magni igitur momenti est ut ad affectus humilitatem deveniamus parati injuriis affici ab aliis et contemni, talesque æstimari quales coram Deo noscimus esse, scilicet contemptibiles et miseros. « Quid enim? inquit Bernardus, tu te depretiaris in secreto apud temetipsum, veritatis trutina ponderatus: et foris alterius pretii mentiens, majori te pondere vendis nobis quam ab ipso accepisti? Time Deum; et noli hanc rem pessimam facere, ut quem humiliat veritas, extollat voluntas: hoc enim est resistere veritati, hoc pugnare contra Deum. »

7. Itaque cum hæc virtus religiosis et ecclesiasticis viris valde necessaria sit, quia sine ea missionem suam prosequi nequeunt, nec salutis fructus uberrimos producere;

(1) S. Bern. serm. 42 in Cant.

ita in praxim eam deducere oportet, ut primum coram Deo, deinde coram hominibus vere humiles simus. Aliquos hic hujus virtutis actus et functiones indicamus. Primo, humilis se contemnit et vilem habet, quod nihil ex se habere æstimat. — Secundo, reputat se ad omnia Dei dona indignum et ad omnia ineptum. — Tertio, non cupit ab aliis magni æstimari, honorari vel laudari, Deo enim soli gloriam tribuit. — Quarto, imo ab aliis vilis haberi desiderat et contemni, vult enim ab aliis æstimari ut se coram veritatis luce judicat. — Quinto, cum videt se magnifieri vel honorari, dolet vel ad Deum ipsum omnia refert. — Sexto, conferendo se aliis censet se omnibus viliorem, licet dona quæ a Deo recepit laude digna esse ducat, non quod in se sint, sed quod Dei sint et ipsi tribuenda. — Septimo, subjicit se Deo tamquam infimum mancipium, ut ipse de eo juxta suam voluntatem omnia disponat. — Octavo, subjicit se hominibus propter Deum sinens se ab illis tamquam a Dei instrumentis gubernari et dirigi. — Nono, in externis rebus quæ humiliora sunt et vilia amplectitur, nisi aliud de eo Præsides disponant (1).

8. Tria a Christo ad hanc fovendam virtutem data esse incitamenta in Evangelio

(1) Lessius, De Just. et Jure l. 4. c. 4. D. 7.

S. Matthæi legimus (1). Primum est hominem salutem æternam sine humilitate adipisci non posse: « Nisi... efficiamini sicut parvuli non intrabitis in regnum cœlorum. » — Secundum est hominis exaltationem ab humilitate pendere: « Quicumque ergo se humiliaverit sicut parvulus iste, hic est major in regno cœlorum. » — Tertium est humilitate fieri ut similes Christo ipsi efficiamur: « Et qui susceperit unum parvulum talem in nomine meo me suscipit » Sed et hæc alia tria afferre juvat. Primum est veritatis ratio, scilicet si veram nostri cognitionem per rationem acquirere velimus, fatendum sane est nos nihil esse ac propterea omni contemptu dignos. Secundum est Christi exemplum: si enim ipse qui Deus est exinanivit atque humiliavit semetipsum, quid nobis agendum, qui servi sumus et a Deo esse recepimus? Tertium est virtutem hanc omnium virtutum fundamentum et radicem esse, eadem prorsus ratione ac superbia omnium vitiorum radix est et origo. « Hoc in te fodi fundamentum humilitatis, inquit Augustinus, et pervenies ad fastigium charitatis (2). »

(1) Matth. xviii.
(2) S. Aug. l. 1 de verb. Dom., serm. 10.

§ II.

De Mansuetudine.

9. Duo hæc Christus a se nobis ediscenda proposuit, humilitatem et mansuetudinem, se enim harum virtutum perfectissimum præbuit exemplar: « Discite a me quia mitis sum et humilis corde; » quasi hæ duæ omnium aliarum sint fundamenta virtutum. Et revera cum triplicis generis nobis sint officia, quorum alia erga Deum, alia erga homines, alia erga nosipsos adstringunt, humilitate opus est, ut Deo atque hominibus nos subjiciamus, ac proinde quæ erga eos debemus facile et sponte impleamus; mansuetudo vero necessaria est, ut nosmetipsos nostrasque perversas concupiscentias cohibeamus, quo fiat ut facile etiam officiis erga nos fungamur. Ad hæc: duo in nobis refrenanda habemus rationem scilicet et cor, ut recta in Deum dirigantur: ratio humilitate, cor mansuetudine continetur: quod si fecerimus, nostrorum actuum jam domini, ad omnium virtutum exercitium erigemur et apti sine dubio erimus.

10. Quamvis mansuetudinis sit omnia, saltem indirecte, vitia animi moderari, ipsa tamen directe iræ opponitur, quam viriliter continet, cum mala et inordinata esse videtur. Ira enim aliquando utilis et sancta

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

esse potest, ut sancta sæpe fuit in Christo, de quo legimus: « Zelus domus tuæ comedit me (1), » et de quo plura in evangelicis libris narrantur, quibus ordinatam iram commotam ab eo fuisse intelligimus. Mansuetudinis igitur est iram, quæ sine vera ratione effunditur, cohibere, vel quæ limites rationi conformes transgredi vellet. Ira, docet S. Gregorius, virtutis instrumentum esse potest, sed rationi dominari non debet, verum eam sequi et ab ea regi (2). Itaque mansuetudinis est nunquam a constantia et vi animi sejungi, unde S. Joannes Clymacus ajebat: « Mansuetudo est status immobilis animæ, quam nihil perturbare potest; » habet enim exemplar Deum ipsum, qui « Attingit a fine usque in finem fortiter et disponit omnia suaviter (3). »

11. Ne vero decipiamur, intelligamus oportet mansuetudinem internam esse virtutem, quæ nempe ex corde atque intimo ex animo procedit, non quæ dumtaxat in exterioribus quibusdam actibus apparet, dum amarus servatur animus atque in iram versus; præterea eam esse virtutem, quæ opere magis quam verbis exercetur. Ita Christus, ut S. Jo. Chrysost. alicubi monet, quamvis severioribus aliquando verbis homines carperet, suavitate tamen agendi o-

(1) Psalm. LXVIII, 10.
(2) Mor. l. 5, c. 45. (3) Sap. VIII, 1.

mnes ad unum complectebatur. Porro qui mansuetus est patienter agit atque animi etiam longanimitate prælucet; nec facile imposita mora fastidit aut desperat: ut enim Deus « Patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti (1); » ita mitis homo nimio labore, nimiaque mora non animo dejicitur, quin imo patientia sua quod cupit extundit. Denique mansueti animi est efficere ut ex malo bonum prodeat, sicut Deus ipse facit, omnibusque conari viribus, ut in meliorem frugem ii etiam, qui pervicaciter bono resistunt, convertantur.

12. Satagant ergo ministri Dei et Christi, qui apostolicis fungi debent officiis, Christum ducem in hujus virtutis exercitio præ oculis habere; nec personarum acceptione duci se sinant, quæ nulla est in Deo, qui « solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos (2); » Christi, inquam, mansuetudinem imitentur « qui cum malediceretur non maledicebat, cum pateretur non comminabatur (3); » noverint et meminerint, quod alibi innuimus, majus esse detrimentum in ira quam in mansuetudine nocumentum: si enim irascimur adversarium juvamus, si iram continemus iritum alterius conatum facimus et trium-

(1) II. Petr. III, 9. (2) Matth. V, 45.
(3) I. Petr. II, 23.

phum referimus. « Illa fulgentissima victoria est, qua injuriam inferentem, patiendo superasti. Sic scopuli fluctibus cæsi, facile ipsos dissolvunt: sic sancti omnes præclaro coronati præconio, trophæa præclara statuerunt, hanc victoriam laboris expertem consecuti; non enim luctari te aut laborare oportet. Deus has tibi victorias concessit, ut non manuum consertione, sed patientia vincas (1). »

13. Quoniam vero tanti momenti hæc virtus est et sacerdoti summopere necessaria, præstat ut aliqua hic ad eam adipiscendam media proponamus. Primo quidem nos magno conatu adducere oportet, ut intime convincamur facile nobis esse hanc exercere et sine labore virtutem, quæcumque nostra sit vel indoles vel animi dispositio: si enim gratiæ Dei cooperari sciamus, nihil est quod extundere non possimus. In hoc S. Franciscum Salesium et S. Vincentium a Paulo præ mente habeamus, qui quamvis indole ardentes vel morosi essent, tamen vi et studio eo usque progressi sunt, ut mansuetudinis exemplaria omnibus fierent. — Secundo, vivide ac sæpe hanc possidere virtutem optemus, cum enim aliquid non optamus frigide in illud ducimur. Secus quamvis nobis videmur velle, revera nolumus. — Tertio, ideo summis et repetitis viribus

(1) S. Jo. Chrys. hom. 85 in Matth.

petamus a Deo ut mansuetudinis spiritum nobis conferat, atque vincat in nobis quidquid sive natura ipsa, sive vitio et perverso habitu contractum fuit, quod huic virtuti opponitur. — Quarto, nostros omnes actus et animi motus invigilemus huic virtuti contrarios, ut statim comprimere et retinere saltem externos iracundiæ impetus sciamus. — Quinto, prævideamus aliquando infringendæ mansuetudinis occasiones atque animum recte disponamus ad mansuete agendum vel loquendum: jacula enim prævisa minus feriunt. — Sexto denique pœnam aliquam statim nobis injungamus si quid contra hanc virtutem delinquamus. Cetera Deus ipse gratia sua efficiet, conatusque nostros ope sua juvabit.

§ III.

De Patientia in adversis.

14. Ministri Christi meminerint, juxta D. Pauli doctrinam, fideles omnes unum corpus esse in Christo; propterea sicut Christus caput nostrum omnes in se adversitates, dolores, ignominias, omnium carentiam tulit, ita a nobis membris ejus pariter omnia ferenda. Hac sane agendi ratione « adimplebimus ea quæ desunt passionum Christi in carne nostra pro corpore ejus,

quod est Ecclesia (1). » Scilicet, cum Filius Dei homo factus totum Patri suo mysticum corpus suum obtulerit ad crimina hominum expianda, et ad immaculatum sacrificium offerendum; etsi pro sua parte satis superque egerit, omniaque impleverit, quæ ipsi ut capiti implenda erant; restat ut membra ejus, pro sua quoque parte, quæ ferenda sunt ferant ac patiantur, ut totius mystici corporis integrum holocaustum compleatur. Ideo Apostolus dicit se in carne sua quæ passioni Christi desunt adimplere, non quidem prò se, neque pro Christo ut capite considerato, sed pro corpore ejus, quod est Ecclesia.

15. Sunt igitur nobis pœnæ ferendæ, adversitates, dolores, ignominiæ, nobis, inquam, præsertim ecclesiasticis, religiosisque viris, qui præcipua hujus corporis membra Christi sumus, quibusque maxime Christus omnia hæc et mortem ipsam prædixit. Si ergo oportuit pati Christum, qua profecto potiori ratione nos membra peccato maculata pati oportet? Quare sæpe in sacris libris legimus: « Patientia vobis necessaria est, ut reportetis promissiones (2). » — « In patientia vestra possidebitis animas vestras (3); » fieri enim nequit ut cœlum ingrediamur, nisi in nobis ipsis imaginem Christi præferamus, cum scriptum sit: « Quos præscivit et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui... hos et vocavit... hos et justificavit... illos et glorificavit (1). »

(1) Ad Coloss. I, 24.
(2) Ad Hebr. X, 36. (3) Luc. XXI, 19.

16. S. Augustinus ita hanc virtutem definit: « Patientia est honestatis aut utilitatis causa, rerum arduarum ac difficilium voluntaria ac diuturna perpessio (2). » Itaque hæc virtus mœrorem animi et tristitiam moderatur, quibus afficimur cum doloribus vel adversitatibus laboramus ne quid contra legem Dei et honestatem agamus atque nos in officio contineamus. Attamen nulla hæc est supernaturalis virtus, quæ meritum gignit, ubi ex sola honestate vel aliis ex naturalibus rationibus mala feramus: supernaturales autem patienter ferendi rationes jam in promptu ex iis quæ supra diximus habemus, si nos ut membra Christi patientis consideremus, ac mala ad nostra et aliorum crimina luenda toleremus.

17. Audiamus S. Jacobum patientiæ nobilitatem extollentem: « Omne gaudium existimate, inquit, fratres, cum in tentationes varias incideritis, scientes quod probatio fidei vestræ patientiam operatur; patientia autem opus perfectum habet: ut sitis perfecti et integri in nullo deficientes (3). » Hinc Tertullianus ait: « Patientia fidem mu-

(1) Ad Rom. VIII, 29. (2) S. Aug. q. 31 de Pat.
(3) Ep. cath. I, 2.

nit, pacem gubernat, dilectionem adjuvat, humilitatem instruit, pœnitentiam expectat, exomologesin assignat, carnem regit, spiritum servat, linguam frenat, manum continet, tentationes inculcat, scandala pellit, martyria consumat. »

18. Conemur ergo hanc excellentissimam virtutem omnibus iis adjumentis suffulti exercere, quæ Deus ipse in christiana religione fidelibus hominibus præbet. Imprimis Dei ipsius et Christi patientiam præ oculis habeamus; deinde omnium martyrum exempla et sanctorum, qui nos in patientia exercenda præcesserunt; ac cogitemus non adhuc nos usque ad sanguinem restitisse. — Meminerimus dignitatem nostram statumque sacerdotii, in quo Christi personam maxime in patientiæ operibus repræsentare debemus, ut aliis exemplo simus in hac lacrymarum valle, in qua omnibus multa toleranda sæpissime offeruntur. — Feramus primo tranquille et silentio, vi conatuque animi impetus continendo, sine querela ac sine obmurmuratione; deinde cum gaudio, juxta apostolorum exemplum, qui « ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati (1). » Denique, majori aucti virtute, libenti animo atque ex charitate ardenti erga Deum, cruces et adversa omnia optemus, sive cum S. Teresia quæ sæpe dictitabat: « Domine, pati aut mori, » sive cum S. Francisco Xaverio, qui cruces et amplius cruces optabat, ut melius cruci affixo Christo similis fieret.

(1) Act. Apost. v, 41.

§ IV.

De Zelo animarum.

19. Quoniam principalis hæc est sacerdotis virtus, quod hac suffulti ministri Dei Christi missione fungi queunt, qua jubentur in omnium hominum animabus amoris ignem ciere et accendere; paulo longiori sermone de ea loquendum. Animarum zelus virtus est, quæ in Dei amore, de quo inferius dicemus, suum habet principium et fundamentum. Cur Paulus, cur ceteri apostoli, cur tot apostolici viri, ut S. Franciscus Xaverius, S. Vincentius a Paulo aliique, tanto animarum zelo urere visi sunt, nisi quod Deum ardentissime diligebant? Etenim qui Deum amat, sincere amat atque ex intimo corde ejus gloriam quærit eo modo quo potest, vult proinde ut ab omnibus creaturis honore debito afficiatur. Propterea de injuriis, quibus homines Deum plectere conantur, vehementissime dolet, magnaque tristitia offunditur, quod innumeræ animæ criminibus obrutæ præcipites in infera loca detruduntur, ubi conviciis ac blasphemis

verbis Deum perpetuo prosequentur, dum cœlorum gaudiis cumulatæ ipsum diligentes laudarent. Ideo qui Deum ardenter amat, omnibus conatur viribus, ut offensas Deo illatas impediat vel minuat; ut a malo homines avertat, sanctitate instruat, in meliorem frugem convertat, eosque salvos faciat. En animarum zelum, quo aucti sæpe verba illa proferimus: « Sanctificetur nomen tuum. » Utique sanctificetur non modo in nobis ipsis sed in aliis, sanctificetur per Dei legis observantiam, per dierum festorum sanctificationem, per obedientiam et amorem erga Ecclesiam, per pietatem, per castitatem, per omne opus bonum, ut Deum cognoscant qui ignorant, et amore prosequantur qui probe norunt.

20. Si Dei minister et Christi hoc zelo non ardeat, nihil ei sua sanctitas proderit, quæ vera et sincera esse non potest, cum hæc ejus sit vocatio et missio, qui Christi adjutor est ad homines salvandos, ut Deus ab omnibus honorificetur. Satis igitur non est precibus vel corporis afflictationibus insistere, aut rerum contemplationi divinarum, studiis, aliisque virtutibus exercendis se tradere: qui enim sacerdos non vero prædítus zelo pro animarum bono laborat, hæc a judice audiet: « Serve male et piger... oportuit te committere pecuniam meam nummulariis, et veniens ego recepissem utique quod meum

est cum usura... Inutilem servum ejicite in tenebras exteriores (1). » Multo minus commoditatum amor et tranquillitatis propriæ pigrum Dei ministrum excusabit, quod se ad lucrandas animas non tradiderit. Quorsum enim sacerdotes facti fuimus? Quorsum Ecclesia sancta tot annis nos suo doctrinæ lacte et virtutis enutrivit? Satis erat laicum manere, si hoc in mente fuit frigide vel nihil in vinea Domini laborare. Quid enim Christus vocatis apostolis suggessit? « Ego elegi vos et posui vos ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat (2). »

21. Nec talentorum defectus excusatione dignum sacerdotem efficit. Nam diversa sunt in Ecclesia gratiarum dona, atque unusquisque nostrum lucro apponere suum talentum debet, maxime cum non donis naturalibus sed sanctitate et gratia Dei apostolus fiat. Venerabilis parochus Vianney sat minimis naturalibus donis præditus, valde tamen in spiritu profecit, atque ex suis laboribus pulcherrimos innumerosque animarum fructus protulit et collegit, ut sapientissimis etiam viris admirationi esset. Quod si sanctitate etiam careas, tibi sane tuæque culpæ adscribendum, cum et mediis non careas et gratiis a Deo collatis abundes. Nec denique dicat sacerdos se ad urbes et regiones

(1) Matth. xxv, 26-30. (2) Joan. xv, 16.

ministeriis sacris peragranda vocatum a Deo non esse: cum enim omnes apostolatus missionem habeamus, alius hac, alius altera ratione exercere debet: alii sunt apostoli, alii doctores, alii prophetæ, et unusquisque nostrum suo ministerio laborans, omnes tamen in ædificationem corporis Christi concurramus.

22. Audiantur de hac re Patres: « Ille cui dispensatio verbi commissa est, etiam si sancte vivat, et tamen perdite viventes arguere aut erubescat, aut metuat, cum omnibus qui, eo tacente, perierunt, perit (1). » — « Sacerdotes populorum iniquitate damnantur, si eos aut ignorantes non erudiant, aut peccantes non arguant (2). » — « Sæpe non damnantur (sacerdotes) propriis peccatis, sed alienis quæ non coercuerunt (3). » — « Si enim sacerdos ex ignorantia vel negligentia, non exponat populo viam salutis, reus erit apud Deum animarum illarum, quæ sub ipso perierunt (4). » Audiamus denique Deum ipsum, qui minatur suam indignationem sacerdoti suum munus negligenter peragenti: « Si, dicente me ad impium, morte morieris, non annuntiaveris ei... ut avertatur a via sua impia, et vivat; ipse impius in iniquitate

(1) S. Prosper de Vid. cont. l. 1, c. 20.
(2) S. Isid. hisp. l. 3 Sent., c. 46.
(3) S. Jo. Chrys. hom. 3 in Act.
(4) S. Thom. op. 65.

sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram (1). »

23. Itaque nobis in salutem animarum laborandi lex a Deo imposita, injuncta a Christo; a Deo quidem, qui primus hujus laboris se exemplar præbet, quique Filium suum unigenitum in mundum misit, ut homines salventur per ipsum; a Christo vero, qui præter exemplum, missionem ipsam nobis commisit, quam a Patre recepit. At animæ ipsæ pro quibus Christus sui sanguinis infinitum obtulit pretium, inclamant nobis ut sedulam navemus operam, demusque sanguinem nostrum, ubi opus sit, ut eas a perditionis barathro liberas ac sospites reddamus. Nonne enim fratres nostri homines sunt? quo igitur tranquillo animo sacerdos sinat sub dæmonis potestate in inferna loca detrudi? Nonne oves nostræ sunt? licet ne ergo deserere ut a lupis impune vorentur? licet ne linquere ut imagines Dei deformentur et divinæ providentiæ opus sus deque vertatur? Igitur satagamus et strenue agamus atque ardenti zelo in animarum salutem incumbamus.

24. Nunc breviter de zeli characteribus aliquid innuendum. Cum Christus ipse hanc de cœlo virtutem attulerit, quis dubitet eam cœlestibus et prope divinis proprietatibus insigniri, quæ Christi ipsius sunt, atque ipse

(1) Ezech. III, 18.

suos docuit discipulos, antequam ad zelum in mundo exercendum mitteret? Harum proprietatum doctrinam super excelso sedens monte mundi Salvator exposuit, ut sui probe cognoscerent zeli apostolici fundamentum in altissima sanctitate consistere, quæ omnium suorum fidelium propria esse non debet, sed eorum potissimum, qui eum prope sequuntur, ejusque sunt ministri et adjutores

25. Hanc sanctitatem octo beatitudinibus Jesus delineavit (1), quarum prima est *spiritus paupertas*, nempe humilitas atque bonorum omnium hujus seculi plena atque sincera ex animo renuntiatio: si enim perfectionis et sanctitatis montem ascendere volumus, atque altissimum erigere ædificium, oportet ut imprimis de humilitatis fundamento cogitemus, atque impedimenta omnia de medio tollamus, quæ adversariis nostris sinent nos secum abripere, et efficere ut succumbamus. — Secunda est *mansuetudo*, quia ut agni inter lupos missi sumus a Christo, et huic virtuti promissum, ut terram, scilicet homines, convertendo possideamus. — Tertia est *luctus:* « Beati qui lugent » videlicet peccatorum tristitia, qua qui Deum diligunt sancti viri afficiuntur; quibus consolatio promittitur, tum in hac vita per conversionum fructus quos referunt, tum in altera per cœli gaudia æterna. — Quarta

(1) Matth. v.

est *fames et sitis justitiæ*, nempe bonorum operum et virtutum, ut Dei divitiis, gratiis et favoribus saturemur, quæ et in nobis atque in aliis sanctitatem augent. — Quinta est *misericordia*, cujus Christus ipse nobis exemplum dedit, qui, ut D. Paulus ait, « debuit per omnia fratribus similari, ut misericors fieret (1); » ideo oportet ut « nos faciamus omnibus omnia, ut omnes faciamus salvos: » hoc est hominum misereri, sine nimia severitate cum eis agere, eorum infirmitatibus compati, ut ad Deum dirigamus. — Sexta et septima sunt *mundities* et *pax cordis*, quibus visio et filiatio divina promittuntur: qui enim mundi corde sunt immaculatam Dei puritatem imitantur, ideo ablatis obstaculis, facilius eum contemplari merentur, arcana divina intelligere, elevari ad cœlestia, quia « cum simplicibus sermocinatio ejus; » qui vero pacifici sunt cum immobilitatem quamdam animi acquirant, similes Deo sunt immutabili, sibique semper constanti, adeoque filii ejus fiunt et vocantur per unionis amorem, qui vicissitudines nullas patitur, sed immobilis in Deo perseverat. — Denique extrema beatitudo *patientia* est, de qua locuti sumus, et cui a Christo magnificæ adscribuntur promissiones æterni gaudii, regni cœlorum et certitudinis cujusdam prædestinationis æternæ.

(1) Ad Hebr. II, 17.

His omnibus vero et apostolicis virtutibus sanctitas illa et perfectio conflantur, quibus primus zeli character constituitur, primaque dos; zelus enim nullus sine charitate ac propterea sine sanctitate haberi unquam potest.

26. Alius zeli character ita a Christo exprimitur: *Vos estis sal terræ*. Salis proprium est a corruptione servare et cibos ad saporem condire. Christi profecto est et Spiritus sancti supernaturali gratia et nostrorum ministeriorum instrumento mortuas hominum animas suscitare; sed nostrum est ipsis ministeriis et continuo labore efficere, ut hæc animarum vita servetur et a peccatorum corruptione fideles avertantur. Neque timoris causa ab hoc ministerio exercendo retrahere nos unquam debemus; quia « si sal infatuatum fuerit in quo salietur, ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras et conculcetur ab hominibus. » Sane multi sunt sacerdotes, inquit alicubi Augustinus, qui sal infatuatum facti sunt, qui firmi inter mundanas persecutiones non manent, qui putant aliquid esse dandum impiorum desideriis ex carnali prudentia: hinc mittuntur foras, nempe despectu digni ab hominibus habentur. Prudentia sane in apostolicis ministeriis opus est, sed ea quam Christus docet: « Estote prudentes sicut serpentes (1) » ne filii tenebrarum prudentiores

(1) Matth. x, 16.

sint filiis lucis, magnumque afferant Christi gregi detrimentum. Prudentia opus est, sed quam insinuat Apostolus: « Prædica verbum, insta opportune, importune, argue, obsecra, increpa, in omni patientia et doctrina. » Et quamvis periculosa adveniant tempora: « Tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac evangelistæ, ministerium tuum imple (1). » Quod si amara vel insipida peccantibus possit videri potio, quam ipsis subministramus, cibus quem doctrinæ vel virtutum præbemus; sale amoris et dulcedinis condiantur, amabilem christianam vitam reddamus, non sane hominum vitiis blandiendo, sed non rigide omnia, quæ perfectiora sunt, ab omnibus exigendo. Imitemur apostolum ipsum Paulum, qui primis Christi fidelibus lac subministrabat, quia panem adhuc edere non poterant: rudes ergo mores non tantum, sed et inutilem severitatem vitemus; nec gravia imponamus onera, quæ ipsi portare non possumus. Quid Christus mandavit? an verberare et dispergere oves? nonne pascere et ducere, dummodo ab eis nos duci et pasci non sinamus?

27. Tertius sequitur zeli character, de quo Christus sic loquitur: *Vos estis lux mundi*. Videant imprimis sacerdotes se mundi lucem esse non posse, cum in *ignorantiæ tenebris* contabescunt, de quo alibi loquuti sumus.

(1) II. ad Tim. IV.

Deinde lucis proprietatibus fulgere necesse est :

a) Lux non splendet cum *nebulis et caligine offunditur*. Nebulæ et caligo errores sunt mundi, mundana sunt politicorum principia, scientia est humana et terrestris, non autem divina et cœlestis, vel carnis scientia non Dei. Errores hujusmodi, principia et doctrinæ nostris sæpe auribus blandiuntur: non ergo sinamus nos omni vento doctrinæ duci; propterea, nisi necessitate adacti, periculosam etiam nobis sive ephemeridum sive aliorum librorum, qui errorum pestem effutiunt, lectionem vitemus, doctrinæ novitates vigiles horreamus: gutta enim cavat lapidem, et qui amat periculum, peribit in illo.

b) Lux per omnia diffunditur, *quin aliquid in se splendoris amittat*. Quamobrem dum doctrinæ nostræ, virtutum, bonorumque operum lucem in alios effundimus, ne sinamus nos proprio tepescere fervore, mentisque nostræ vel cordis lucem minui. « Quid enim prodest homini si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur (1)? »

c) Lux terræ lutum etiam invadit *quin ejus fulgor immundi aliquid contrahat*. Curandum sane est, ne remedium quod aliis tradimus, in mortiferum pro nobis venenum convertatur: homines sumus et humani aliquid patimur; vigilantia ergo necesse est et diffidentia, ne sine causa periculo animæ nostræ obviam eamus. Meminerimus Christum, ut exemplo nobis esset, usum non fuisse solum cum solis feminis conversari; ideo apostoli mirati sunt, cum semel eum viderunt solum cum Samaritana habere sermonem.

(1) Matth. xvi, 26.

d) Lux *indistinctim omnibus collucet*. « Non est personarum acceptio apud Deum, quia Christus pro omnibus mortuus est, » atque « ipse est lux, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (1). » Cur igitur in nostris apostolicis ministeriis unum præ alio discernimus? cur unam hominum classem alii præferimus? Si discretio aliqua facienda, hæc probe sit, qua rudes ante omnes, pueros, infirmos et peccatores omnibus aliis anteponamus; pauperes divitibus, ignobiles nobilitate præditis viris; hæc enim fuit apostolica Christi vita, quidquid in contrarium pharisæi blaterarent: — pauperes evangelizantur — cum peccatoribus manducat magister noster, — quia non venit vocare justos sed peccatores ad pœnitentiam, — infirmos ac variis languoribus affectos curat, — cum rudibus et simplicibus est conversatio ejus, — pueros amplectitur eisque benedicit, vetans quominus ad eum venire prohibeantur.

e) Lux nostra non modo verbis sed

(1) Joan. I, 9.

operibus splendere debet: « Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est. » Cur Christus « cœpit facere et docere? » nisi ut cognoscamus verba nostra operibus agendique ratione confirmanda esse: verba enim volant, nec nisi aerem verberant; quin imo qui aliud dicunt, aliud faciunt, audient illa: « Medice, cura teipsum (1). — Qui alium doces, teipsum non doces: qui prædicas non furandum, furaris: qui dicis non mœchandum, mœcharis: qui abominaris idola, sacrilegium facis: qui in lege gloriaris, per prævaricationem legis Deum inhonoras (2). »

f) Denique lux *publice splendet nec absconditur.* « Neque enim accendunt lucernam et ponunt sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt. » Hoc enim alibi etiam Christus docuit: « Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine; et quod in aure auditis, prædicate super tecta. Et nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius timete eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam (3). » Zelus vanum hominum metum expellit; et quamvis veritas odium parit, qui zelo ardet nec veritatem erubescit, nec timet eam publice

(1) Luc. IV, 23. (2) Ad Rom. II, 21-23.
(3) Matth. X, 27-29.

affirmare et docere. Quid sane nobis timendum, cum Christus mundum vicerit, nobisque triumphum promiserit? Nonne et regibus et principibus superiores sumus, qui nos audire tenentur? Ne timeamus ergo veritatem asserere et lucem hominum mentibus offundere, cum ex officio atque jure agamus.

28. Quartus zeli character in *adhæsione firma Ecclesiæ et Romano Pontifici* situs est. Ecclesia « civitas est supra montem posita » cujus fundamentum est Petrus, ejusque successores Romani Pontifices, qui cum super petram angularem Christum Jesum una cum civitate innitantur, fieri non potest ut hæc corruat: at si domus una vel alia, sive saxum unum vel aliud domus ejus non bene civitati et ejus fundamento adhæret fieri profecto potest ut corruat, quin civitas integra destruatur; alia enim ædificabitur domus, alia lapis destructo muro adjicietur. Hæc nobis dicta sunt sacerdotibus, ne aliquid independenter ab Ecclesia et a Romano Pontifice agere posse vel opinari putemus: oportet ergo ut fides et doctrina nostra solidis his et firmis fundamentis innitantur; oportet ut Ecclesiæ suorumque Pastorum et potissimum Romani Pontificis præceptis ac decretis dociles simus: hic enim centrum est, caput et fundamentum totius Ecclesiæ, quocum si agimus cum Christo agimus, a quo si recedimus a Christo re-

cedimus, sine quo nullos vitæ æternæ fructus referre licebit.

29. Restat ut media quædam ad exercendum cum fructu apostolicum animarum zelum breviter exponamus. — Primum est ut *rectam* in omnibus *intentionem* præferamus. Etenim si nos ipsos vel bona aliqua terrestria, vel vanitatem aut simile aliud ex nostris laboribus expectamus, quid meriti et mercedis nobis erit? Itaque prædicemus Christum, non autem nos ipsos; et hunc crucifixum, non in gaudiis et splendoribus montis Tabor; non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, quamvis inconcinnus et negligens vitandus sermo; sed in ostensione spiritus et virtutis, qui omnibus orationis calamistris et ornamentis est præferendus: verba enim humana aures alliciunt, quæ autem ex intimo spiritu et virtute proferuntur, corda hominum percellunt. — Alterum est ut *ferventi prece* Deum fatigemus, quodcumque agendum vel dicendum nobis sit; nam nonnisi effusa prece quidquid desideramus a Deo extundere possumus. Hoc nobis tradidit exemplum Christus, hoc apostoli omnesque apostolici viri secuti sunt. Nos mediatores sumus: quomodo vero nisi assiduo sacrificio et prece hoc munus assequi possumus? Igitur cum missæ sacrificio nostras Deo ferventes offeramus preces, ut efficaciores sint, quia

sanguis Christi melius quam Abelis sanguis loquitur: hic enim vindictam, ille misericordiam postulat. — Tertium est quod supra notavimus, nempe ut *verbis opera addamus* et sanctæ conversationis, sanctorumque exemplorum vi verba nostra confirmemus: intendunt enim fideles sacerdotum opera magis quam verba, ac putant non sibi sed presbyteris perfectionis obligationem impositam esse, quia qui præsunt sanctiores illis qui subjacent esse necessario debent. Hæc de zelo satis nunc superque sint, quia de ejus praxi alibi verba faciemus.

§ V.

De Charitate erga Deum.

30. Charitas nobilissima virtutum est omniumque jure regina, quæ fidei et spei etiam præstat; nihil enim nisi perfectum habet, dum aliæ duæ, quamvis theologales sint virtutes, in aliquo deficiant, aliquid imperfectionis admixtum habeant: fides enim « argumentum est non apparentium » spes autem non adhuc suum attingit objectum. « Fides, spes, charitas, inquit S. Paulus, tria hæc: major autem horum est charitas (1). » Sane major charitas, quia plenius et excellentius Deo summo bono adhæret: major,

(1) I. ad Cor. XIII, 13.

quia, aliis cessantibus, in cœlo sola perdurat, et æternum manet; major, quia ex ea omnes perficiuntur virtutes, quæ sine ea vel nullæ sunt, vel saltem supernaturalem formam non induunt, atque ad alterius vitæ coronam adipiscendam non sufficiunt; denique major, quia finis est et legis totius complementum: « Diliges Deum... diliges proximum..... in his duobus mandatis universa lex pendet et prophetæ (1). »

31. Charitas est virtus a Deo infusa, sicut ceteræ theologales, qua ipsum Deum ut summum bonum propter se, et proximum nostrum propter Deum appetimus. Quamvis ergo in charitatem *benevolentiæ* et *concupiscentiæ* distinguatur, vera tamen et propria charitatis virtus illa benevolentiæ est: concupiscentiæ charitas non Deum propter se, sed propter nos ipsos appetit: ideoque si quis hoc tantum amore Deum prosequitur, salvus fieri nequit nec a peccatis solvitur, quia Deum propter se et super omnia diligere jubemur, ideoque supra nos ipsos nostramque utilitatem. Attamen non inde sequitur criminis reum esse qui ita Deum diligit, vel malam et detestandam esse concupiscentiæ charitatem; nam ex ea incipiunt impii Deum propter se diligere et ad eum convertuntur; ex hac etiam charitate peccatorum remissio in sacramentorum rece-

(1) Matth. XXII, 40.

ptione obtinent, unde ad veri nominis charitatem gradum faciunt (1).

32. *Benevolentiæ* charitas re ab illa *amicitiæ* non distinguitur, nisi quod hæc in relatione mutui amoris inter Deum et creaturam consistit, quæ benevolentiæ amore Deum diligit: « Qui diligit me diligetur a Patre meo (2), » nempe amicus Dei est et vera ipsi amicitia unitur. Quod Christus sæpe in Evangeliis expressit, S. Hieronymus his verbis suadet: « Si vis vera amicitia delectari, esto amicus Dei, sicut Moyses qui loquebatur Deo quasi amicus ad amicum (3). » Notandum tamen est ejusmodi amicitiam non eamdem esse, quæ inter æquales conflatur, utpote quod nulla æqualitatis proportio inter Deum et creaturam intercedere unquam possit: sed ea sane est, quæ inter parentes filiosque haberi aliquando potest, vel etiam inter dominum et fidelissimum servum. Quis enim neget ex hac charitate relationem quamdam filiationis inter nos et Deum institui, cum proportio aliqua Christi ope habeatur, sanctificante gratia media, inter nos et Deum ipsum, ut vere filii Dei nominemur et simus?

33. Nunc brevissime charitatis effectus in hominis anima considerare liceat, ut ad

(1) Conc. Trid., Sess. VI, cap. 6. — Sess. XIV, can. 5.
(2) Joan. XIV, 21.
(3) S. Hier. in c. VII Micheæ.

hanc virtutem plenissime acquirendam contendamus. — Charitate cum sanctificante gratia per Spiritum sanctum recepta, homo fit templum Dei et verum Spiritus sancti habitaculum; Deus enim, testante Christo, realiter in anima quæ eum diligit, specialique modo inhabitat, nec per transennam tantummodo, sed perenni et permanente habitatione, ut suam hanc animam faciat atque possideat: « Qui diligit me, diligetur a Patre meo, et veniemus et mansionem apud eum faciemus. » — Hinc igne charitatis ardens anima similis fit Deo ipsi, cujus essentia est, ut ignis consumens et charitas sit: quare absque dubio ex qualitate communicata et supernaturali proportio quædam inter hanc animam et Deum instituitur, ut homo filius Dei sit, « qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo natus est. » — Deus ergo eum diligit, quia in eo tamquam in speculo seipsum aspicit et contemplatur, ideo charismatibus ornat, suas delicias facit, seque ipsi ut amans amanti communicat. Quas amoris relationes inter sponsum et sponsam in Canticis Canticorum legimus, nonnisi figuræ et umbræ earum sunt quæ inter Deum animamque constituuntur. Jure igitur S. Teresia cum in amoris extasi amentiæ a Christo incusaretur, «Tua, inquit, amentia, Domine mi, major est et nulli certe comparanda. » — Igitur sicut

ferrum, quamvis horridum sit et informe, si in ignem immittitur, ejus et claritatem et calorem acquirit, atque adeo molle et ductile fit, ut omnibus quibuscumque formis et figuris coaptari possit; ita anima, etsi misera et deformis sit, ubi charitatis igne pervadatur, lumine clarissimo sapientiæ, scientiæ et fidei fulget, ardentissimoque calet devotionis ardore, pietatis, religionis et zeli gloriæ Dei; Spiritus sancti donis et plenitudine decoratur, atque Deo adhærens pacem, gaudium et tranquillitatem invenit, quæ Deo propria sunt.

34. Ad hanc altissimam charitatis perfectionem non licet homini pervenire, nisi cum omnino sui oblitus unice Deo vivat, ut nihil cogitet, velit, loquatur, agat, nisi quæ Deus ipse, vel quæ Deus vult ut cogitet, velit, loquatur et agat. Hæc primo intuitu difficilia videntur, sed Dei juvante gratia, ad hunc perfectionis apicem per gradus quosdam ascendere fas est. — Primus est terrestribus omnibus affectibus, nostrique ipsius amore expoliari, ut sicut D. Paulus « Omnia arbitremur ut stercora, ut Christum lucrifaciamus (1). » Deus zelotypus est, nec sinit ut aliquid aliud nostrum dividat amorem. —Huic primo alter adjicitur gradus quem *humilitatis*, vel potius *exinanitionis* appellare possemus, qua homo, Dei ma-

(1) Ad Phil. III. 8.

jestate satis cognita, in se tamquam in nihilum oculum figit, omniaque ad Deum, quæcumque ea sint dona, tribuat et referat, quia ipse largitus est: « Magnificat anima mea Dominum... quia respexit humilitatem ancillæ suæ... quia fecit mihi magna qui potens est. » Nihil magis hac humilitate necessarium videtur, ut charitatis dono fruamur: « Deus enim humilia respicit, et alta a longe cognoscit (1). » — Quibus actis, homo ad tertium *orationis et meditationis* gradum elevatur, ut ardentibus votis a Deo amorem impetret his vocibus: « Noverim me, noverim te, ut amem te et odio habeam me; » ita fiet ut Deum sui amoris objectum magis magisque cognoscendo, ardentius et purius in dies in eum feratur.

35. Inde anima primo per cordis *sensibilem amorem* Deo adhæret, qui amor magis naturæ humanæ conformis videtur, ut paulisper ad *intelligentiæ amorem* transeat, ac tandem per *contemplationis amorem* in Deo summo bono quiescat, eumque, sicut mandatum habemus, diligat ex toto corde, ex tota mente, ex tota anima atque ex totis viribus. Amor cordis *compunctionem*, amor mentis *devotionem*, amor animæ et ex totis viribus *pietatem* gignit. Restat adhuc ultima amoris perfectio, quæ sita est in tranquilla animæ requie in Deo,

(1) Psalm. CXXXVII, 6.

ut dicere possit: « Dilectus meus mihi et ego illi (1)!... Deus meus et omnia. » Sed de hoc speciatim inferius agendum, neque datum nobis est, ut perfecte in hac terra hoc bono perfruamur.

36. Meminerint nunc sacerdotes verbi illius: « Sine charitate sacerdos dici potes, esse non potes, » ut omnibus viribus satagant ad virtutem hanc acquirendam et plene possidendam. Cum sacris ministris religiosisque viris multa sint et laboriosa officia sustinenda, cum plurima ferre ex adversis rebus et persecutionibus debeant, seseque purissimum Deo holocaustum offerre; sciant sine charitate nihil posse, hac vero virtute omnia posse — « Amor vincit omnia — Fortis ut mors dilectio. » — Quare magnifice D. Paulus: « Quis nos separabit a charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius?... Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia, poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro (2). » Incipiamus ergo diligere Deum, opere diligamus et corde, ac fiet ut summe et vere diligamus.

(1) Cant. II, 2.
(2) Ad Rom. VIII, 35-39.

Si vis amare, ama, inquit S. Franciscus Salesius, quia nonnisi amando amare potes, sicut scribere scribendo.

§ VI.

De Charitate erga proximum.

37. Ut virtus, una est charitas, quia unus est finis, quamvis duplex objectum: etenim non modo non tenemur sed nec debemus proximum propter seipsum diligere. « Sunt duo isti amores, inquit S. Gregorius, duæ quædam partes, sed unum totum est ex utrisque compositum: duo annuli, sed catena una; duæ actiones sed una virtus; duo opera sed una charitas; duo apud Deum merita, sed unum sine alio inveniri impossibile est (1). » Charitas erga proximum habet quidem pro objecto immediato homines, sed ejus ultimum objectum non est nisi Deus: finem profecto immediatum habet, bonum hominibus afferre, sed ejus ultimus finis est, ut Deus in hominibus et per eos, tum in hac vita, tum in alterius beatitudine glorificetur. Si quis homines propter seipsos diligat, quamvis ex honesto motivo id agat, non quidem charitatem sed naturalem habet amorem, qui supernaturali præmio dignus omnino non est: aliquando autem peccatum

(1) S. Greg. lib. 7 Mor.

esset, si quis ita propter se hominem diligeret ut Deo præferret.

38. Charitas erga proximum omnes quidem homines, sed potissimum Christi fideles et ex his præprimis ecclesiasticos et religiosos viros obligat. « Hoc est præceptum meum ut diligatis invicem — Hæc mando vobis ut diligatis invicem (1). » Tanti Christus hoc præceptum facit, ut in mundi fine vivorum ac mortuorum judex venturus, hac maxime lege judicabit, atque æterna gloria dignos decernet qui servaverint, æternæ vero pœnæ adjiciet qui servare neglexerint. (2) Quod tamen nos specialius spectat: « In hoc cognoscent omnes quia discipuli Christi sumus, si dilectionem habuerimus ad invicem (3).» Minister Dei frater est, amicus, vel etiam hominum pater, quia hæc est ejus missio ut lupos in agnos convertat, charitate præeunte; ut omnibus medeatur plagis, charitatis balsamo; ut omnium curam habeat, animasque salvas reddat, charitatis dulcedine. Presbyter qui erga suas oves charitate non præstat, Christi viscera non induit, nec ejus vices in terris gerit, lupus est vel mercenarius ad quem de ovibus non pertinet, quare videt lupum venientem, qui eas vorat, nec accurrit sed fugam petit.

(1) Joan. xv, 12, 17.
(2) Matth. xxv.
(3) Joan. xiii, 35.

39. Charitas ergo christiani hominis, sed præcipue sacerdotis et discipuli Christi, character est ; quin imo ex hac virtute utrum filii Dei simus dignoscere licet : « In hoc manifesti sunt filii Dei et filii diaboli (1); » quia nonnisi charitate erga proximum vere ostendimus nostram erga Deum dilectionem : «Qui enim non diligit fratrem suum, quem videt, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere ? Et hoc mandatum habemus a Deo : ut qui diligit Deum, diligat et fratrem suum (2). »

40. At hîc charitatis dotes exponamus, quas D. Paulus plenissime in epistola ad Corinthios describit (3). Quas tamen ipse enumerat ad quatuor facile reducere possumus : Charitas *mansuetudine* regitur, *humilitate* firmatur, *gratuitate* nobilitatur, *simplicitate* distinguitur.

1° Charitas *mansuetudine regitur* : scilicet efficit ut mansuetum erga proximum animum geramus, qui nos injuriis vel injustitia provocat ; hinc patientes et longanimes sumus, nec læsi vindictam appetimus, sed condonamus offensas ; necnon suavitate quandoque et lenitate provocatores vincimus, et beneficiis bona pro malis reddendo, inimicos facimus amicos ; quia vir mitis animo non asperis nec amaris

(1) I. Joan. III, 10. (2) I. Joan. IV, 20, 21.
(3) I. ad Cor. XIII.

respondet verbis aut factis, quæ iram ciunt; nec morosus est sed blandus et facilis. Charitas, quæ mansuetudine regitur « patiens est, benigna est, non irritatur. » — « Charitas *patiens est*, quia illata mala æquanimiter tolerat; — *benigna est*, quia pro malis bona largiter ministrat ; — *non irritatur*, quia et injuriis lacessita, ad nullos se ultionis suæ motus excitat, cum pro magnis laboribus majora post præmia expectat (1). »

2° Charitas *humilitate firmatur* : si enim hæc omnium virtutum fundamentum est, præcipue charitatis quæ principalis est virtus ; nihil enim est quod magis aliorum animos offendit quam superbia, ex qua ambitio invidia, vanitas aliaque procedunt vitia, quæ diversimode proximi jura vel animos inficiunt. Itaque cum charitas humilitate firmetur, a) *non æmulatur*, scilicet non invidet, « quia per hoc quod in præsenti mundo nihil appetit, invidere terrenis successibus nescit (2) ; » b) *non est ambitiosa*, nempe nullum decus vel honorem ambit «quia qui ardenter intus ad sua satagit, foris nullatenus aliena concupiscit (3) ; » c) *non inflatur*, ut eorum proprium est, qui de se superbe sentiunt et vanitatem luxumque quærunt, unde fit ut ab aliis despiciantur ; id autem charitas agit « quia cum præmium

(1) S. Greg. l. 10 Mor., c. 7. (2) Ibid.
(3) Ibid.